Digitized by Google

<36635860910016

<36635860910016

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Goog

Opp. Tom XIX.

Philos. Opera. 142. 4°

R. II. 152 (19

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MORALIS SIVE

ETHICA,

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS QUARTA,

IN QUA AGITUR DE

VIRTUTIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA NOS IPSOS CONTINETUR.

AUTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORRUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, FRIDERICIANÆ CANCELLARIO ET SENIORE, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ MEMBRO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

MDCCLII.

Digitized by Google

Bayerische Staatsbibliothek
MÜNCHEN

Digitized by Google

MÜNCHEN

PRÆFATIO.

Progredimur in præſenti volumine ad explicandas virtutes, quibus praxis officiorum erga nos ipſos continetur. *Ariſtotelici* quatuor numerant, Temperantiam ſcilicet, Liberalitatem, cujus ſupremus gradus Magnificentia, Magnanimitatem & Fortitudinem. Singulis hisce virtutibus duo opponunt vitia, alterum in exceſſu, alterum in defectu, nimirum Temperantiæ in exceſſu Intemperantiam, in defectu Stuporem; Liberalitati in exceſſu Prodigalitatem, in defectu Avaritiam, ac in ſpecie Magnificentiæ in exceſſu Luxum, in defectu Sordities; Magnanimitati in exceſſu Arrogantiam, in defectu Puſillanimitatem; Fortitudini denique in exceſſu Audaciam, in defectu Timiditatem. Hanc virtutum diviſionem cum oppoſitis vitiis *Ariſtoteles* derivavit ex natura appetitus. Stimulus naturalis appetitus voluptas eſt, ita ut nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem nobis creat. Unde menti ingignitur a prima infantia notio boni, ut pro bono habeatur, quicquid voluptatem nobis creat. Quoniam vero voluptas alia nocua eſt, quæ vel in moleſtiam degenerat, vel moleſtiam

 gignit,

Digitized by Google

gignit, alia vero innocua, quæ in moleſtiam nunquam abit; ideo recto intellectus judicio voluptas innocua a nocua diſcernenda, ne, dum voluptatem inhiamus, ut eadem fruentes ſimus felices, in moleſtiam incidamus, ſicque infelices evadamus. Neceſſe igitur eſt, ut intellectus regat appetitum rationi conformiter, ne vel excedat, vel deficiat, atque hunc habitum retinendi appetitum intra limites rationis Virtutem appellavit *Ariſtoteles*, aberrationem vero extra limites iſtos vitium. Retentio appetitus intra limites rationis eſt, quam mediocritatem dixit. Et ita virtus eſt habitus voluntatis in mediocritate conſiſtens, vitium vero habitus a mediocritate recedens ſive in exceſſu, ſive in defectu, ſit ita quod non in quolibet actionum genere & in exceſſu, & in defectu a rationis limitibus recedi poſſit: neque enim hoc vult mediocritas, ſi rite intelligatur. Hoc modo ſubjicitur appetitus rationi, & rationalis evadit, quæ eſt ipſa libera hominis voluntas, ſicque homo vivit vitam hominis, nec brutorum inſtar impetu affectuum in agendo ſe abripi patitur, quo eum trahit ſua voluptas. Jam vero bonum aliud poſitivum eſt, quod voluptatem affert, aliud privativum, quod in carentia moleſtiæ illi oppoſitæ conſiſtit. Quare appetitus tendit ad poſitivum acquirendum & ad eidem oppoſita depellendum: bonum enim privativum acquirere idem eſt ac malum poſitivo bono oppoſitum depellere. Objecta, quæ voluptatem afferunt, vel ſunt res ſenſibiles, quæ ſenſum, guſtum præſertim atque tactum hilarant, vel divitiæ, vel honor, ſeu, ut vulgo vocantur, bona corporis & bona fortunæ: quæ vero moleſtiam pariunt & terribilium nomine ab *Ariſtotele* appellantur, ſunt

mala

Digitized by Google

mala iſtis oppoſita, & in horum carentia bona privativa conſiſtunt. Pro diverſitate itaque illorum bonorum virtutem in ſuas ſpecies diviſit *Ariſtoteles*. Temperantia verſatur circa bona corporis, liberalitas circa divitias, ſeu pecunias, magnanimitas circa honores & fortitudo circa terribilia, quæ metum homini incutiunt. Quamobrem temperantia moderatur appetitum circa voluptates corporis, eas potiſſimum, quæ guſtum & tactum afficiunt, cum ab iis, quæ ceteros ſenſus hilarant, minus periculum immineat, ne voluptati nocuæ indulgeamus; liberalitas vero circa pecunias & res eadem æſtimandas, ac in ſpecie magnificentia circa res ſumtuoſas, magnanimitas circa honorem & fortitudo circa terribilia. Quamobrem intemperantia modum excedit in voluptatibus corporis, quatenus illicitæ non dividuntur a licitis: ſtupor vero in defectu peccat, quatenus quis ne licitis quidem voluptatibus frui vult. Prodigalitas nullum ſervat modum in pecunia eroganda, & luxus in res ſumtuoſas pecuniam oſtentationis cauſa profundit: avaritia vero pecuniam parcius erogat, quam par eſt, ac lucrum quodvis avide inhiat, ita ut in eroganda pecunia ſit defectus, in acquirenda exceſſus, quamvis non ſemper utrumque ſimul obtineat. Luxus pecunias prodigit, ut in rebus ſumtuoſis oſtententur divitiæ: ſordities in eroganda pecunia decorum negligit & lucrum inde percipit, unde non ſine turpitudinis nota percipi poteſt. Arrogantia honores immeritos affectat modis illegitimis & vanis: Puſillanimitas honores quosvis, etiam veros, contemnit. Audacia in quælibet pericula inconſiderate ruit: Timiditas quævis horret. Facile ap-

paret, vocabulorum ſignificatum ultra communem loquendi uſum eſſe extendendum, ut virtutes officia omnia erga ſeipſum & oppoſita iis vitia actiones iisdem contrarias omnes complectantur. Ita temperantia extenditur ad voluptatem veneream, ut caſtitatem ſub ſe comprehendat, & intemperantia ad quodvis veneris illicitæ genus, ut quævis delicta carnis & actiones ipſis agnatas complectatur. Similiter liberalitas extenditur quoque ad pecuniam acquirendam; ut nullam prætermittamus occaſionem modis licitis eam acquirendi, nec in eo deſiderari patiamur diligentiam noſtram. Hæc quidem eo fine in medium adducere libuit, ne videamur contemnere doctrinam *Ariſtotelicam* nondum ſatis intellectam, quemadmodum vulgo fieri ſolet, aut detrahendo laudi meritæ *Ariſtotelis* vanam affectare gloriam. Reddenda vero jam nobis eſt ratio, cur in tradenda Ethica aliam ingreſſi ſimus viam. Condere nobis propoſuimus ſyſtema veri nominis, in quo veritates concatenato nexu exhiberentur. Hunc igitur laborem non aggreſſi ſumus, antequam ab aliis tradita penitus intelligere & ad veritatem revocare ſtuduimus, proniores ad virorum egregiorum placita vindicanda, quam reprehendenda, cum ſatis convicti ſimus, haud raro contingere, ut de rebus rectius ſentiant, quam loquantur, & veritatem é longinquo conſpectam ferire mentis aciem, quæ nonniſi evolutione idearum confuſarum in apricum producitur. Mente ſic minime vacua propoſitum executuri veritates tanquam a nobis inveniendas nobis propoſuimus methodo analytica tanquam filo Ariadnæo uſi, ut continuo nexu deducerentur.

Poſt-

Digitized by Google

Poſtquam igitur ex ipſa natura hominis deduximus obligationem naturalem ad actiones liberas ſic & non aliter dirigendas, ut amplitudo legis naturalis, quæ vulgo non ſatis agnoſcitur, pateret, conſequenter conſtaret, actiones noſtras vel eidem conformiter, vel contraria ratione determinari poſſe; inde derivavimus notionem virtutis, quod ſit habitus actiones ſuas legi naturali conformiter determinandi, & notionem vitii, quod ſit habitus actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præſcribitur. Atque hinc ſtatim apparet, tot dari virtutum ſpecies, quot dantur actionum humanarum genera, & tot vitia, quot modis eædem legi naturæ contrariantur, ſive proſtent nomina, quæ tam illis, quam hisce accommodari poſſunt, ſive deficiant. Quamobrem de nominibus parum ſolliciti fuimus, res tradidiſſe contenti. Quod jam attinet officia hominis erga ſeipſum, virtutes iis convenienter determinandæ fuerunt. Verſantur autem officia iſta partim circa hominem in genere ſpectatum, partim circa animam, partim circa corpus, partim circa ſtatum externum, ad quem referuntur res, quibus indigemus ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem, & per conſequens pecuniæ, quibus eædem æſtimantur & comparantur una cum operis alienis nobis utilibus, honor cum laude ac fama, atque fortuna. Et propterea egimus primo de notitia ſui & de amore ac dilectione ſui, deinde de cura animæ, de cura corporis, de cura rerum, de cura famæ, tandemque de cura fortunæ. Ne autem negligeremus nomina virtutum & vitiorum recepta, ſuo loco actiones

Digitized by Google

nes tam iſtis, quam his convenientes vindicavimus, quantum notio virtutis atque vitii in genere permittit. Hinc curam corporis explicantes agimus de temperantia & intemperantia, ſobrietate & ebrietate, caſtitate & delictis carnis; Curam rerum docentes de continentia, avaritia & incuria, de parſimonia, prodigalitate & tenacitate, de magnificentia, luxu & ſordibus; curam famæ ac fortunæ inculcantes de modeſtia, magnanimitate, ambitione, arrogantia & puſillanimitate, de humilitate, faſtu & abjecto animo, tandemque de patientia & impatientia, atque de fortitudine, timiditate & audacia. Theoriam actionum tradidimus in Jure naturæ; in Ethica tradimus praxin, de qua notanda, quæ ad volumen tertium præfati ſumus. Oſtendimus vero etiam, quomodo in praxin officiorum erga ſeipſum influant officia erga Deum, ut non modo conſtet quomodo Deus colatur in omnibus actionibus noſtris, verum etiam ut ſtudium virtutum, de quibus jam agimus, facilitetur & perficiatur. Definitiones virtutum & vitiorum, quibus nomina uſu recepta accommodavimus, dedimus in Jure naturæ: in demonſtrationibus tamen iisdem uſi tanquam principiis eas repetivimus, ut inde quoque addiſci poſſint. Faxit Deus, ut virtus indies magis efflorescat, & homines ipſi viventes felicitate fruantur, quam vita homine digna comitem habet! Halæ d. 6. Aprilis A. 1752.

PHILO-

PHILOSOPHIÆ MORALIS,

SIVE

ETIHCÆ

Pars Quarta

DE

VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA NOS IPSOS CONTINETUR.

CAPUT I.

De Notitia Sui.

§. 1.

Studium noſcendi ſeipſum virtus eſt. Etenim lege naturali præcipitur, ut homo ſeipſum cognoſcat qua animam, corpus & ſtatum externum (§. 192. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter qui ſeipſum noſcere ſtudet, actiones ſuas legi naturæ conveniens-

An ſtudium noſcendi ſeipſum virtus ſit.

Digitized by Google

ter determinat. Quoniam itaque habitus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſtudium noſcendi ſeipſum virtus eſt.

Cum jam virtutes explicare inſtituamus, quibus praxis officiorum erga ſeipſum continetur, virtutes autem non ſint niſi habitus officia præſtandi (§. 321. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officiorum diverſitas diverſas parit virtutum ſpecies. Parum vero refert, utrum tanquam peculiaris quædam virtutis ſpecies peculiare ſortita ſit nomen, nec ne. In vulgari enim ſermone non dantur vocabula niſi eorum, quæ vulgus diſtingvit; cum vero nec Philoſophi omnia ſatis diſcreverint, quæ diſcernenda fuerant, nec methodi demonſtrativæ gnari vocabulis, quibus utuntur, fixum quendam & determinatum ſignificatum tribuerint, termini quoque technici deficiunt. Quamobrem non eſt quod miremur, dari virtutes easque non ignotas, quarum tamen deficiunt nomina peculiaria, ipſis tanquam ſpeciebus ab aliis dividendis tributa. Poterat hæc virtus appellari *Noſcentia Sui*, vel etiam notitia ſui, quatenus notitia ſumitur pro habitu ſe cognoſcendi, non pro cognitione ſui acquiſita. Sed in verbis faciles ſumus: nolumus tamen terminos inuſitatos in Philoſophiam introducere, niſi neceſſitas quædam inevitabilis hoc urgeat. Neque vero eſt, quod exiſtimes notitiam ſui referendam eſſe ad virtutes intellectuales, non vero morales. Cum enim qua virtus denotet ſtudium noſcendi ſeipſum, ſtudium autem interprete *Donato* ſit dedita opera voluntatis hominis attentior atque impenſior; ſtudium noſcendi ſeipſum eſt utique in numero virtutum moralium collocandum §. 276. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 2.

Qualis voluntas ad illud requiratur.

Quoniam ſtudium noſcendi ſeipſum virtus eſt §. 1.), ad virtutem vero requiritur conſtans & perpetua voluntas committendi actionem, quæ legi naturæ conformis eſt (§. 328.

328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ad ſtudium* quoque *ſeipſum noſcendi requiritur voluntas conſtans & perpetua ſeipſum noſcendi.*

Perpetuitas nimirum voluntatis exigit, ut nihil eorum prætermittamus, quæ de nobis cognoſci poſſunt, ac ideo requirit continuam attentionem ad ea, quæ ad nos & ſtatum noſtrum pertinent: conſtantia autem volutatis facit, ut nulla de cauſa a cognitione ejus, quod ad nos pertinet, nos abſtrahi patiamur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), magna cum voluptate in eo cognoſcendo occupati. Ac ideo in ſe noſcendo aſſiduus eſt, qui hac virtute pollet.

§. 3.

Qui ſeipſum noſcere vult, tum ea, quæ natura ſibi inſunt qua Objectum notitiæ ſui.
animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquiſita, tum quæ quo-
ad ſtatum ſuum externum contingunt, cognoſcere tenetur. Per ſe patet, aliam eſſe cognitionem eorum, quæ omnium hominum communia ſunt, aut ſaltem certorum quorundam, quatenus homo in genere ſpectatus ob differentias quasdam pluribus individuis communes in certas veluti ſpecies diſtingvitur; aliam vero cognitionem eorum, quæ ad unumquemque in ſingulari ſpectant, ſive fuerint talia, quæ cum aliis communia habent, ſive ſibi propria. Quamobrem cum ſeipſum noſciturus cognoſcere debeat, quæ ſibi tanquam individuo competunt, vel ad ſtatum ſuum externum referuntur, quicquid vero habemus, vel naturæ, vel operæ ac induſtriæ, vel denique fortunæ acceptum ferendum, quod tanquam in vulgus notum hic ſumitur; qui ſeipſum noſcere vult, tum ea, quæ natura ſibi inſunt qua animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquiſita, tum quæ quoad ſtatum ſuum externum contingunt, cognoſcere debet.

Nimirum ſi teipſum noſcere velis, non quæris, qualis eſſe poſſit homo vel in genere, vel poſitis hiſce aut aliis conditionibus,

nibus, & qualis eſſe poſſit ejus ſtatus, ſed qualis tu es & qualis ſit ſtatus tuus. Ea, quæ natura inſunt, vel ad corpus ſpectant, vel ad animam, cumque ea non in omnibus ſint eadem, quæ tibi natura largita eſt, cognoſcere teneris. Ab hiſce vero diſcernenda ſunt, quæ a nobis acquiſita, in quibus tam induſtria, quam fortuna ſuas habet partes. Atque hæc a ſe invicem accurate diſtingvi non parum intereſt. Status externus originarius in totum fortunæ debetur; in acquiſito vero fortuna & induſtria ſuas habet partes. Quoniam autem non ſolum cognoſcenda ſunt, quæ bona ſunt, verum etiam quæ mala; in acquiſitis, ſive ad ſtatum internum, ſive externum ſpectent, ratio quoque habenda eſt malorum tam phyſicorum, quam moralium. Et in noſcentia ſui magnum ſibi locum vindicat factorum ſuorum conſideratio. Ex hiſce intelligitur, ampliſſimam eſſe illius materiam, ac indies nobis offerri ad eam ſpectantia, ad quæ animum attendere debet ſeipſum noſciturus.

§. 4.

Quomodo notitia ſui acquiratur.

Quoniam qui ſeipſum noſcere vult, quæ ad ſe & ſtatum ſuum in ſingulari ſpectant, cognoſcere tenetur (§. 3.) *notitia ſui ex diſciplinis hauriri nequit, ſed obſervationibus domeſticis comparanda, quamvis ad haſce obſervationes plurimum conferat ſcientia eorum, quæ in diſciplinis de homine ſtatuque ejus cognoſcendo traduntur*, quatenus nimirum inde diſcimus, ad quænam attentio noſtra ſit afferenda, & in quænam inquirere debeamus, ſi nosmetipſos noſcere velimus, conſequenter *Pſychologiæ*, *Philoſophiæ practicæ univerſalis*, *Juris naturæ* atque *Philoſophiæ moralis*, *ſive Ethicæ*, immo etiam *Politicæ ſtudio notitia ſui promovetur*, *aliarumque artium ſcientia*, *ſi quis cognoſcere voluerit*, *quantum in arte profecerit*.

Ea, quæ ad notitiam ſui pertinent, facti ſunt: facta autem non cognoſcuntur niſi attentione, quam ad ea afferimus, quorum nobis de nobismetipſis conſcii ſumus, quatenus

nus ad animam referuntur, vel quæ ſenſu percipimus, hoc eſt, quæ de nobis et ſtatu noſtro experimur (§. 664. *Log.*). Ut vero attentionem afferamus, neceſſe eſt ut nobis conſtet, quænam ſint ea, ad quæ attendendus eſt animus, & ut attentionem ad ea afferre adſueſcamus: ne vero in obſervando attentioni quidpiam ſubducatur, quod maxime obſervari merebatur, acumine opus eſt. Quæ igitur attentionem excitant & acuunt, ex diſciplinis habere debemus.

§. 5.

Quæ natura nobis inſunt quoad animam ſunt facultates animæ determinati gradus, conſequenter *diſpoſitiones & inclinationes ac reclinationes naturales* (§. 426. *Pſych. empir.* & §. 895. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Hæc tanquam per ſe, ſive a poſteriori nota absque probatione ulteriori ſumuntur.

Quænam natura nobis dederit quoad animam & corpus.

Facultates animæ omnium hominum eædem ſunt, aſt gradu inter ſe differunt, a quo tam differentiæ ſpecificæ, quam numericæ dependent. Quamvis enim homo in genere non dividatur in plures ſpecies, quarum ſingulæ ſub ſe continent individua certa; pro graduum tamen diverſitate, qui in ſingulis facultatibus notantur, oriuntur differentiæ communes, quales eſſe ſolent ſpecificæ. Enimvero cum plures ſint facultates, quarum ſingulæ gradus diverſos admittunt; ideo contingit hominem unum eundemque habere cum hoc hujus vel illius, cum alio alius cujusdam facultatis gradum communem, quamvis nec qui communis eſt adeo determinatus in individuis, ut prorſus idem dici poſſit. Atque hæc omnino ratio eſt, cur homo in genere non dividatur in plures ſpecies, utut non deſint nomina, quibus diverſitas graduum indigitatur quoad unam, vel alteram facultatem, veluti dum unus eſſe dicitur ingenio veloci, alius tardo, aut alius acutus, alius hebes, præſertim cum in facultatum uſu, unde diverſitas gradus eorundem innoteſcit, diverſarum ad eundem actum concurrentium gradus permiſceantur, non

modo earum, quæ ad facultatem cognoſcendi ſpectant, verum etiam quæ ad facultatem appetendi & averſandi referuntur, inclinationibus nimirum naturalibus in diſpoſitiones & hiſce in ſe invicem influentibus. Accedit, quod haud facile ſit naturale ab acquiſito diſcernere. Quamobrem non eſt, quod miremur hominem non quaſi in plures ſpecies fuiſſe diviſum, differentias ſingularum facultatum primo in ſe conſiderando & poſtea omni poſſibili modo easdem combinando: quod in quantum præſtari poſſit, nimis arroganter definire auderet nondum expertus. Facultates animæ non ſunt niſi agendi poſſibilitates, ideoque non differunt niſi gradu facilitatis agendi & hæc ſimul a diverſitate objecti dependet. Atque hinc naſcuntur diſpoſitiones & inclinationes atque reclinationes diverſæ, ſeſe invicem permeantes. Hæc quidem notanda ſunt de dotibus animæ naturalibus. Quodſi corpora hominum conſideremus, formæ diverſitas ſtatim in oculos incurrit, quæ tamen & ipſa ſuos admittit gradus, & vel partialis eſt, vel totalis, prouti vel partem quandam corporis, vel integrum corpus reſpicit, veluti dum homo unus dicitur pulcher, alter vero deformis: dantur autem ſicuti in pulchritudine ac deformitate gradus admodum diverſi, ita etiam inter utramque multi intermedii. Robur autem ac vires corporis effectus prodit. *Robur* nimirum ea corporis firmitas eſt, quæ adverſus omnes difficultates firmiter obnititur, & tum in ſe gradu variat, tum pro diverſitate difficultatum, quibus obnitendum. Vires autem pro diverſitate actionum, quæ motu corporis atque organorum ejusdem, præſertim artuum, perficiuntur, plurimum variant. Atque hinc naſcuntur diverſæ diſpoſitiones naturales quoad corpus. Sunt autem diſpoſitiones hæ cumdiſpoſitionibus & inclinationibus atque reclinationibus animæ harmonicæ, ut acute diſcernenda ſint, quæ animæ, quæ corpori tribuenda. Atque hæc de dotibus corporis naturalibus tenenda. Quamvis vero ea, quæ de dotibus naturalibus dicta ſunt, faciunt ad intimiorem cognitionem eorum, quæ natura nobis dedit, non tamen in præſenti

ti opus eſt tam exquiſita eorundem ſcientia, quæ nec in poteſtate hactenus eſt: de futuris enim non mihi ſumo judicium. Sufficiat nobis conſtare de iis, quæ manifeſta ſunt, & de ceteris tenere, quod per diſpoſitiones, inclinationes & reclinationes naturales apti fuerimus ad conſequenda ea, quæ acquiſivimus, inepti autem ad ea, quæ ſtudio ac labore acquirere non potuimus, memores illius pervulgati: non ex quovis trunco fieri Mercurium.

§. 6.

Fortuna nobis dat, quæ ut habeamus a cauſis aliis extra nos, non vero a nobis dependet. Quæ ut habeamus, non a nobis, ſed a cauſis aliis extra nos dependet; ea ideo exiſtunt, quia hæ cauſæ ad eadem concurrunt, quarum concurſum prævidere non potuimus & quas ad agendum determinare non fuit arbitrii noſtri. Quamobrem cum concurſus iſte fortuna ſit (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*); quæ ut habeamus a cauſis aliis extra nos, non vero a nobis dependet, ea fortuna nobis dat. *Quænam ſint fortunæ dotes.*

Concurſus cauſarum, quem fortunam dicimus, a nexu rerum in hoc univerſo dependet, qui immutabili lege a Deo conſtitutus eſt (§. 666. *part. 1. Theol. nat.*), & in quem homini nulla prorſus eſt poteſtas. Ita fortunæ dos eſt, quod hos habuerimus parentes, qui nobis adeo proficuam educationis curam habuerunt, quod nati ſimus eo tempore ac loco, quo in diſciplinam magiſtrorum doctiſſimorum traditi ſumus, quod habuerimus agnatos, a quibus ampla nobis obtigit hereditas, quod hoſce nacti fuerimus patronos & quæ ſunt alia hujus generis. Cum vero fortuna non modo ſecunda, verum etiam adverſa ſit (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*); ſi conſideranda ſunt, quæ dat fortuna, in eorundem quoque cenſum referenda ſunt, quæ malis accenſentur, veluti quando grando ſtragem dat frugibus, vel incendium vaſtat ædes, quod

and with us one called Aristarchus, a man of Macedonia
from Thessalonica; and when we departed, they brought us

Aristarchus
a fellow-
prisoner.

on our way such things as were necessary. 3 Now when we had
sailed slowly many days, and scarcely were come over against
Cnidus, the wind not suffering us, we sailed under Crete, over
against Salmone; 4 and hardly passing it, came unto a place

Nimirum hic diſtinguenda ſunt ea, quæ natura habemus, ideoque neceſſaria ſunt ac immutabilia, ab iis, quæ acquiruntur. Hæc autem vel in noſtra poteſtate ſunt, ut recto facultatum ac virium noſtrarum, vel eorum, quæ jam acquiſita fuerunt, uſu acquiri poſſint, vel extra poteſtatem noſtram ſunt & aliunde nobis obtingunt. Atque hæc fortuna dat, illa operam, laborem ac induſtriam noſtram requirunt. Quando vero cauſam omnium primam requirimus, Deum tanquam datorem omnium agnoſcimus, qui alia nobis dat per naturam, alia per fortunam, alia per operam ac laborem noſtrum. Quamobrem in præſenti attenditur modus, quo Deus nobis ea dat, quæ habemus, & quomodo malis fiamus obnoxii.

§. 8.

In iis, quæ ſtudio, labore atque induſtria noſtra acquiruntur, ſemper ſunt fortunæ quædam partes, quæ ſi non ad acquiſitionem cum ſtudio, immediate concurrit, tamen mediate, quatenus ſtudium, vel opera, labor atque induſtria noſtra inde dependet. A poſteriori patet, multa eſſe, ad quæ acquirenda non ſufficit opera, labor & induſtria noſtra. Tales enim fere ſunt res omnes, quæ induſtria noſtra parantur. Cum vero in hoc mundo actus contingentium determinetur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invidem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83. *Coſmol.*), & ſtatus quoque entium compoſitorum in mundo a continuis dependeat (§. 86. *Coſmol.*), ideo nec fieri poteſt, quin ad eos actus, in quibus opera, labor atque induſtria noſtra conſiſtit, ſaltem per modum cauſæ remotæ concurrant, quæ poteſtati noſtræ non ſubſunt extra nos poſita, conſequenter in his, quæ opera, labore ac induſtria noſtra parantur, ſuæ quoque ſunt fortunæ partes (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*).

Fortuna *duſtria in* *acquirendis* *concurrens.*

Concurſus fortunæ, ſeu, quod perinde eſt, naturæ ad ea, quæ ſtudio, labore ac induſtria noſtra parantur, in nonnullis adeo evidens eſt, ut a nemine ignoretur. Pertinent huc fruges terræ, ad quas non ſufficit agricolæ labor ac induſtria, ſed tempeſtas quoque idonea requiritur, quam poteſtati agricolæ non ſubeſſe nemo eſt qui neſciat. In aliis autem majore attentione opus eſt, ut quas ſibi vindicet fortuna partes agnoſcas. Ita ſi ex merito munus quoddam tibi defertur; ſolis tuis meritis hoc tribuendum non eſt. Opus enim habes Patronis, qui te promoveant, qui te promotoribus commendent. Et ſi vel maxime promotores & commendatores rationem habeant meritorum tuorum; tibi tamen tribuere nequis, quod eo ipſo tempore, quo munus vacat, exiſtant homines, quibus tua merita placent, vel ut ea ipſis innotuerint. Ea de cauſa dudum agnitum eſt, nihil valere artem ſine fortuna & fortunam plus valere quam artem. Similiter qui arte ſua perficit opus venale, emtorem a fortuna expectat. Et qui litteris operam navat, facultatibus animæ utitur, quarum uſum conſecutus non eſt niſi fortuna obſtetricante, ut taceam ſtatum ſtudiis vacandi commodum, ad quem, ſi ſollicitus inquiras, fortuna plus contribuere deprehenditur, quam putatur. Plurimum autem refert in Moralibus, ne plus tibi tribuas, quam debetur, & quam parum ſit, quod tibi tribuere poſſis, ut agnoſcas. Abſit igtur, ut exiſtimes, iſtiusmodi ſubtilitatibus non eſſe opus ad noſcentiam ſui.

§. 9.

De dotibus naturalibus agnoſcendis.

Dotes animæ naturales agnoſcuntur ex tentaminibus habitus acquirendi, ex gradu habituum acquiſitorum exercitiis datis & ex uſu facultatum conſuetudine occaſione ſic ferente contracto. Idem intelligitur de viribus ac robore corporis & diſpoſitionibus facultatis locomotivæ, habita tamen ſimul ratione diſpoſitionum & inclinationum atque reclinationum naturalium. Forma vero corporis per ſe patet.

Digitized by Google

patet. Facultates animæ ſunt potentiæ activæ (§. 29. *Pſych. empir.*), ideoque nudæ agendi poſſibilitates §. 716. *Ontol.*). Quando vero potentia ad actum perducenda, non eadem facilitate id fieri in diverſis ſubjectis experimur, cumque habitus exercitio (§. 430. *Pſych. empir.*), ideoque actuum iſtorum repetitione comparentur (§. 195. *Pſych. empir.*), ſimiliter obſervamus, non omnes eadem facilitate acquirere habitus, & habitus eadem induſtria acquiſitos non eſſe ejusdem gradus. Quamobrem cum diſpoſitiones naturales ſint poſſibilitates acquirendi potentiam agendi, ſeu eliciendi actus facultatum (§. 426. *Pſych. empir.*), iſta actus hoſce eliciendi & habitus eosdem eliciendi facilitas diverſa diſpoſitionum naturalium diverſitatem inducit. Quod ſi ergo diſpoſitiones naturales agnoſcere volueris, neceſſe eſt ut attendas animum ad actus, quibus habitus comparandus, tum qua facilitate eliciuntur, tum quomodo eorum repetitione habitus acquiratur, tum denique ad quem gradum certis exercitiis fuerit evectus. Patet itaque diſpoſitiones naturales animæ agnoſci ex tentaminibus habitus acquirendi, & ex gradu habituum certis exercitiis acquiſitorum. *Quod erat primum.*

Enimvero cum non omnes data opera diſpoſitiones naturales ad habitum evehere ſtudeant, ſed occaſione ſaltem oblata actus facultatum eliciantur, atque ſic tandem contrahatur aliqua eos eliciendi, conſequenter facultatibus utendi, quando occaſio ad agendum invitat, conſuetudo; hæc ipſa quoque conſuetudo diſpoſitiones naturales prodit. *Quod erat ſecundum.*

Inclinationes naturales ſunt generales determinationes appetitus ad aliquid appetendum (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & reclinationes ſunt determinationes generales aver-

ſationis ad aliquid averſandum (§. 896. *part. 2. Phil. prac. univ.*). Quamvis vero appetitus hominis cujusvis naturaliter determinatus ſit ad appetendum ea, quæ voluptatem creant, & averſatio generaliter determinata ad averſandum ea, quæ moleſta accidunt (§. 156. *part. 2. Eth.*), quoniam tamen variant objecta, quæ voluptatem creant, vel moleſtiam afferunt, non autem omnes eadem voluptate trahi æqualiter, & ex adverſo non eadem unicuique accidere æque moleſta experimur, inde diverſitas inclinationum & reclinationum naturalium oritur. Quamobrem ex iis, quæ appetunt, vel averſantur homines, innoteſcit differentia inclinationum & reclinationum naturalium, quatenus iis, quæ appetunt, vel averſantur, inſunt rationes maxime generales, veluti quod ſenſus hilarent, quod ad gloriam, vel abundantiam faciant. Ex tentaminibus itaque eliciendi actus appetitus & averſationis per objecta appetibilia & averſabilia, ſeu voluptatem & moleſtiam creantia, & ex habitibus illorum actuum repetitione acquiſitis, vel etiam conſuetudine appetendi vel averſandi occaſione ſic ferente contracta agnoſcitur, quales ſint inclinationes & reclinationes naturales. *Quod erat tertium.*

Quoniam vero actus, quibus continetur exercitium habituum comparatrix, dependet ab actu appetitus, vel averſationis, ſive lubentes, ſive inviti agamus, aut ab agendo deſiſtamus; actus appetitus & averſationis influunt in determinationem illorum. Quamobrem ut de facilitate illos actus eliciendi, in qua diſpoſitiones naturales conſiſtunt, citra aberrationem ſtatuamus, neceſſe eſt ut dependentia eorum ab inclinationibus & reclinationibus naturalibus dividatur. *Quod erat quartum.*

Cum

Cum robur corporis conſiſtat in ea firmitate, quæ adverſus difficultates objectas obnititur, eaque tum in ſe variet gradu, tum pro diverſitate difficultatum, quibus obtinendum (*not.* §. 5.); quodnam ſit robur corporis ex tentaminibus agnoſcitur, aut ex iis actibus, quæ occaſio oblata elicit. *Quod erat quintum.*

Vires corporis cum per ſe in oculos non incurrant, ex actionibus, quibus onus quis ſubit, aut pondus attollit, vel alio modo movet, colliguntur. Quamobrem denuo patet, ex tentaminibus, aut ex iis actibus, quos occaſio oblata elicit, eas agnoſci. *Quod erat quartum.*

Actiones externæ, quæ motu organorum corporis perficiuntur, ſunt actus facultatis locomotivæ (§. 66, *part. 1, Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum dentur habitus corporis, qui actionibus externis abſolvuntur, tum etiam habitus, ad quos cum actionibus externis concurrunt internæ; ideo quoque pro diverſitate illarum actionum dantur diverſæ facultatis locomotivæ diſpoſitiones naturales, quæ exercitio ad habitum evehi poſſunt (§. 430. *Pſych. empir.*). Quamobrem quoque ex tentaminibus habitus acquirendi & ex gradu habituum acquiſitorum exercitiis certis & ex uſu facultatis locomotivæ conſuetudine occaſione ſic ferente contracto cognoſcuntur, quemadmodum de diſpoſitionibus naturalibus animæ idem oſtendimus *n.* 1. & 2. Quatenus tamen actiones externæ cum internis conjunguntur, ideoque eædem a diſpoſitionibus & ab inclinationibus atque reclinationibus animæ dependent; in noſcendis diſpoſitionibus naturalibus corpori inexiſtentibus habenda quoque ratio eſt diſpoſitionum & inclinationum atque reclinationum naturalium animæ. *Quod erat quintum.*

Denique cum corporis forma externa in oculos incurrat, neque ideo opus ſit, ut ex aliis in ſenſum incurrentibus colligatur; eandem per ſe patere manifeſtum eſt. *Quod erat ſextum.*

Monſtramus hic viam, quam ingredi debemus, ſi dotes animæ ac corporis naturales agnoſcere velimus. Oſtendimus in parte prima & ſecunda Ethicæ, quomodo facultates animæ perficiantur. Dedimus quoque ad inclinationes & reclinationes naturales cognoſcendas utilia in Philoſophia practica univerſali (§. 895. *& ſeqq. part.* 2.). Ea igitur qui cognita & perſpecta habet, in noſcendis diſpoſitionibus & inclinationibus atque reclinationibus animæ facile proficiet. Quamvis enim rudior quædam notitia veluti ſua ſponte ſeſe offerre videatur, & hac vulgo contenti ſimus; exquiſitior tamen, quæ longe ampliorem uſum habet, non ſine ſtudio ac labore acquiritur, qui exercitationem ſupponit ſolida doctrina ſuffultam. Quamobrem dubitandum non eſt, quin ſymbolam quoque ſuam huc liberaliter conferant, quæcunque de ſingulis habitibus moralibus, tam bonis, quam malis demonſtrantur. Immo etſi forma corporis externa in oculos incurrat, quando tamen de ea ferendum eſt judicium, ut hoc ſit exactum, theoria ſupponitur, veluti ſi de pulchritudine ſermo ſit, eademque diſtincta notione explicanda. Habitus animæ & corporis mirifice in ſe invicem influunt, poſtquam acquiſiti ſunt ſine circulo, quale quid etiam obſervare licet in cognitione rerum aſtronomicarum, ſiquidem in modum cognoſcendi inquirere velimus.

§. 10.

Quomodo agnoſcantur, quæ dat fortuna.

Quæ fortuna dat agnoſcimus, ſi obſervemus vel inquiramus, num quod habemus, vel quod nobis obtigit, independenter prorſus ab omnibus actionibus noſtris habeamus, vel nobis obtigerit. Etenim ſi quid habemus independenter ab omni actione noſtra, aut ſi quid nobis ita obtingit, ratio ſufficiens cur habeamus in cauſis aliis extra nos con-

continetur (§. 56. *Ontol.*), nec actio ulla noſtra eandem ingreditur (§. 851. *Ontol.*). Enimvero fortuna nobis dat, quæ ut habeamus a cauſis aliis extra nos, non vero a nobis dependet (§. 6.), conſequenter ſi ratio cur habeamus in ſolis cauſis externis, nihil vero ejusdem in nobis, ſeu actione quadam noſtra continetur (§. 581. *Ontol.*). Quodſi ergo agnoſcere velimus, quæ fortuna dat, obſervandum, vel ſi non ſtatim in oculos incurrit, inquirendum, num quod habemus, vel quod nobis obtigit, independenter ab omni noſtra actione habeamus, vel obtigerit.

Cum homo ſibi actionum ſuarum conſcius ſit, obſervatu facillimum videtur, utrum aliquid habeamus independenter ab actionibus noſtris, aut ita quidpiam nobis obtingat, nec ne. Ita nemo non facile videt, fortunæ ſoli acceptum ferri debere, quod a parentibus opulentis ampliſſimam habeat hereditatem, quod grando proſtraverit fruges in agro ſuo, quod fulgure tactæ ædes conflagraverint. Enimverd non ſemper res adeo manifeſta eſt. Patet hoc per ea, quæ paulo ante annotata fuerunt (*not.* §. 7.). Circumſpectione tum maxime opus eſt, ubi cauſæ externæ cum actionibus noſtris concurrunt, aut actiones noſtræ ſupponunt, quod fortunæ debetur: ubi tamen diſcernendæ ſunt actiones, quæ ipſam fortunam ingrediuntur, veluti dum theſaurum invenimus terram alio prorſus fine fodiendo. Sed hæc clarius elucescunt, quando conſiderantur ea, in quibus ratio ſufficiens in actionibus noſtris & cauſis aliis conjunctim continetur, cur quid ſit, vel fiat: ubi contingit, ut ſæpiſſime homines vel ſibi, vel fortunæ ſoli tribuant, quod neutri parti ſoli tribui debebat. Obtinet prius in rebus ſecundis, poſterius vero in adverſis. Utrumque in Moralibus nocet. Ceterum hic obſervanda ſunt, quæ paulo ante oſtendimus, in quibusnam potiſſimum conſpiciantur ea, quæ dat fortuna (§. 7.).

§. 11.

Quomodo agnoſcantur ea, quæ nobis tribuenda.

Si agnoſcere velimus ea, quæ nobis debentur; diſpiciendum eſt, utrum ut hoc habeamus, aut ut hoc nobis obtingat, ratio ſufficiens in ſolis actionibus noſtris contineatur, nec ne. Etenim cum actiones noſtræ a libera voluntate noſtra dependeant, hoc agere, noſtrum eſt: quodſi ergo ratio ſufficiens, cur quid habeamus, vel cur quid nobis obtingat, in ſolis actionibus noſtris contineatur, cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118. *Ontol.*), ut quid habeamus, vel nobis obtingat, nobis ſolis imputandum. Quodſi ergo agnoſcere velimus ea, quæ nobis debentur, diſpiciendum eſt, utrum ut hoc habeamus, aut ut hoc nobis obtingat, ratio ſufficiens in actionibus noſtris contineatur, nec ne.

Quando in Phyſica rationem ſufficientem quærimus eorum, quæ ſunt, ſufficit oſtendere, quibus poſitis ponatur id, cujus ratio quæritur: ideoque ſi de effectu quodam ſermo ſit, ſufficit, ut detegantur cauſæ ad eum producendum ſufficientes, & explicetur modus, quo is producitur. Cum enim in Philoſophia ſaltem ſpectentur res in genere quoad poſſibilitatem intrinſecam & extrinſecam; non aliud quæritur, quam cur inſint attributa, & quomodo ea, quæ fiunt, ad actum perduci poſſint. Enimvero aliter ſeſe res habet, ubi quæritur ratio ſufficiens facti cujusdam in ſingulari, quod determinatur per ſeriem contingentium, quæ a ſe invicem dependent ut effectus a ſua cauſa (§. 83. *Coſmol.*), ſimulque a contingentibus dependet (§. 85. *Coſmol.*), nec rationem ſufficientem agnoſcit, niſi in ente neceſſario extra ſeriem contingentium conſtituto (§. 90. *Coſmol.*), hoc eſt, Deo cauſa omnium rerum prima (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*). Rationem itaque ſufficientem facti alicujus nemo mortalium perſpicere valet. In Moralibus itaque in rationem facti inquirentibus acquieſcendum eſt vel in cauſis proximis, quibus poſitis ponitur factum, vel ſubinde

inde progradiendum ad cauſas remotiores, quæ ſunt cauſæ cauſarum, vel per ſaltum deveniendum ad cauſam primam, nimirum Deum, prouti praxis, cui inſervire debet rationis notitia, requiſiverit. Immo ſufficit quoque haud raro ſaltem cognoſcere cauſam ſufficientem, etſi ignoretur modus cauſandi, conſequenter ratio non intelligatur (§. 156. *Ontol.*). Ac ideo in ratione ſufficiente inveſtiganda vel imitandi ſunt Phyſici, vel Hiſtoriæ naturalis ſcriptores, quorum hi ſaltem proximas effectuum naturalium commemorant. Atque hæc obſervanda ſunt, ubi agnoſcere voluerimus, num ut hoc habeamus, aut ut hoc nobis obtingat, ratio ſufficiens in ſolis actionibus noſtris contineatur. Caſus autem particulares, in quibus notitia opus habemus ad culturam virtutis, fugam vitiorum, docent, quo usque ſit progrediendum. Ita in tractatione officiorum erga Deum vidimus, quandonam opus ſit ut ad Deum tanquam cauſam primam deveniatur, nimirum quoties neceſſe eſt ut agnoſcatur tanquam dator omnis boni, aut quod nihil fiat niſi ipſo providente. Inferius autem patebit, quando acquieſcere poſſimus in actionibus noſtris, quando progrediendum ad rationes ulteriores. Et hæc quidem probe notanda ſunt, ne videamur nobis contradicere, quando nunc actiones noſtras ſpectamus tanquam rationem ſufficientem, nunc vero tanquam minus ſufficientem, etſi eadem ſit et eodem modo ſe habeat ad id, quod per eas obtinetur. E. gr. Si omni animi contentione operam navamus Matheſi addiſcendæ, ſine ulla inſtitutione, recte dicimur eam nos proprio Marte didiciſſe, ac inde recte æſtimamus vires facultatum cognoſcendi, quantum valeant. Enimvero ſi jam quæritur, quomodo vitandus ſit faſtus, conſideranda quoque ſunt, quæ vi nexus rerum in actiones noſtras influunt, ſuo loco diſtinctius explicanda.

§. 12.

Habitus acquiſitos agnoſcimus ex actionibus & iis, quæ feci- *Quomodo habitus acquiſiti cognoſcantur.*
mus. Etenim habitus conſiſtunt in promptitudine agendi (§. 428.

(§. 428. *Pſych empir.*), cumque ad recte agendum obligemur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque in committendis actionibus, vel faciendis iis, quæ facienda ſunt, diverſi dentur gradus diligentiæ (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ac præterea in eodem quoque genere actionum, vel faciendorum dentur magis minusve ardua, ad quæ habitus acquiſitus ſufficit; qui hos cognoſcere vult, ad actiones ſuas & ea, quæ facit, animum attendere debet, quia ex eo, quod agimus, vel facimus, certi reddimur, quid agere, vel facere poſſimus, (§. 170. *Ontol.*).

Habent habitus ſuos gradus non modo quoad promptitudinem, ſeu facilitatem agendi, verum etiam quoad rectitudinem ejus, quoad agendum eſt, & quoad extenſionem, quando non eadem facilitate omnia fieri poſſunt, quæ ad idem genus referuntur. Inde nimirum eſt, ut unus antecellat alterum in eodem habitu, veluti Orator unus Oratorem alterum, pictor unus pictorem alterum, immo opifex unus opificem alterum. Habitus vero cum intus lateat, immo nec ab eo, qui eodem pollet, animadvertatur, niſi dum eodem utens ejus ſibi conſcius eſt; ideo nec fieri poteſt, ut iidem aliter agnoſcantur quam ex actionibus atque ex iis, quæ facimus. Hinc dudum invaluit pervulgatum iſtud: Opus laudat artificem, & in proverbium abiit, ex cantu agnoſci avem. Quando vero hic de habitibus agnoſcendis agitur, habitus quoque pravi, qui ſunt vitia, intelliguntur, cum ad noſcentiam ſui etiam requiratur notitia vitiorum, quibus obnoxii ſumus.

§. 13.

Quænam præſupponantur ad habitus agnoſcendos.

Quoniam habitus ex actionibus & iis, quæ facimus, agnoſcuntur (§. 12.), ideoque de habitu acquiſito judicium minime fallax fieri nequit, niſi de actionibus & iis, quæ facta ſunt, judicium verum ferre valemus; *ad habitus agnoſcendos prærequiritur notio diſtincta rectitudinis actionum & operum faciendi*

ciendorum, conſequenter *ſi de virtutibus ſive intellectualibus, ſive moralibus agitur, notiones earum diſtinctæ ſatisque adæquatæ ex Ethica petendæ una cum ſignis, quæ in eadem traduntur*, & ut pateat, quantum profecerimus, quantum adhuc deficiamus, *conſultum eſt, ut actiones noſtras & ea, quæ fecimus, cum actionibus aliorum & iis, quæ ab aliis facta ſunt, comparemus.*

Apparet itaque non ſemper adeo facilem eſſe habituum acquiſitorum agnitionem, quemadmodum videri poterat. Quamvis enim in nonnullis agnoſcendis nuda ſufficit obſervatio; in aliis tamen theoria habituum ſupponitur, ut ejus applicatio in ſingulari fieri poſſit. Obtinet hoc in habitibus moralibus, qui ut agnoſcantur, requirunt philoſophiæ moralis ſcientiam, quæ quo exquiſitior fuerit, eo magis ſatisfacit. Ac propterea noſcentia ſui ſupponit exaſciatam Ethicæ theoriam, cum hic notitia ſui inprimis reſpiciat uſum moralem, quatenus profectum in bono, defectum in malo intendimus: id quod omnium hominum commune eſſe debet. Quod enim pertinet ad habitus non omnium communes, per ſe patet, eorum notiones perſpectas eſſe debere iis, qui habitus iſtos exercere debent. Harum vero notiones acquiruntur ipſo uſu, quamvis non inutile foret, ſi revocarentur ad diſtinctas. Neque vero exiſtimandum eſt, talia non eſſe attendenda in philoſophia morali. Cum enim lex naturæ urgeat actionum & factorum omnium rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); philoſophia moralis ſupponit, unicuique eſſe notionem ſatis adæquatam, aut ſaltem ideam exemplarem ſufficientem ejus, quod ipſi pro ſtatu ſuo faciendum, ſi de actionibus ferendum judicium. Ad ideam exemplarem inprimis facit eorum, quæ nos facimus, cum his, quæ faciunt alii, comparatio, ut taceam uſus alios in caſibus particularibus ſuo loco commemorandos.

§. 14.

De iis, quæ partim a nobis, partim a cauſis aliis dependent.

Si ea, quæ acquiſivimus, vel quæ nobis obtingunt, partim a nobis, partim a cauſis aliis extra nos dependent; probe diſcernendæ ſunt actiones noſtræ, ſine quibus ea non acquiſiviſſemus, vel ea nobis non obtigiſſent, a cauſis ceteris, inquirendo in id, quod ipſæ ad ea contulerint. Etenim ſi ea, quæ acquiſivimus, vel quæ nobis obtingunt, partim a nobis, partim a cauſis aliis extra nos dependent; cur ea acquiſiverimus, vel ea nobis obtingant, ratio partim in actionibus noſtris, quæ ſolæ ſunt in poteſtate noſtra, partim in cauſis aliis extra nos continetur (§. 851. *Ontol.*), conſequenter ratio ſufficiens, cur ea acquiſiverimus, vel ea nobis obtingant, in actionibus noſtris & iis, quæ cauſæ ceteræ extra nos contulerunt, conjunctim continetur (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem ne nobis plus tribuamus, quam par eſt, id quod plerumque in ſecundis fieri ſolet, vel etiam minus, quam debebamus, prouti in adverſis fieri ſolet, aut quando quid male factum a nobis agnoſcimus; probe diſcernendæ ſunt actiones noſtræ, ut pateat, quid ex iis neceſſario conſequatur, a cauſis ceteris inquirendo in id, quod ipſæ contulerint, ut conſtet, quomodo cauſæ ceteræ concurrerint, & quid concurſui earum ſit tribuendum.

Si nos noſcere velimus, apprime neceſſarium eſt, ne nobis tribuamus, vel cauſis aliis extra nos, quod tribuendum non eſt, quemadmodum ſuo loco videbimus, quando in virtutis cultura & fuga vitiorum ad notitiam ſui provocabimus. Quamobrem neceſſe eſt, ut probe diſcernatur, quid noſtris actionibus, quid vero cauſæ aliæ concurſu ſuo ad id, quod acquiſivimus, vel quod nobis obtingit, contribuerint. Quando diſtincte cognoſcere velimus, cur quid factum fuerit, cum ſine ratione ſufficiente nil quicquam fieri poſſit (§. 70. *Ontol.*),

tol.), in hanc inquirendum eſt. Enimvero ſi cauſæ plures concurrant ad eundem effectum, ratio ſufficiens non agnoſcitur, niſi cognoſcantur cauſæ ſingulæ ad eam concurrentes & accurate diſcernatur, quid unaquæque contulerit. Hoc vero patet, ſi conſideremus, quid poſito hoc vel iſto ſecutum fuerit. Attendenda vero etiam ſunt non facta, quibus poſitis aliud quidpiam ſecutum fuiſſet. Acutiores autem facile videbunt, ubivis quoque conſiderandas eſſe omnes circumſtantias, quæ momentum quoddam habent in eo, quod cognoſcendum. Ita enim demum accurate diſcernemus, quænam nobis, quænam aliis debeantur cauſis, ratione ſufficiente ejus, quod quæritur, penitus perſpecta, quatenus nimirum in præſenti attendenda venit, ubi quædam quæ ſunt ſumuntur, ideoque rationem ſufficientem habere ſupponuntur (§. 70. *Ontol.*), ut analyſin rationum continuari non opus ſit, donec in neceſſaria acquieſcendum (§. 90. *Cosmol.*): id quod captum humanum quam longiſſime tranſcendit. Vide, quæ modo annotavimus (*not.* §. 13.).

§. 15.

Ad notitiam ſui quoque requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam homines, & ad quænam tanquam creaturæ Dei obligemur. Datur enim obligatio naturalis, quæ rationem ſufficientem in ipſa hominis & hominis rerumque eſſentia atque natura habet (§. 143. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque obligatio naturalis inhæret homini per modum attributi (§. 152. 157. *Ontol.*); ſi quis ſeipſum noſcere vult, neceſſe eſt ut etiam cognoſcat obligationem naturalem, conſequenter ad notitiam ſui quoque requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam homines obligemur. *Quod erat unum.*

De obligatione qua creaturæ Dei agnoſcenda.

Homo totus, ſcilicet qua corpus & animam, eſt creatura Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ſicuti creatura

omnis in dominio Dei eſt (§. 965. 966. *part. 1. Theol. nat.*), ac propterea actiones ſuas liberas determinare debet, quemadmodum vult Deus (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*), ſicuti creaturæ ceteræ omnes agunt, quæ Deus vult (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*). Vult vero Deus, ut homo actiones ſuas liberas dirigat ad manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 918. *part. 1. Theol. nat.*), ideo conditus, ut gloriam divinam promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*), ſicuti creaturæ ceteræ omnes (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), perfectionum divinarum ſpecula (§. 785. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum hæc obligatio actiones ſuas liberas componendi ad voluntatem Dei & easdem dirigendi ad manifeſtationem gloriæ ipſius non minus inhæreat homini per modum attributi, quam obligatio naturalis, *per demonſtrata*, n. 1. ſi quis ſeipſum noſcere vult, neceſſe quoque eſt, ut agnoſcat, quænam ſit obligatio ſua, quatenus creatura Dei eſt, conſequenter ad notitiam ſui requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam creatura Dei obligemur. *Quod erat alterum.*

Homines ſumus & creaturæ Dei, ideoque etiam tanquam homines & tanquam creaturæ Dei ratione prædiræ vivere debemus. Quamobrem neceſſe eſt, ut cognoſcamus quales ſint actiones, quæ decent hominem, & quales ſint actiones, quæ decent creaturam rationalem. Actionum liberarum determinatio a nobis dependet, quatenus proficiſcuntur vel ab uſu, vel a non uſu & abuſu facultatum noſtrarum. Atque illæ ſunt, quæ decent hominem, quatenus eſt ens facultatibus hujusmodi præditum, quarum uſu determinari poſſunt actiones liberæ eodem modo, quo naturales per ipſam eſſentiam & naturam humanam, quemadmodum brutorum & corporum ceterorum naturalium determinantur, ita ut cum his tendant ad perfectionem totius univerſi; hæ vero decent hominem, quatenus eſt creatura rationalis, ideoque ſervus Dei, cujus

cujus voluntas ſubjicienda voluntati divinæ, ita ut non modo actiones liberæ ſint actus obedientiæ Deo præſtandæ, verum etiam una cum naturalibus tendant ad manifeſtationem gloriæ divinæ, ſicque perfectio totius univerſi promoveatur, & per eam finis creationis a Deo intentus obtineatur. Illuc ducit obligatio naturalis, huc obligatio, quæ nobis tanquam creaturæ rationali inhæret. Qui ea cognita & perſpecta habet, quæ in Theologia naturali & Philoſophiæ practicæ univerſalis parte prima demonſtrata ſunt, nullum de his, quæ diximus, ſupererit dubium, inprimis ſi præterea ad animum revocaverit ea, quæ in parte tertia Ethicæ paſſim demonſtrata, & in annotationibus uberius declarata fuerunt. Quodſi ergo homo ſeipſum agnoſcere voluerit, neceſſe omnino eſt, ut eriam cognoſcat, ad quænam tanquam homo & ad quænam tanquam creatura rationalis obligetur. Atque hæc præcipua quædam pars eſt notitiæ ſui ipſius.

§. 16.

Quoniam ad notitiam ſui requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam homines & ad quænam tanquam creaturæ Dei obligemur (§. 15.), in Philoſophia practica autem univerſali demonſtratur, qualis ſit obligatio naturalis (§. 152. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), idque in Jure naturæ quoad particularia uberrime declaratur, & in Theologia naturali oſtenditur, ad quænam homo tanquam creatura Dei obligetur (§. 987. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), idque in parte tertia Ethicæ uberius exponitur; *Qui obligationem, qua tanquam homo & tanquam creatura Dei tenetur, agnoſcere vult, ad notitiam ſui intimiorem adſpirans, eam ex Philoſophia practica univerſali, Theologia naturali atque Jure naturæ & Ethicæ parte tertia haurire debet.* *Unde cognitio iſta haurienda.*

Equidem Deus nos tanquam creaturas rationales non ad alia obligat, quam ad quæ ipſa natura humana nos obligat, cum

cum homini præſcribere non potuerit legem naturali contrariam (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum ſtatim in oculos incurrit, ſi quæ in genere de obligatione naturali demonſtravimus in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis conferantur cum iis, quæ in parte prima Theologiæ naturalis oſtendimus de obligatione a voluntate divina veniente; non tamen propterea obligatio naturalis & divina in unum confundenda, ſed utraque ſigillatim ſpectanda, ſiquidem nos noſcere velimus. Alio enim modo cognoſcitur, nos obligatos eſſe ad actiones noſtras ſic & non aliter determinandas, ſi obligationem ex ipſa natura humana derivamus, alio autem, ſi eandem derivemus ex dependentia noſtra a Deo, quam notio creaturæ involvit. Ac præterea non ſaltem obligatio nobis indivulſo nexu inhærens extenditur ad actus, quos ignorare poteſt, qui ſolam obligationem in ſe, citra reſpectum ullum ad Deum conſiderat, ad officia nimirum erga Deum, ſed etiam ſinguli actus, qui pertinent ad officia erga nos atque alios, ſingulari quodam modo ſpecificantur, ut quatenus a nobis committuntur, non maneant iidem, obligatione nimirum a voluntate Dei veniente & officiis erga Deum in eos Influentibus, ut præſtentur tanquam Deo debitum & tanquam cultus divinus. Quamobrem ſi obligationem naturæ noſtræ inhærentem penitus perſpicere velimus, ex Philoſophia practica univerſali, Theologia naturali & parte tertia Ethicæ huc ſpectantia petenda ſunt. Hisce enim perſpicillis uſi demum intelligemus, quidnam ſit homo.

§. 17.

De noſcentia recte gerendi perſonam ſibi impoſitam.

Ad notitiam ſui inprimis requiritur, ut quis probe cognoſcat modum recte gerendi perſonam, quæ ipſi impoſita eſt. Quoniam enim obligamur ad recte agendum (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); perſonam quoque, quæ nobis impoſita eſt, recte gerere tenemur. Immo operam dare debemus, ut eam perſo-

perſonam recte geramus, quam Deus nobis impoſuit (§. 426. *part. 3. Eth.*). Quamobrem cum hoc fieri minime poſſit, niſi probe cognoſcamus modum perſonam iſtam recte gerendi; ad notitiam ſui inprimis requiritur, quoniam non omnibus eadem agenda ſunt, ut probe cognoſcamus modum perſonam recte gerendi, quæ nobis impoſita eſt.

Homines ſumus, creaturæ Numinis ſupremi ſumus, atque in eo homines omnes conveniunt. Itaque perſonam quandam ipſa natura omnibus hominibus impoſuit, eamque neceſſario gerere tenentur, ad quemcunque demum ſtatum pervenerint, aut providentia divina ipſos evexerit. Quamobrem omnes actiones ſuas ita dirigere tenentur, quemadmodum decet hominem & creaturam Dei, conſequenter quilibet cognoſcere ac perpendere debet, quod ſit homo, quod ſit creatura Dei, ut vivere poſſit vitam hominis & vitam creaturæ Dei. Ac ideo ad notitiam ſui requiritur noſcentia obligationis, qua tanquam homines & qua tanquam creaturæ Dei tenemur (§. 15.). Enimvero cum homines per eſſentiam quoque & naturam ſuam obligentur perfectionem ſuam ſtatusque ſui conjunctis viribus promovere (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & unusquisque ad perfectionem alterius ſtatusque ipſius conferre debeat, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque ſolum ipſi naturæ legi convenienter civitates fuerint conſtitutæ (§. 26. part. 8. *Jur. nat.*), ut jam homines ſint membra civitatis, verum etiam inter gentes ipſa natura inſtituit ſocietatem (§. 7. *Jur. Gent.*), ut quilibet homo, quatenus eſt membrum alicujus civitatis particularis, etiam indirecte ſit membrum civitatis maximæ (§. 10. *Jur. Gent.*), nemini autem ſit prorſus otiandum (§. 515. *part. 1. Jur. nat.*), unius tamen non ſit omnia agere, quemadmodum in corpore humano non omnium organorum eadem eſt functio (§. 527. *part. 1. Jur. nat.*), ideo diverſa admodum naſcuntur vitæ genera (§. 528. *part. 1. Jur. nat.*), pro quorum

diverſitate diverſæ hominibus impoſitæ ſunt perſonæ, in quibus imponendis quamvis quædam relicta ſint arbitrio noſtro (§. 528. 529. *part. 1. Jur. nat.*), pleraque tamen pendent a providentia divina, quatenus nimirum ſtatus noſter, quem a natura habemus, & quem fortuna nobis tribuit, nititur loco, quem in ſerie rerum obtinuimus. Hunc autem unicuique aſſignavit Deus, autor nexus rerum in hoc univerſo (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*), per quem providet rebus omnibus in hoc univerſo (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*). Perſonam itaque ſuam quilibet bene effingere tenetur, quam ut gerat in hoc univerſo Deus voluit (*not.* §. 426. *part. 3. Eth.*). Propterea neceſſe eſt, ut modum eam recte gerendi agnoſcat, qui ſeipſum noſcere voluerit.

§. 18.

De modo recte gerendi perſonam cognoſcendo.

Quoniam ſeipſum noſciturus probe cognoſcere tenetur modum recte gerendi perſonam, quæ ipſi impoſita eſt (§. 17.), cujuslibet vero perſona ſupponit vitæ genus, quod is ſequitur, & ſequi tenetur; *modum recte gerendi perſonam ſibi impoſitam cogniturus diſcere debet, quænam in eo vitæ genere, quod ſequitur, agenda ſint, quænam dotes animi & corporis ad recte agendum requirantur & quomodo iis, quæ ad ſtatum externum ſpectant, eo ſine ſit utendum.*

Diverſa vitæ genera diverſos requirunt habitus, ut officio quisque ſuo rite fungatur. Et virtutes quoque morales, quamvis hominum omnium communes, diverſimode influunt in rectitudinem eorum, quæ unicuique pro vitæ ſuæ genere agenda ſunt, & ipſæ ſingulari quodam modo in diverſis vitæ generibus ſpecificantur. Sed de diverſis vitæ generibus cum jam non ſit ex inſtituto agendum, nec noſtrum eſt in præſenti explicare, quænam unicuique in quocunque vitæ genere tenenda ſint. Trademus tamen paſſim generalia ſuo loco, & de quibusdam vitæ generibus in ſpecie quoque in Philoſophia

ſophia civili ſeu Politica demonſtrabimus ea, quæ ad modum perſonam recte gerendi ſpectant, ubi etiam multa occurrent, quæ ad modum quamlibet perſonam bene effingendi cognoſcendum viam commonſtrant. Hic omnino ſufficit, ut noſcamus, quænam notitia ſui exigat, ut conſtet, quamnam ſcientiam ut acquiramoperam dare debeat, qui ſeipſum noſcere voluerit. Ipſa autem experientia loquitur, quantum noceant homines & ſibi, & aliis, quod de modo recte gerendi perſonam ſibi impoſitam minime cogitent, ac in eo fortunæ poteſtati ſeſe ſolos committant. Cum plures perſonæ in eodem individuo phyſico concurrere poſſint; facile patet, quæ de perſona ſua recte effingenda dicuntur, non modo intelligenda eſſe de eo vitæ genere, quod communis ſalutis promovendæ, vel etiam vitæ noſtræ ſuſtentandæ cauſa ſequimur, ſed etiam de perſona morali quacunque alia, veluti quod quis ſit maritus, vel parens, vel paterfamilias, vel ſervus: quo ſpectant ea, quæ de Societatibus ſimplicibus in Oeconomica, quæ vulgo dicitur, & ab aliis pro parte Politicæ habetur, traduntur.

§. 19.

Quoniam ſe noſciturus cognoſcere debet modum recte gerendi perſonam ſibi impoſitam (§. 17.), omnis autem homo ſervus Dei eſt (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*); *ſeipſum noſciturus cognoſcere tenetur modum recte ſerviendi Deo*, conſequenter cum miniſteria ſervi conſiſtant in facienda voluntate domini (§. 1116. *part. 7. Jur. nat.*), Deus autem velit, ut ab hominibus colatur (§. 1121. *part. 1. Jur. nat.*), *modum recte colendi Deum.* *De modo recte ſerviendi Deo cognoſcendo.*

Modum recte colendi Deum expoſuimus in parte tertia Ethicæ, ideoque opus non eſt, ut oſtendamus, quomodo modum recte colendi Deum cognoſcere poſſimus. Sufficit hic agnoſci, ad notitiam ſui pertinere, ut agnoſcamus, nos eſſe ſervos Dei ac propterea obligatos ad ſerviendum Deo. Ser-

Digitized by Google

vus debet domino operas (§. 1080. *part. 7. Jur. nat.*), quas ab ipſo exigit (§. 1116. *part. 7. Jur. nat.*). Operæ præſtantur in utilitatem domini (§. 1107. *part. 7. Jur. nat.*). Deus cum ſit ſibimetipſi ſufficientiſſimus (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indigeat (§. 427. *part. 1. Theol. nat.*); operæ, quas præſtare Deo domino ſuo valet homo, non conſiſtit niſi in directione actionum liberarum ad perfectionem hujus univerſi (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), quod Deus ex ceteris mundis poſſibilibus elegit ob majorem perfectionem, quæ ipſi quam ceteris ineſt (§. 325. *part. 1. Theol. nat.*), propterea quoque volens, ut ipſe homo promoveat perfectionem ſui & aliorum accidentalem (§. 905. 909. 912. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi ergo homo perſonam ſuam qua ſervus Dei bene effingere velit, neceſſe omnino eſt, ut noſcat, ad quænam miniſteria domino ſuo obligetur. Conſtat, quantum homines & generis proſapia, & opibus alios antecellentes, ſibi placeant, ſi Regibus ac Principibus ſervire poſſint, ita ut moleſtia miniſterii transeat in voluptatem. Mirum ergo videri poterat, quod pleriſque adeo moleſtum videatur ſervire Majeſtati divinæ, nec agnoſcatur, quam honorificum ſit eſſe ſervum Dei. Ratio vero non alia eſt, quam ut Majeſtatem divinam non agnoſcant, nulla pompa viſibili oculos incitantem, ſed mentis ſaltem acie contrectabilem, quatenus viſibilia in hoc mundo eam dirigunt in id, quod videri nequit.

§. 20.

De ampliore facultatum, virium ac rerum uſu, auxilioque majore agnoſcendo.

Se noſciturus inquirere tenetur, num ſibi plura in poteſtate ſint, quam aliis, ſeu num ſit amplior facultatum, virium ac rerum uſus, alienumque auxilium majus. Etenim ad notitiam ſui requiritur, ut nobis conſtet, ad quænam tanquam homines obligemur (§. 15.). Enimvero cui plura in poteſtate ſunt, conſequenter cui amplior eſt facultatum, virium ac rerum uſus,

Digitized by Google

uſus, alienumque auxilium majus (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*), ejus major eſt obligatio, quam aliorum (§. 179. *part. 1. Jur. nat.*). Seipſum itaque noſcitnrus inquirere tenetur, num ſibi plura in poteſtate ſint, quam aliis, ſeu num amplior ſit facultatum, virium ac rerum uſus, alienumque auxilium majus.

Nihil homini fruſtra datum, ſive naturæ, ſive fortunæ donum ſit, ſive induſtriæ ac operæ merces. Quicquid quomodocunque habemus, id impendendum eſt in adimpletionem officiorum. Perſonam igitur ſuam bene effingere nequit, niſi qui penitus perſpicit ea, quæ ſunt in poteſtate ſua. Quamobrem ad notitiam ſui utique pertinet, ut noſcamus num plura ſibi ſint in poteſtate, quam aliis: ex poteſtate enim metienda ſunt officia, ultra quam nemo obligatur (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*),

§. 21.

Quoniam ſe noſciturus inquirere tenetur, num ſibi plura in poteſtate ſint, quam aliis, ſeu num ſit amplior facultatum, virium ac rerum uſus, alienumque auxilium majus (§. 20.), id vero nobis conſtare nequit, niſi alios eorumque ſtatum noſcamus & quæ ipſis ſunt cum iis comparemus, quæ nos habemus, quod per ſe patet; *qui ſe noſcitnrus inquirere vult, num ſibi plura in poteſtate ſint, quam aliis, aliorum dotes atque ſtatum cognoſcere & cum dotibus ſuis ſtatuque ſuo conferre tenetur.*

Medium cognoſcendi, num ſibi plura, quam aliis in poteſtate ſint.

Cum officia metienda ſint ex iis, quæ in poteſtate noſtra ſunt (not. §. 20.), horum vero alia per ſe patent, veluti res, quas habemus, & auxilium, quod ab aliis expectare poſſumus, alia vero per tentamina ſolerter inſtituta nobis innoteſcunt, veluti facultatum ac virium uſus, non opus videtur, ut demum aliorum dotes atque ſtatum cognoſcere ſtudeamus

atque cum dotibus & ſtatu noſtro comparemus, absque dedita hac opera officia noſtra adimpleturi & perſonam noſtram recte geſturi. Enimvero cum hic agatur de medio cognoſcendi, num ſibi plura, quam aliis in poteſtate ſint, conſequenter num major ſit noſtra, quam aliorum obligatio, eademque ad plura extendatur; non acquieſcendum eſt in iis, quæ ſufficere poterant, ſed addenda quoque ſunt, quæ noſcentiam facilitant & alio adhuc fine proſunt. Nihil ſane frequentius eſt, quam ut homines abunde ſibi videantur ſatisfeciſſe officio ſuo, ſi fecerint quod faciunt alii, quibus eadem quæ ſibi impoſita eſt perſona, non attendentes num plura præſtare in poteſtate ſua ſit. Ne igitur in perſona noſtra bene effingenda operam noſtram deſiderari patiamur, neceſſe omnino eſt, ne aliorum exemplum metiamur ex dotibus & ſtatu ipſorum, ſed ex dotibus noſtris ſtatuque noſtro, ideoque ea, quæ ſunt aliis, conferenda ſunt cum his, quæ nos habemus. Ita nimirum agnoſcuntur facilius obligationes propriæ (§. 186. *part. 2. Jur. nat.*). Notandum vero cum perſonam moralem faciant obligationes ac inde reſultantia jura (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*); per obligationes proprias ſubinde hominibus imponi perſonam peculiarem, qui alias cum aliis ejusdem ſunt conditionis. Ita fieri poteſt, ut, cui perſonam Profeſſoris in Academia impoſuit Princeps, eidem perſonam Profeſſoris generis humani impoſuerit natura, ſeu autor ejus Deus.

§. 22.

Notitiæ ſui utilitas in cognitione profectuum in bono & defectuum.

Notitia ſui hominem docet, quantum in bono profecerit, quantum adhuc deficiat. Qui enim ſeipſum noſcit, ei quoque cogniti ſunt habitus, quos acquiſivit (§. 3.), conſequenter quantum perfecerit facultates animæ (§. 209. *part. 1, Jur. nat.*). Quamobrem cum id, quod perficit animam, bonum ſit (§. 554. *Pſych. empir.*); notitia ſui hominem docet, quantum in bono profecerit. *Quod erat unum.*

Enim-

Digitized by Google

Enimvero cum habitus perfici poſſe conſtet, & quales ſint, ex actionibus noſtris iisque, quæ fecimus, agnoſcamus (§. 12.), præſertim ſi actiones noſtras & a nobis facta cum actionibus & factis aliorum comparemus (§. 13.); noſcentia ſui nos quoque docet, quantum adhuc a meta diſtemus, ad quam contendimus. Quodſi contingat, habitus quosdam a nobis acquiſitos eſſe malos; eosdem dediſcendos & contrarios acquirendos eſſe conſtat. Quamobrem patet, notitiam ſui hominem quoque docere, quantum adhuc in bono deficiat. *Quod erat alterum.*

Qui culturam virtutis, conſequenter felicitatem ſuam curæ cordique habet (§. 400. *part 1. Phil. pract. univ.*), ejus plurimum intereſt noſſe, quantum in bono profecerit, quantum adhuc deficiat. Ita nimirum accenditur ardor plus proficiendi & quod malum eſt emendandi. Quamobrem ne in notitia ſui deprehendatur defectus, qui evitari poterat; animus attendendus eſt ad omnes actiones noſtras & hæ ad examen revocandæ ſunt perpendendo ſingulas circumſtantias, quæ conſtantiam & perpetuitatem voluntatis atque noluntatis produnt: ita enim demum patebit, qualis ſit habitus a nobis acquiſitus, & quænam adhuc minus recte fecerimus. Curam hanc cum vulgo homines tanquam moleſtam abjiciant, ſoli fortunæ directionem actionum ſuarum relinquentes; non eſt quod miremur, eos ad hanc perfectionem non pervenire, ad quam pervenire potuiſſent, ſi illam notitiæ ſui accommodare voluiſſent. Memini, me in notis ad orationem de Sinarum philoſophia practica monuiſſe, quod *Confucius*, actionum ſuarum ſeveriſſimus cenſor, ſollicite inquiſiverit, quantum in bono profecerit, & ſingulis decenniis acquiſitos perfectionis gradus diſcipulos ſuos ingenue docuerit, quibus major videri nolebat, quam erat, ferre nolens laudes immeritas ſibi tributas judicio ſuo. Sincerus enim virtutis cultor diſcipulos ſuos ſibi ſimiles facere intendebat.

§. 23.

§. 23.

Quomodo notitia ſui faciat ad beatitudinis conſervationem & incrementum.

Quoniam notitia ſui hominem docet, quantum in bono profecerit, quantum adhuc deficiat (§. 22.), beatitudo autem hominis, ſeu ſummum ejus bonum in non impedito progreſſu ad majores continuo perfectiones conſiſtit (§. 374. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *notitia ſui facit ad beatitudinem, ſeu ſummum bonum conſequendum & conſervandum*, tum quatenus agenti circumſpectionem inſinuat, ne ab itinere virtutis exorbitet, tum quatenus ſtimulus eidem additur ut ulterius progrediatur, tum quatenus curam emendationis injicit, ne in malo perſiſtat, conſequenter cum ſummum malum conſiſtat in continuo progreſſu ad majores indies imperfectiones (§. 375. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *notitia quoque ſui facit ad vitandum ſummum malum.*

Maximum itaque momentum in Ethica habet notitia ſui, in qua potiſſimum intenditur ſummi boni conſequutio ac fruitio & ſummi mali evitatio. Eſt autem hæc ipſa boni ſummi conſequutio atque fruitio & ſummi mali vitatio motivum notitiæ ſui, quatenus ſummum bonum cum vera voluptate conſtanter conjungitur (§. 393. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ejus fruitio gaudium facit conſtans ac perpetuum (§. 394. *part. 1. Phil. pract. univ.*), appetitus vero hominis per naturam ſuam fertur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui ſtatus eſt, in quo voluptas vera, conſequenter gaudium (§. 614. *Pſych. empir.*) perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui ſapit, in noſcentia ſui operam indefeſſam collocat, ad actiones ſuas tam poſitivas, quam privativas omnem attentionem afferens. Influit autem viciſſim notitia ſui in beatitudinis conſequutionem & fruitionem per modum medii, quatenus accendit ardorem ſeſe continuo magis magisque perficiendi & circumſpectionem agentis continuo magis magisque auget, atque virtutem amabilem reddit, quam

Digitized by Google

quam voluptatis veræ creatricem experimur. Tanta enim deprehenditur voluptatis hujus dulcedo, ut cum ea nulla alia comparari poſſit. Aſt nemo a nobis requirat, ut dulcedinis hujus rationibus ipſum convincamus, quæ non magis intelligitur, quam dulcedo ſachari aut mellis, niſi quis operam det, ut eam præſentem ſibi percipiat.

§. 24.

Maximum beatitudinis impedimentum & quando tollatur.

Quoniam notitia ſui hominem docet, quantum in bono profecerimus, quantum adhuc deficiamus (§. 22.), ne autem ulterius progrediamur ad majorem perfectionem continuo contendentes maxime obſtat, ſi nobis jam conſecuti videamur, quod adhuc conſequi debemus; *beatitudinis conſequendæ maximum impedimentum eſt, ſi nos ad eam perfectionem jam perveniſſe putamus, a qua procul adhuc abſumus* (§. 374. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); conſequenter cum notitia ſui faciat ad ſummi boni conſecutionem (§. 23.), *notitia ſui tollitur maximum impedimentum beatitudinis conſequendæ*, ſeu, *qui impediri non vult, quo minus beatitudinem conſequatur, ſeipſum noſcere debet.* Quamobrem cum notitia ſui multa admodum requirat, *per huc usque demonſtrata*, conſequenter facile contingat, ut multis modis deficiat; *quo accuratior fuerit notitia ſui, eo facilius quoque cavebitur, ne ſummi boni conſecutio impediatur*, ideoque *in notitiam ſui perficiendam operas aſſiduas dare tenemur.*

Quod vulgo dicitur: Multi ad ſcientiam perveniſſent, niſi ſe jam perveniſſe putaſſent; id de omni habitu acquirendo, immo de omni eo, quod acquiri debet, intelligendum, ubi vana quædam ſpecies nobis illudere poteſt. Atque hinc elucet neceſſitas notitiæ ſui ipſius, ſi beatitudinis compotes fieri velimus, quæ in nos cadere poteſt. Nihil fere magis negligitur quam notitia ſui. Quid ergo mirum, quod de beatitudine conſequenda tam pauci cogitent, & tam multi ſibi videantur

deantur eam conſecuti, qui ad eam nondum pervenerunt: qui error multorum vitiorum fomes eſt, quemadmodum ex particularibus ſuo loco commemorandis luculentius patebit.

§. 25.

Vita beata quid ſit.

Vita beata dicitur ſummi boni fruitio. Quoniam itaque beatitudo ſive ſummum bonum conſiſtit in continuo progreſſu ad majores indies perfectiones (§. 374. *part. 1. Phil. pract univ.*), voluptate autem perfunditur animus, ſi perfectionis noſtræ nobis fuerimus conſcii (§. 511. *Pſych. empir.*), tanto quidem majore, quanto major fuerit perfectio (§. 516. *Pſych. empir.*), ideoque voluptatis inextingvibilis perceptio beatitudinis fructus eſt; *qui vitam beatam vivere vult, perfectionem, quam acquiſivit, conſiderare tenetur.*

Vita beata ad animam refertur, quæ ſola voluptatis capax eſt. Conſiſtit vita animæ in evolutione idearum, ideoque vita beata in evolutione idearum perfectionum acquiſitarum, quæ voluptatem inextingvibilem offert, ut ſummo bono, quod in nos cadere poteſt, fruamur. Quamobrem ſi ſummo bono frui, conſequenter beate vivere velimus, quantum datur, non ſufficit ſe perficere ac in itinere ſe perficiendi continuo pergere, ſed neceſſe quoque eſt, ut attentio ad perfectionem, quam conſecuti ſumus, & ad incrementa, quæ capit, conſtanter conſervetur, ac ſollicite caveatur, ne objecta alia, quæ nobis blandiuntur, eam ad ſe trahant. Summo bono cum fruamur, quatenus perfectione, ad quam continuo progredimur, delectamur, quando vero voluptate in uſu ſui non peritura fruimur, revera felices ſimus (§. 636. *Pſych. empir.*); ideo contingit, ut beatitudo a felicitate, ejus fructu, non diſtingvatur, & beatus idem dicatur qui felix putatur. Aſt noſtrum eſt accurate a ſe invicem diſtingvere, quæ diverſa ſunt, præſertim ſi id fiat non abſque utilitate, immo neceſſitate. Sane ut maneamus in his, quæ

quæ in præſenti dicta ſunt, quamvis qui continuo ſe magis magisque perficere ſtudet, habitu incrementa capiente non habeat animum ab omni voluptate prorſus vacuum, ſaltem nulla moleſtia inquietatum, nondum tamen fruitur ſuo bono, quemadmodum poterat, quia quod acquiſivit non conſiderat tanquam bonum, nec ejus magnitudinem æſtimat, neque de pretio eidem ſtatuendo cogitat, aut animum ad id prorſus non attendit. Beatitudine igitur, ſeu ſummo bono non fruitur. Quamobrem patet, aliud eſſe ſummi boni fieri compotem, aliud vero eſſe eodem frui, ſit ita quod quidam ejus fructus indivulſus quaſi comes ſit ſummi boni. Quodſi ergo vitam beatam vivere velis, neceſſe eſt ut beatitudine fruaris.

§. 26.

De notitia ſui ad vitam beatam requiſita.

Quoniam qui vitam beatam vivere vult, perfectionem, quam acquiſivit, conſiderare tenetur (§. 25.), qui autem eam cognoſcit, ſeipſum noſcit (§. 3.); *ad vitam beatam requiritur notitia ſui*, ſeu *qui vitam beatam vivere vult, ſeipſum noſcere tenetur.* Idem quoque oſtenditur hoc modo: Vita beata conſiſtit in fruitione ſummi boni (§. 25.). Aſt ad ſummi boni conſecutionem requiritur notitia ſui (§. 23.). Ergo notitia ſui requiritur ad vitam beatam.

Beate vivere volunt omnes; aſt quid ſit beata vita non pervident. Caligationis fons eſt ignorantia ſui. Qui enim ſe non noſcit, is non agnoſcit, quinam ſit, et quomodo perſonam ſuam recte gerere debeat, ut ſit beatus & beatitudinis fruitione vitam beatam conſequatur (§. 15. *et ſeqq.*). Unde contingit, ut, dum de vita beata per errorem judicant, via lapſus ſit, &, quemadmodum recte obſervat *Seneca*, eo longius ab ea recedant, quo ad illam citatius feruntur. Hæc igitur avia ſi vitanda, a noſcentia ſui exordiendum: neque enim ſine notitia ſui vita beata intelligitur poſſibilis, nec quid ſit, quantum ſatis eſt, comprehenditur.

Digitized by Google

§. 27.

De discernendis amissibilibus ab iis, quæ nulla vi nobis eripi possunt.

Seipsum nosciturus discernere debet ea, quæ sunt amissibilia tam culpa sua, quam casu contingente sive fortuito, sive quem culpa quædam nostra prægreditur, ab his, quæ amitti non possunt, vel quorum conservatio in potestate sua est. Qui enim seipsum noscere vult, cognoscere tenetur tum ea, quæ natura sibi insunt qua animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquisita, tum quæ ad statum externum pertinent (§. 3.). Quodsi igitur hæc cognoscere velimus, necesse omnino est ut nobis constet, qualia sint. Quamobrem cum ea, quæ per naturam insunt, nimirum essentialia & attributa animæ, sint necessaria absolute (§. 303. 304. *Ontol.*), habitus vero animæ acquisiti diu quidem intermisso ipsorum usu amitti (§. 432. *Psych. empir.*), continuo tamen usu conservari & perfici possint (§. 431. *Psych. empir.*), nec ulli homini, neque rei ulli extra nos positæ vis ulla sit in animam nostram, aut ea, quæ eidem insunt, corpus vero nostrum & ea omnia, quæ ad statum externum referuntur, fortunæ potestati subjecta deprehendantur, & casus, qui in hisce contingunt, vel mere fortuiti sint, vel a culpa nostra dependeant, quædam etiam sola culpa nostra contingant, quemadmodum experientia optima talium rerum magistra nos docet; ideo quædam, quæ habemus, a nobis amitti non possunt, quædam culpa nostra, quædam vero casu quodam contingente sive fortuito, sive quem culpa quædam nostra prægreditur, amissibilia sunt, quorundam denique conservatio in potestate nostra est. Nos ipsos igitur noscituri discernere debemus ea, quæ sunt amissibilia tam culpa nostra, quam casu contingente sive fortuito, sive quem culpa quædam nostra prægreditur, ab iis, quæ amitti non possunt, vel quorum conservatio in potestate nostra est.

Notitia

Notitia ſui non ſolius curioſitatis cauſa comparanda, ſed felicitatis gratia, ut animum quietum, imperturbatum ac lætum conſervemus, ſapiente actionum noſtrarum directione, quas ſolas in poteſtate noſtra deprehendimus. Quamobrem maximum momentum habet in praxi morali, ut penitus perſpiciamus, quænam bona poteſtati noſtræ, quænam poteſtati fortunæ ſubjecta ſint, ut de eorum conſervatione & amiſſione accuratum judicium ferre valeamus, quo indigemus ad beatam vitam. Experimur indies, quantum homines noceant tranquillitati animi, in quænam vitia incidant, quam parum denique culpam vitare ſtudeant, ſi ea, quæ diſcernenda eſſe diximus, a ſe invicem minime diſcernunt. Et ex ſequenti tractatione, quando ad particularia deſcendemus, abunde patebit, quemnam uſum habeat iſta notitia, & quantum noceat diſcriminis illius ignorantia, vel inſuper habita animadverſio. Poſſidemus ea, quæ habemus, ſive nobis inſint, ſive extra nos poſita, aut ad alios referantur, veluti amicitia, patrocinium, honor, gloria. Aſt cum non omnium eadem ſit poſſeſſio, differentia poſſeſſionis perſpicienda eſt, ſi nos tanquam horum poſſeſſores cognoſcere velimus. Nemo igitur in dubium vocare poteſt, ejus notitiam ad noſcentiam ſui requiri, qua non aliud intenditur, quam ut nobis conſtet, quales ſimus, conſequenter etiam quales ſimus eorum, quæ habemus, poſſeſſores. Quodſi objicias, contingere quoque poſſe, ut quis fiat amens, vel furioſus, id quod evitare in poteſtate hominis non ſit; ſumamus interea id evitari non poſſe, ferentibus ita fatis, cum hactenus nec affirmativa, nec negativa demonſtrata ſit: attamen caſus iſte rariſſimus juxta leges probabilitatis pro nullo habendus, quamvis non negemus, eundem quoque in nonnullis officiis attendendum eſſe. Pendet vero hoc ab eo quod corpori accidit, quod rerum extra nos poſitarum poteſtati ſubjectum eſſe conſtat, conſequenter ejus ratio habetur, ubi conſideramus ſtatum corporis noſtri internum, ut pateat, quantum is a nobis dependeat, quantum ab aliis extra nos poſitis. Vide,

quæ ſupra de ratione ſufficiente eorum, quæ ſunt, annotavimus (*not. §.* 11.).

§. 28.

Quomodo notitia illa acquirenda.

Quoniam ſe noſciturus diſcernere debet ea, quæ ſunt amiſſibilia tam culpa ſua, quam caſu contingente ſive fortuito, ſive quem culpa quædam noſtra prægreditur, ab iis, quorum conſervatio in poteſtate noſtra eſt (§. 27.), indies autem accidit, ut homines culpa ſua, quæ habent, amittant, caſusque contingant tam mere fortuiti, quam quos culpa hominum prægreditur, illis, quæ habent, funeſti; *ſeipſos noſciturus animum ſedulo attendere debet ad caſus, qui contingunt, hominibus atque iis, quæ habent, infeſtos*, ut nimirum intelligat, quot modis, quæ nobis ſunt, amitti poſſint, *tum etiam inquirere in culpam hominum, ſi qua concurrit, & quorum amiſſio culpæ ſoli tribuenda ſit, immo etiam obſervare, quandonam fortunam ſibi faventem experti fuerint alii, ne culpa nocuerit.*

Caſuum illorum ſive mere fortuitorum, ſive cum culpæ hominum concurſu copulatorum, immo etiam damnorum ſoli culpæ tribuendorum deſcriptio pars quædam hiſtoriæ naturalis eſt atque civilis, quæ dicitur. Quamobrem etiam morali quoque eſt, ut iſtiusmodi caſus memoriæ mandentur in ſcripturam redactæ, atque libri iſtiusmodi legendi ab iis, qui notitiam ſui curæ cordique habent. Quoniam tamen experientia domeſtica omnium maxime vim ſuam exerit in animos hominum; animus inprimis attendendus eſt ad ea, quæ noſtro tempore contingunt, eademque probe conſideranda ſunt. Neque enim nudi ſpectatores eſſe debemus eorum, quæ indies fiunt, ſed obſervationes in uſum noſtrum vertere tenemur.

§. 29.

Digitized by Google

§. 29.

Notitia ſui voluptatem creat, ſi perpendimus bona, quæ habemus, & incitat ad conſervanda ea, quorum conſervatio in poteſtate noſtra eſt, aut, ſi ea non prorſus a nobis dependet, circumſpectionem inſinuat, ne culpa noſtra eorum jacturam faciamus. Qui enim ſe noſcit, omnia agnoſcit bona tam animi, quam corporis atque fortunæ, quæ habet (§. 3. *h.* & §. 556. *Pſych. empir.*), ſive ſint naturæ ac fortunæ donum, ſive laboris atque induſtriæ merces. Quamobrem cum ex bono voluptas percipiatur, quando cognoſcitur (§. 558. *Pſych. empir.*), naſcaturque amor Dei, ſi conſideremus ea, quæ natura, cujus autor Deus eſt (§. 823. *part. 1. Theol. nat.*) & fortuna, quæ providentiæ divinæ ſubeſt (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*), nobis dedit (§. 228. *part. 3. Eth.*), amor benefactoris, quatenus aliorum beneficio ea conſecuti ſumus (§. 377. *part. 2. Eth.*) & acquieſcentia in ſeipſo, quatenus ſunt fructus operæ ac induſtriæ noſtræ (§. 353. *part. 2. Eth.*), affectus jucundi, cum inſigni voluptatis gradu conjuncti (§. 605. 608. *Pſych. empir.*); notitia ſui voluptatem creat, ſi bona perpendimus, quæ habemus. *Quod erat primum.* *Quomodo notitia ſui voluptatem creet & bonorum conſervationem juvet.*

Jactura boni cum malum ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), malum vero, quamprimum id cognoſcimus, averſemur (§. 590. *Pſych. empir.*); naturæ hominis repugnat, ut velit bonorum, quæ habet, jacturam facere, conſequenter potius ea conſervari vult. Quodſi ergo cognoſcat, eorum conſervationem in poteſtate ſua eſſe; ea facere decernit, quæ ut conſerventur ex parte ſui requiruntur. Quoniam itaque notitia ſui docet, quorumnam conſervatio in poteſtate noſtra ſit (§. 27.); eadem nos incitat ad ea conſervanda. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi

Quodſi vero dentur caſus, qui contingere poſſunt in bonis, quæ habemus, & caſus hos prægredi poteſt culpa aliqua, qua non admiſſa minime exiſtunt, eadem vero bona etiam culpa noſtra ſola amitti poſſunt; cum eorum conſervationem appetamus, jacturam vero averſemur, *per demonſtrata n. 2.* ideo ſolliciti ſumus, ne illa culpa noſtra amittamus. Quamobrem cum qui ſe noſcit agnoſcat, quomodo ea, quæ habet, culpa ſua amittere poſſit, & quomodo culpa ſua in iisdem contingere poſſit caſus (§. 27.); notitia ſui circumſpectionem inſinuat, ne culpa noſtra faciamus jacturam eorum, quorum conſervatio in poteſtate noſtra non eſt, ſed potius fortunæ poteſtati ſubjecta. *Quod erat tertium.*

Notitiam ſui eſſe voluptatis creatricem ſatis manifeſtum eſt: quod vero pauci hoc capiant, non eſt quod miremur. Etenim vel ſe noſcere negligunt, ideoque ignorant bona, quæ habent, aut iis perpendendis nihil temporis impendunt, conſequenter uſum, quem facere poterant atque debebant, negligunt. Bonis ſuis nemo delectatur, niſi qui agnoſcit, ea eſſe bona, id quod notionem boni ſupponit, atque ea ad animum ſibi revocat. Conſtat vero perpaucos eſſe, qui rationis lumine uſi bona dijudicant, & verum iisdem pretium ſtatuunt, & plerosque contentos eſſe, quod bona quædam poſſident, non vero inde perfectionem ſui ſtatusque ſui æſtimant. Nullus itaque dubito fore permultos, qui notitiam ſui voluptatis creatricem agnituri non ſunt. In horum numero ſunt omnes, quibus vix nota eſt voluptas alia, quam qua ſenſus delectantur, & quos non trahit alia voluptas, quam quæ erronea quadam boni notione, aut ſaltem perverſa ejus applicatione nititur. Supponit autem notitia ſui ut de eo, quod bonum eſt, & quatenus quid bonum habendum ſit, ex veritate ſtatuas. Ad notitiam itaque ſui conducunt, quæ de diverſitate bonorum in parte tertia Ethicæ prolixe demonſtrata

ſtrata ſunt. Homini naturale eſſe, ut, ſi qua habeat bona, iis privari nolit, infantes ac pueri infantiæ proximi docent appetitum conſervandi bona ſatis prodentes. Quodſi enim ipſis auferas, quod eos delectat, ploratum edunt. Si vero adulti parum curæ habent jacturam bonorum, non una ratio eſt, cur inſtinctus naturalis, qui in pueris atque infantibus non impeditur, vincatur a cupiditatibus aliis, vel culpa quadam veluti ſopiatur. Non damus exempla, quia ſuis locis talia occurrent in ſequentibus. Appetitui conſervandi bona convenit, quod vulgo pro comperto habeatur, neminem jactare bona ſua, & quod homines tum maxime liberales putentur, quando morituri ſunt. Aſt quod ante diximus, hominem noſſe debere bona ſua, ſi iisdem delectari debet, id etiam hic tenendum. Inſtinctus autem naturalis conſervandi bona non erit incitamentum ad ſtudium ad conſervationem adhibendum, niſi perpendas ea eſſe amiſſibilia & conſervationem eſſe in tua poteſtate ſi non ex toto, ſaltem ex parte, ne culpa tua jacturam facias. Incitamentum vero hoc pariet circumſpectionem ad vitationem culpæ neceſſariam. Diſcimus autem, qua circumſpectione opus ſit, ſi ſedulo obſervemus, quænam culpa hæreat in aliis, qui jacturam bonorum, quibus gaudemus, faciunt. Ex alieno nimirum caſu diſcendum, quod vites: nimis tarde ſapiunt, qui ex caſu ſuo id diſcere volunt & de iis prorſus deſperandum, qui ne quidem ex ſuo ſapere volunt.

§. 30.

Notitia ſui impedit, quo minus moleſtia afficiamur, ſi qua nobis deſunt, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, ſive naturæ, ſive fortunæ dona, aut ſi qua amittantur, quorum conſervatio in poteſtate non eſt. Etenim qui ſeipſum noſcit, tam ea, quæ natura ſibi inſunt qua animam & corpus, quam quomodocunque acquiſita ſive ad ſe, ſive ad ſtatum ſuum externum pertinentia cognoſcit (§. 3.), & in iis, quæ acquiſivit, vel quæ con-

Quod notitia ſui moleſtiam detrahat carentiæ eorum, quæ in poteſtate noſtra non ſunt.

contingunt, accurate a ſe invicem diſcernit, quæ a ſe dependent, & quæ poteſtati ſuæ non ſubſunt (§. 5. *& ſeqq.*), ſimulque agnoſcit, quorum conſervatio in poteſtate ſua non eſt (§. 27.). Quamobrem cum ipſi exploratum ſit, ſibi impoſſibile eſſe ut acquirat, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 75. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quæ natura, vel fortuna ſibi denegat, vel etiam conſervet, quorum conſervatio in poteſtate ſua non eſt, impedire minime valens caſum, quo amittuntur, abſurdum vero ſit ea appetere, quæ conſequi non poſſumus, aut impedire velle, quæ impedire nobis impoſſibile, conſequenter non minus abſurdum ſit torquere animum propter ea, quæ acquiſitu nobis impoſſibilia ſunt, aut quæ quo minus amitterentur impoſſibile nobis fuit; qui ſeipſum noſcit, moleſtia non afficitur, ſi qua ſibi deſunt, quæ in poteſtate ſua non ſunt, ſive naturæ, ſive fortunæ dona, aut ſi qua amittantur, quorum conſervatio in poteſtate ſua non eſt. Quoniam præterea qui ſe noſcit, etiam cognoſcit modum recte colendi Deum (§. 19.) & ad quænam tanquam creatura Dei obligatur (§. 15.); ſe in providentia divina acquieſcere debere agnoſcit (§. 1201. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in providentia divina acquieſcens ſorte ſua contentus ſit, & ſi qua ſibi eveniunt mala, ea animo tranquillo fert (§. 438. *part. 3. Eth.*), eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime dependent, approbans (§. 437. *part. 3. Eth.*); ideo nec inquietatur animus, ſi videt, quædam ſibi deeſſe naturæ, vel fortunæ dona, aut caſu quodam inevitabili ſe amiſiſſe, quorum conſervatio in poteſtate ſua non erat. Patet itaque notitiam ſui impedire, quo minus moleſtia afficiamur, ſi qua nobis deſunt, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, ſive naturæ, ſive fortunæ dona, aut ſi qua amittantur, quæ in poteſtate noſtra non ſunt.

Quam

Quam abſurdum ſit velle, ut Deus nobis alias dederit dotes naturales, quam quas habemus, aut aliam corporis formam, robur majus, aut ut nobis alium tribuerit in hac ſerie locum, & alius ſit rerum & conditionis noſtræ ſtatus, alibi jam demonſtravimus & uberrime expoſuimus (§. 430. 432. *part. 3. Eth.*). Qui ſe noſcere vult, impoſſibilitatem eorum agnoſcere tenetur (§. 429. 431. *part. 3. Eth.*). Quodſi quidam ſint, qui arbitrantur, nos notitiæ ſui tribuere, quæ ab ea minime expectanda, nec vim demonſtrationis præſentis capiunt; illi agnoſcant, ſe ad notitiam ſui nondum perveniſſe, ac tacite ſumere tanquam poſſibilia, quæ impoſſibilia ſunt, & abſurdarum cupiditatum impetu abreptos ſomniare, quaſi in alio ſtatu feliciores ſint futuri, quam in præſenti eſſe poſſunt (§. 428. *part. 3. Eth.*), variisque erroribus implicitos felicitatem veram non internoſcere. Neque vero quis exiſtimet, quaſi in demonſtratione recurramus ad acquieſcentiam in providentia divina, ut notitiæ ſui fœneremus vim, quam non habet. Ad notitiam enim ſui etiam requiritur, ut agnoſcamus, ad quænam tanquam creaturæ Dei obligemur (§. 15.) & quomodo Deo recte ſerviamus (§. 19.). Qui ſeipſum noſcere ſtudet, dependentiam ſuam quoque a Deo agnoſcere tenetur, ac per conſequens quænam ipſi vi ejusdem inhæreat obligatio, ſicuti ſervus ſtatum ſuum ſervilem agnoſcat opus eſt, ſi noſcere debet, quinam ſit.

§. 31.

Sine agnitione Dei manca eſt notitia ſui. Qui enim ſe noſcere vult, cum ſit creatura (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*) & ſervus Dei (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*), agnoſcere quoque debet, ſe eſſe creaturam & ſervum Dei, & quæ propterea ipſi tanquam creaturæ (§. 15.) & ſervo Dei inhæreat obligatio (§. 19.), ita demum agnoſcens, qualem perſonam gerat, cujus recte gerendæ modus a notitia ſui ſeparari nequit (§. 17.). Enimvero quænam ſit hominis a Deo dependen- *De agnitionis Dei ad notitiam ſui neceſſitate.*

Digitized by Google

tia, & quæ vi ejusdem ipſi indivulſo nexu cohæreat obligatio, cognoſci nequit, niſi agnoſcatur Deus. Quamobrem patet, ſine agnitione Dei mancam eſſe notitiam ſui.

Agnitio Dei cum noſcentia ſui conjungenda: neque enim ſine illa notitia ſui perfecta eſſe poteſt, nec ab hac ſperanda utilitas, quam promittit. Qui ergo hanc copulationem inſuper habent, ſi ea, quæ de notitia ſui demonſtramus, in ſe non experiantur, non eſt quod mirentur. Quæ enim de virtutibus quibuscunque demonſtramus, ea ex notione ipſarum deducuntur, ideoque ſupponitur, virtutem nullo laborare defectu, ſed adeſſe omnia ad eam requiſita.

§. 32.

Cur ignorantia Dei & atheiſmus obſtet notitiæ ſui.

Quoniam ſine agnitione Dei notitia ſui manca eſt (§. 31.), atheus vero exiſtentiam Dei negat (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*); *Qui Deum exiſtere ignorat & qui atheus eſt, ad perfectam ſui notitiam pervenire nequit.*

Qui ignorat dari Deum, aut Deum exiſtere negat, is nec agnoſcit, ſe eſſe creaturam & ſervum Dei, conſequenter nec agnoſcit obligationem, quæ ſibi tanquam creaturæ, quæ tanquam ſervo Dei inhæret: quæ tamen cognitio ad notitiam ſui requiritur (§. 15. 19.). Ignorat igitur, qualis ſit perſona, quam gerere debet in hoc univerſo, ideoque notitia ſui, quantacunque demum ſit, multo laborat defectu. Quamobrem nec fieri poteſt, ut perſonam ſuam perfecte tueatur.

§. 33.

Quid homo ſit in hypotheſi Materialiſtæ athei.

Materialiſta atheus hominem eſſe putat machinam, quæ cæco caſu regitur. Etenim materialiſta non admittit niſi exiſtentiam corporum (§. 33. *Pſych. rat.*), ideoque nec hominem niſi pro puro puto corpore habet. Quoniam igitur corpus omne, præſertim organicum (§. 274. *Coſmol.*), machina

eſt

eſt (§. 120. *Coſmol.*); materialiſta hominem machinam eſſe putat. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi materialiſta fuerit atheus, Deum (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque etiam providentiam divinam negat (§. 463. *part. 2. Theol. nat.*), caſui tribuens, quæ providentiæ divinæ tribuenda erant (§. 464. *part. 2. Theol. nat.*). Quamobrem cum omnia, quæ naturaliter fiunt, ſecundum providentiam divinam fiant (§. 930. *part. 1. Theol. nat.*); omnia in mundo caſu fieri putat. Sapientiam igitur Dei, qua is rebus omnibus providet in hoc univerſo (§. 925. *part. 1. Theol. nat.*), vi nimirum nexus rerum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), ſapientia ipſius conſtituti (§. 666. *part. 1. Theol. nat.*), non agnoſcens, quicquid in mundo fit, nullo conſilio, ideoque cœco caſu fieri exiſtimat. Enimvero cum videat, nos non ſentire, niſi quando objecta ſenſibilia, hoc eſt, corpora nos circumſtantia, in organa ſenſoria agunt, & a ſenſationibus procedere appetitiones (§. 64. *Pſych. rat.*), conſequenter motus organorum corporis iisdem reſpondentes (§. 953. *Pſych. empir.*); hoſce motus corporis a corporibus circumſtantibus determinari arbitratur. Quoniam itaque regimur ab eo, qui actiones noſtras pro lubitu ſuo determinat (§. 194. 218. *part. 7. Jur. nat.*), hominem cœco caſu regi ſtatuit. Habet vero materialiſta atheus hominem pro machina, *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem putat, hominem eſſe machinam, quæ cœco caſu regitur. *Quod erat alterum.*

Corpus noſtrum utique machina eſt, nec materialiſta hoc affirmans errat. Vi ſyſtematis harmoniæ præſtabilitæ motus appetitionibus reſpondentes per mechanismum corporis conſequuntur §. 615. *Pſych. rat.*), nec in eo abſurditatis argui poteſt materialiſta. Error ſaltem in eo eſt, quod moribus in corpore contingentibus ineſſe precario ſumit, quæ animæ tri-

buenda ſunt, nimirum perceptiones & appetitiones, quæ motibus iſtis reſpondent, cum apperceptionibus. Errat igitur, dum affirmat, quod totus homo non ſit niſi machina, cum ſaltem pars ejus ignobilior, nimirum corpus, machina ſit. Notandum vero, nos de materialiſta atheo agere in abſtracto, ideoque eidem tribuere, quæ ex ipſius hypotheſibus conſequuntur: talia enim enti tribuenda ſunt prædicata, quæ ex ejusdem notione conſequuntur. Quodſi hypotheſes ſuas intelligit, nec artis ratiocinandi prorſus ignarus fuerit, ea, quæ inde per neceſſariam conſequentiam deducuntur, etiam admittet, immo cum veras eſſe putet hypotheſes ſuas, eadem quoque pro vero habebit. Enimvero cum multi amplectantur hypotheſes, quarum vim & poteſtatem non capiunt, nec intellectum ſyſtematicum habent; contradictorii ingenii homines miſcere ſolent, quæ ſimul eſſe nequeunt, non ſolum errores, quorum unus alterum tollit, verum etiam vera falſis. Hinc videas materialiſtas, aut ſaltem ſcepticiſmum de immaterialitate animæ defendentes, qui libertatem animæ tanquam pro aris & focis propugnant, cum tamen impoſſibile ſit, ut homo gaudeat libertate agendi, ſi non ſit niſi corpus. Similiter non deſunt, qui materialitatem animæ defendunt; hoc tamen non obſtante atheismi poſtulant eos, qui non totum hominem, ſed ſaltem corpus humanum pro machina habent, cum tamen homo non ſit niſi corpus, ſi animam non habeat a corpore diſtinctam, eamque immaterialem, ideoque non ſit niſi pura puta machina. Ceterum materialiſtas atheos hominem pro pura puta machina habere, ſi hypotheſes ſuas intelligant; experientia noſtro tempore comprobat, quo libertas philoſophandi in pravam licentiam converſa, ut publicis ſcriptis diſſeminentur opiniones impiæ, religioni ac virtuti interitum minantes. Non opus eſt, ut libros in oblivionem adducendos commemorem: dolendum potius ut non modo peregrino idiomate ſcripti divulgentur, verum etiam in linguam Germanicam transferantur & in Diariis litterariis recenſeantur, ut vulgo imperito innoteſcant &

ab

ab eo legantur, noſtro præſertim ſeculo, quo luxus quotidie magis invaleſcit, quaſi is ſit, qui hominem faciat beatum, ut moribus nocentiſſimis pernicioſa inſtrumenta dare tanto periculoſius ſit.

§. 34.

Materialiſta Deiſta hominem eſſe putat machinam, quæ cæco casu regitur. Cum Deiſta neget providentiam divinam (§. 529. *part. 2. Theol. nat.*), caſui tribuens, quæ providentiæ divinæ tribuenda ſunt (§. 535. *part. 2. Theol. nat.*); propoſitio præſens eodem modo demonſtratur, quo præcedens. *Idem valet de Deiſta.*

Patet itaque atheismum & deismum tanto magis nocere, ſi cum materialismo copuletur; ideoque athei ac deiſtæ, ſi iidem fuerint materialiſtæ, ſunt omnium hominum nocentiſſimi.

§. 35.

Si qui ſeipſum noſcit animadvertit, ſe in bono adhuc deficere; cupiditate emendationis moleſtiam inde ortam delet. Qui ſeipſum noſcit, quantum in bono adhuc deficiat agnoſcit (§. 22.). Quamobrem cum abſentia boni malum ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), malum vero, quamprimum agnoſcitur, moleſtiam creet (§. 569. *Pſych. empir.*); fieri ſane non poteſt, quin ſeipſum noſcens moleſtiam quandam percipiat, ubi deprehendit, ſe in bono adhuc deficere. Enimvero cum repræſentatione boni, quo adhuc caret, cupiditas concitetur (§. 387. *part. 2. Eth.*), ad idem obtinendum tendens (§. 388. *part. 2. Eth.*), cupiditas vero affectus jucundus ſit cum voluptate inſigni conjunctus (§. 608. *Pſych. empir.*); ſi qui ſeipſum noſcit animadvertit, ſe in bono adhuc deficere, cupiditate emendationis moleſtiam inde ortam delet. *De moleſtia ex defectu in bono orta.*

Facile

Facile apparet, nobis hic ſermonem eſſe de bonis animi, quæ in poteſtate noſtra ſunt: de abſentia enim eorum, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, diximus ante (§. 30.). Equidem ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentemus tanquam male, aut minus recte facta, pœnitentia oritur (§. 759. *Pſych. empir.*), quæ animum admodum inquietum reddit (§. 762. *Pſych. empir.*); cum tamen contineat cupiditatem malo patrando in poſterum abſtinendi (§. 575. *part. 2. Eth.*), modo ob circumſtantias ſingulares non accedant affectus alii cupiditatem extingventes, veluti ſi quis ſceleris perpetrati metuit, aut prorſus expectat pœnas, cupiditas emendationis moleſtiſſimum quoque hunc affectum vincit, ſi fuerit ardentior. Propter latebras & receſſus in animis hominum, quemadmodum jam ſæpius me monuiſſe memini, multa concurrere poſſunt, quando defectus in bono notatur, quæ nunc difficultatem, nunc facilitatem vincendi moleſtiam afferunt.

§. 36.

De difficultate notitiæ ſui.

Notitia ſui difficilis eſt. Etenim qui ſe noſcere vult, cognoſcere debet tum ea, quæ natura ſibi inſunt qua animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquiſivit, tum quæ quoad ſtatum ſuum externum contingunt (§. 3.), ideoque probe diſcernere, quænam ſint in poteſtate ſua, quænam in ea non ſint, ſed in poteſtate fortunæ (§. 6. & *ſeqq.*). Cognoſcere quoque debet, ad quænam tanquam homo, ad quænam tanquam creatura Dei obligetur (§. 15.), quomodo recte gerere debeat perſonam, quæ ſibi impoſita eſt (§. 17.) & quomodo Deo recte ſerviamus (§. 19.). Multa igitur diſcenda ſunt ex diſciplinis, antequam in notitia ſui proficere valeamus, & continua attentione ad ea, quæ facimus & quæ nobis eveniunt, opus eſt (§. 4. 16.). Quamobrem cum notitia ſui tam multa tanquam cognita & perſpecta ſupponat,

ponat, & ea applicanda ſint ad dijudicandum actiones noſtras & omnes eventus, qui nos tangunt; notitia ſui omnino difficilis eſt.

Equidem ſubinde admodum facile obſervantur, quæ ad notitiam ſui pertinent; non tamen hæc notitiam ſui complent. Qui perpendit ea, quæ de notitia ſui demonſtravimus, ut intelligat, quid ad eandem requiratur; difficultatem in dubium minime vocabit. Ipſa autem difficultas in cauſa eſt, ut notitia ſui adeo rara avis ſit, & tam pauci ſint, qui ſeipſos noſcunt. Putandum erat, eruditos omnium maxime ſe noſcere debere, præſertim ſi acumine pollent: aſt indies obſervamus, eos omnium maxime caligare, quando ſeipſos noſcere debent. Erit infra locus, ubi in cauſas caligationis inquiremus. Nihil ſane frequentius eſt, quam ut ſibi videantur homines, qui non ſunt, ſibimetipſis blandientes & ſeipſos decipientes: id quod nonnullos in eam fere adduxit ſententiam, quaſi noſcentia ſui ſit impoſſibilis, utut eandem non capiant quoad omnem ſuam amplitudinem, quam habet vi eorum, quæ demonſtrata ſunt. Quodſi contenderent, ad perfectam ſui notitiam paucos pervenire poſſe; facilius nos haberent conſentientes.

§. 37.

Quoniam notitia ſui difficilis eſt (§. 36.), ad vitam beatam tamen, ad quam naturali quodam impetu appetitus ad felicitatem generaliter determinati (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), trahuntur omnes (§. 395. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neceſſaria eſt (§. 26.): *quo major fuerit difficultas ſeipſum noſcendi, eo vehementius ſtudium ſeipſum noſcendi in dies incitandum*, conſequenter *Philoſophia practica, Ethica inprimis atque Politica tanto magis excolenda, & in gratiam eorum, qui demonſtrationes capere nequeunt, veritates morales ſcitu neceſſarias ad ſenſum communem re-*

De difficultate ſi ſta tollenda.

ducendæ, ut ſcientiæ defectus ſuppleatur (§. 246. 422. *part. 1. Eth.*) *& exemplis* (§. 270. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ac inprimis domeſtica experientia confirmandæ* (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ut earum cognitionem vivam conſequantur* (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *cui vis eſt movendi voluntatem & noluntatem* (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Par ſui notitia omnibus eſſe nequit, quemadmodum facile intelligitur ex iis, quæ de eadem demonſtrata ſunt. Neque vero etiam omnes tam exaſciata habent opus, qualis acutioribus ſufficit, ſed pro diverſitate circumſtantiarum rudior quædam captui uniuscujusque proportionata ſufficit: id quod diſcernere tenentur morum alienorum formatores. Plura tamen præſtari poſſunt, quam putatur, modo eidem gnaviter incumbatur. Immo ipſe profectus multa docet absque ullo ſtudio, quæ nonniſi multo ſtudio addiſci poterant, uſu facultatum tacito notionibus, quæ latent, evolutis. Syſtema noſtrum philoſophiæ practicæ, inprimis Ethicæ, ad intimiorem ſui notitiam conſequendam viam monſtrat: aſt cum hanc ingredi non omnibus detur, quæ in eo traduntur, ad ſenſum communem pro cujusvis captu reducenda ſunt. Et quibus amplior eſt facultatum uſus, quam aliis, exemplo ſuo incitare debent alios ad ſeipſum noſcendos & ſui noſcendi cupidos inſtruere, quid facere debeant, ut autoritate ipſorum permoti veritatem eorum, quæ dicunt, in ſeipſis experiantur. Huc fane ducit obligatio naturalis perfectionem ſuam conjunctis viribus promovendi (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad perfectionem alterius conferendi, quantum unusquisque conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Diſtingvenda vero etiam eſt difficultas apparens a vera. Omne enim principium grave atque moleſtum eſt, ſed improbum ſtudium omnia vincit. Neque inutile eſt ea, in quibus revera difficultas quædam conſiſtit, dividere ab his, quæ ſtudium ſaltem moleſtum efficiunt. Aliter enim tollenda difficultas eſt, aut,

auſ, ſi tolli nequeat, ſuperanda: aliter vero moleſtia depellenda. Ad illud requiritur rectus mediorum uſus; ad hoc motivis utendum. Utrumque in promptu eſt, ſi hiſtoricam ſaltem philoſophiæ moralis cognitionem habemus (§. 10. *part. 1. Etb.*).

§. 38.

Cum notitia ſui difficilis ſit (§. 36.), qui vero gloria ducuntur, illis ipſa difficultas habitum quendam acquirendi motivum eſt habitum iſtum ſibi comparandi (§. 80. *part. 1. Etb.*); *gloria facit ad ſtudium ſe noſcendi alacre accendendum*, conſequenter *opera maxime danda eſt, ut affectus iſte concitetur* (§. 366. *part. 2. Etb.*). *De gloria vires ſe noſcendi dante.*

Sunt quidam homines, quorum naturalis quidam impetus eſt gloria; ſunt vero etiam alii, in quibus ut gloria concitetur arte opus eſt; ſunt quoque nonnulli, in quibus ægre commovetur. Excelſa ſunt ingenia, in quibus gloria naturaliter erumpit, ut arte careat; in aliis diſciplinæ traditione formanda eſt, ut in ea effingenda nunc majore, nunc minore arte opus ſit. Maxima autem arte opus eſt, ſi appetitus fuerit corruptus, ut corruptio ante tollenda, quam ars valeat. Et ſicuti dantur morbi deſperati, quibus fruſtra medelam afferre laborat medicus; ita etiam fruſtra expectes remedia adverſus omnes hominum promiſcue omnium morbos animi, qui non permittunt, ut gloria concitetur, qua ſtudium ſe noſcendi accendendum.

§. 39.

Seipſum noſciturus ſe decipere nequit, ſi diſtinctas eorum, de quibus ferendum judicium, notiones habeat, ipſique perſpecta ſint ſigna illorum. Etenim ſi nobis fuerint notiones diſtinctæ eorum, de quibus ferendum judicium, notas perſpectas habemus *Quomodo in notitia ſui vitetur deceptio.*

mus ad ea agnoſcenda & ab aliis diſtingvenda ſufficientes (§. 80. 88. *Log.*), quarum applicatione nobis innoteſcit, utrum ea nobis inſint, nec ne (§. 1218. *Log.*). Cumque ex ſignis colligantur ea, quæ adſunt (§. 952. *Ontol.*); ſi cui perſpecta fuerint ſigna eorum, quæ ad notitiam ſui requiruntur, tanto facilius præcavetur, ne quis ſive defectu notionis ſatis completæ, ſive aberratione in applicatione notionis, quam habet, ſe id jam conſecutum eſſe putet, quod nondum habet. Quoniam itaque hoc modo vitatur, ne quis per errorem ſibi videatur, qui non eſt, conſequenter ſemetipſum decipiat; qui notiones diſtinctas habet eorum, de quibus ferendum judicium, & cui perſpecta ſunt illorum ſigna, ſeipſum noſciturus decipere nequit.

Obviæ ſunt ac communes ferę querelæ, quod homines ſeipſos noſcituri ſibi nimium adulentur, ut videantur, qui non ſunt. Provocatur ad exempla, quæ quotidiana experientia ſuggerit. Atque hinc neſcio quæ difficultas fingitur ſeipſum noſcendi, de qua tollenda propemodum deſperandum ſit. Enimvero difficultas iſta in totum tribuenda eſt ignorantiæ, quamvis negandum non ſit, affectus pro varietate circumſtantiarum varios diverſaque etiam vitia in noſcentiam ſui influere & difficultatem augere, quæ tamen alimenta & incrementa inde capere non poterat, niſi ignorantia fœtum infeliceem genuiſſet. Ecquis vero eſt qui neſciat, quam parum hactenus in diſciplinarum traditione datum fuerit notionibus diſtinctis, quibus diverſa accurate a ſe invicem diſcernuntur, & ex quibus in Moralibus deducenda ſunt ſigna minime fallacia? Quid ergo mirum, ſi confuſis notionibus contenti in judicando facile aberrent, & vitiis non animadverſis in aſſenſum occulte influentibus blanditiis deceptricibus capiantur? Medela huic malo afferri nequit, quam ſi diſtinctæ rerum moralium notiones menti inſinuentur, & certa earum ſigna doceantur. Atque hoc potiſſimum nobis propoſitum eſt in ſyſtema-

ſyſtemate noſtro. Monuimus quoque jam alias, ſigna, quæ in Moralibus traduntur, non tantummodo inſervire noſcendis aliis, verum etiam ſeipſis, & cum in noſcendis aliis ſaltem probabilia ſint, in ſeipſo noſcendo certa eſſe ac indubitata, ſit ita quod ad noſcendum ſeipſum ſæpiſſime ſufficiant ſolæ definitiones, ubi ad noſcendum alios opus eſt ſignis. Talia vero per ſe animadvertet, qui viam, quam monſtramus, ingredi voluerit & in ipſo itinere obſervaverit, quantum progrediatur.

§. 40.

Quoniam ſeipſum noſciturus ſe decipere nequit, ſi diſtinctas eorum, de quibus ferendum judicium, notiones habeat, ipſique perſpecta ſint ſigna eorum (§. 39.); *qui novit, ſe nonniſi confuſas eorum, de quibus ferendum judicium eſt, notiones habere, aut ignorare, num diſtinctæ, quas habet, ſint completæ, aut quantum ad vitandum in applicatione aberrationem ſufficit adæquatæ, & vel ignorare ſigna, vel de eorum certitudine non eſſe convictum*, cum judicio ſuo fidere tuto non poſſit, *peritorum judicium in noſcentia ſui ſequi debet*, & ne ſibi videatur notiones ſatis diſtinctas & completas, vel etiam quantum ad applicationem dextram ſufficit adæquatas habere, vel de certitudine convictus eſſe, cum non ſit, *quæ de notionum differentia formali* (§. 80. *& ſeqq. Log.*), *& definitionibus* (§. 152. *& ſeqq. Log.*), *de applicatione definitionum & propoſitionum* (§. 1218. *& ſeqq. Log.*) *& de convictione traduntur* (§. 985. *& ſeqq. Log.*) *cognoſcere debet.* *Idem ulterius expenditur.*

Qui ſeipſos noſcituri ſibi videntur, qui non ſunt, Logicæ verioris aut ignari ſunt, aut eadem uti non didicerunt. Contingit igitur, ut de notionibus diſtinctis minime cogitent, & maxime confuſis licet imbuti ſe ſatis intelligere ſibi videntur, quæ non intelligunt, aut ut non notiones incompletas, nec

quantum ſufficit adæquatas agnoſcant & ideo in iis applicandis a vero aberrent. Quemadmodum vero plurimum nocet, quod ſibi videantur intelligere, quæ non intelligunt, aut intelligere ſatis, quæ nondum ſatis intelligunt; ita non minus nocet, ſi putent, ſe de veritate eorum convictos eſſe, quæ in judicando ſupponunt, cum tamen vix ac ne vix quidem opinione ſaltem perſuaſi ſint. Patet igitur, quantum uſum habeat Logicæ verioris cognitio & habitus ejus præcepta recte applicandi in noſcentia ſui & per conſequens in praxi morali (§. 22.) & quam neceſſarium ſit perficere intellectum, ut ejus uſum rectum conſequamur, quemadmodum in parte prima Ethicæ abunde docuimus. Quomodo vero ſuccurrendum ſit hebetioribus, paſſim occaſione ferente indicamus, atque hos, quando ſibimet ipſis non ſufficiunt, peritorum judicio ſtare debere in ipſa propoſitione jam diximus.

§. 41.

De neglectu notitiæ ſui ipſius.

Qui utilitatem & neceſſitatem notitiæ ſui non agnoſcunt, eam negligunt. Etenim qui notitiæ ſui utilitatem & neceſſitatem non agnoſcunt; oleum ac operam perdi & tempus falli exiſtimant, ſi eidem vacare velimus. Quamobrem cum ſciens ac volens nemo inanem operam ſumere ſoleat, nec curioſitas homines alliciat, niſi ad ea cognoſcenda, quæ aliquid inſoliti habent; qui utilitatem & neceſſitatem notitiæ ſui non agnoſcunt, eam negligunt.

Notitiam ſui vulgo negligi, in vulgus notum eſt. Nec minus manifeſtum eſt, utilitatem & neceſſitatem ejus vulgo non agnoſci. Quamobrem cum noſcentia ſui a teneris ungviculis nobis inculcari non ſoleat, neque eidem nos aſſuefaciamus, nec ab aliis ſtudium ad eandem adhibitum obſervemus; res ignota manet, de qua nulla mentem ſubit cogitatio, præſertim cum alia, quæ agenda ſunt, aut ſenſus noſtros occupant; attentionem omnem in ſe trahant. Inde ſane eſt, ut pau-

pauciſſimi notitiæ ſui ipſius ullam notionem habeant, aut ad ſummum tam mancam, ut nomen ſuum non tueatur. Quamvis itaque pervulgatum ſit præceptum: *Noſce teipſum*; alias tamen jam monuimus (*not. §. 192. part. 1. Jur. nat.*), id alio prorſus fine proferri, qui notionem noſcentiæ ſui menti non inſinuat. Immo plerosque exiſtimaturos eſſe puto, quod ſufficiat conſiderare, quæ agenda ſint, & eorum curam haberi ac dare operam, ut agant, quæ agenda eſſe agnoſcunt, ut opus non ſit noſcentia ſui tempus perdere. Aſt hæc opinio non ſingularis eſt de noſcentia ſui: etenim virtuti nulli data opera ſtudere ſolent homines, minime vacantes exercitiis, quibus habitus iſti comparentur, conſerventur ac perficiantur.

§. 42.

Quoniam notitia ſui negligitur, ſi quis utilitatem & neceſſitatem ejus non agnoſcit (§. 41.), conſequenter ſi eam neglectam relinquere non debet, neceſſe eſt ut utilitatis & neceſſitatis convincatur, conſequenter, *ut ad ſtudium ſe noſcendi adducatur, qui notitiam ſui negligit, oſtendendum ipſi eſt, quod ad vitam beatam requiratur* (§. 26.), *quod voluptatem nobis creet atque ad bona, quorum conſervatio in poteſtate noſtra eſt, conſervanda incitet, aut, ſi ea non prorſus a nobis dependet, circumſpectionem inſinuet, ne culpa noſtra eorum jacturam faciamus* (§. 29.), *quod impediat, quo minus moleſtia afficiamur, ſi qua nobis deſunt, aut amittantur, quæ in poteſtate noſtra non ſunt* (§. 30.), *& quod perſonam ſibi impoſitam recte gerere nequeat, qui ſeipſum non noſcit* (§. 17.). *De modo tollendi impedimentum iſtud.*

Qui utilitatem & neceſſitatem notitiæ ſui non agnoſcit, notionem diſtinctam & ſatis adæquatam ejus minime habet. Quodſi quis cognoverit atque perſpexerit ea, quæ de eadem demonſtravimus; utilitatem & neceſſitatem in dubium minime revocabit. Vitam beatam appetunt omnes, voluptate frui, mole-

moleſtia carere volunt. Ad hunc ſtatum nos ducit notitia ſui, quemadmodum ex antea demonſtratis patet. Quænam igitur major concipi poteſt utilitas, quam ut voti compos fias, quod eſt meta, ad quam tendunt vota cetera omnia, molimina omnia? Non ſufficit poſſidere bona, ſed etiam requiritur, ut iisdem fruamur, ne ſimiles ſimus *Tantalo* ſitienti, quamvis mento ſummam aquam attingeret, & ut fruamur temperanter, ne in contrarium ducamur. Bonis autem ſuis qui recte frui voluerit, ſeipſum noſcere tenetur (§. 29. 30). Quotidie experimur, quantum ſibi & aliis noceant, qui perſonam ſibi impoſitam gerere neſciunt. Obſervamus hoc non modo in iis, qui munere quodam publico funguntur: verum etiam exemplum eruditorum idem comprobat. Illud ſuo loco oſtendetur in Politica; hoc propoſituri ſumus inferius, quando perverſos eruditorum mores perſtringemus, qui ex neglectu notitiæ ſui ortum trahunt. Pertinet huc quoque exemplum ſtudioſorum in Academiis noſtris, in quibus omnis ſtudiorum ratio arbitrio ipſorum relicta. Cum enim pauciſſimi norint, quænam ſit perſona, quam gerere debent, ideoque nec cognoſcunt, quomodo eam gerere debeant, ſtudia quoque doctrinæ, quibus ſe dederunt, minus recte agunt, nec doctrinam ſolidam, quam conſequi poterant, conſequuntur, multo minus mores, qui commendant eruditum. Vaſtiſſimum ingrederemur dicendorum campum, ſi omnia mala recenſere vellemus, quæ ex neglectu notitia ſui tanquam ex hydra Lernæa propullulant, & ex adverſo commemorare bona, quæ ex noritia ſui proveniunt. Sed quamvis horum notitia utiliſſima ſit, in ſyſtemate tamen nullum ſibi locum vindicat, quod ſaltem notiones rerum ſciendarum nobis inſinuat, quæ ad recte exantlandum laborem iſtum nos inſtruunt. Eas qui acquiſivit, per ſe tam mala ex neglectu notitiæ ſui ipſius promanantia, quam bona ex notitia ſui provenientia cognoſcet, modo non fuerit otioſus ſpectator eorum, quæ quotidie contingunt, eaque ſcientia acquiſita uſus exacte ponderet.

§. 43.

Digitized by Google

§. 43.

Si quis exiſtimet, ſibi deeſſe otium, ad ſe noſcendum; is perpendere debet, id fieri poſſe ac debere, quando cubitum ituri actiones noſtras per diem commiſſas ad examen revocamus & mane experrecti per diem edendarum numerum inimus & quenam eas fortuito comitari poſſint, diſquirimus (§. 437. part. 2. Phil. pract. univ.), dum deſiquando celebrandi nominis divini cauſa inquirendum in bona, quæ habemus, & in mala, quæ Deus a nobis avertit, vel a quibus nos liberavit (§. 459. part. 3. Eth.) & ob bona collata, mala averſa Deo gratiæ agendæ (§. 472. 474. part. 3. Eth.), eumque ob boni præſentis conſervationem & futuri adeptionem malique depulſionem invocare volumus (§. 478. part. 3. Eth.). Præterea adſueſcere debet, ut omnia faciat cum ſenſu ſui, & quicquid boni, vel mali fieri obſervat, ad ſe referat. Quodſi enim perpendamus ea, quæ ad conſervandam memoriam recte agendi, ad celebrationem nominis divini, gratiarum actionem pro beneficiis a Deo acceptis, & invocationem Numinis requiruntur, & illa, quæ notitia ſui exigit, *per antea demonſtrata;* inde liquet, notitiam ſui conjungi poſſe cum iis, quæ indiſpenſabilia officia alia & ſtudium conſequendi ſummum bonum exigunt, ita ut peculiare tempus non requiratur, quod noſcentiæ ſui impendatur, nec opera peculiaris in eadem collocanda ſit. Quodſi adſueſcamus omnia facere cum ſenſu ſui, tempus, quod inſervit agendis aliis quibuscunque, noſcentiæ ſui una impenditur, ut nihil eorum, quæ alias facienda ſunt, propterea ſit negligendum. Et idem patet, ſi adſueſcamus ad nos & ſtatum noſtrum referre, quicquid boni vel mali accidere obſervamus, ſive nobis, ſive etiam aliis. Quodſi ergo hæc conſideremus, facile videbimus, nullam eſſe querelam de otio ad ſe noſcendum deficiente.

Quomodo evellenda opinio otii ad ſe noſcendum deficientis.

Abſurdum equidem videri poterat excuſare neglectum noſcentiæ ſui otii carentia, cujus tanta eſt ad beatam vitam neceſſitas (§. 26.), tanta in depellendis animi moleſtiis utilitas (§. 30.); dandum tamen eſt aliquid conditioni humanæ. Quamobrem non urgendam eſſe arbitramur abſurditatem, ſed potius nullitatem excuſationis, cum carentiam otii obtendere non liceat, ubi quod faciendum eodem tempore fieri poteſt, quo alia agenda ſunt, quæ negligenda non eſſe agnoſcimus. Obſcurum forte videri poterat, quod dicimus, omnia facienda eſſe cum ſenſu ſui. Tenendum itaque, ſi perſonam noſtram recte gerere velimus, omnes actiones noſtras reſpectum ad eandem habere & requiri, ut non agamus, niſi quod eandem deceat. Non autem ſimplex quædam hominis impoſita eſt perſona, ſed multiplex, ita ut alia agat, quæ decent hominem, alia quæ decent creaturam & ſervum Dei, alia, quæ poſſeſſorem bonorum, alia quæ certum vitæ genus ſequentem, aut munere quodam publico fungentem, ac ita porro (*not.* §. 17. 18.). Cum ſenſu igitur ſui agit, qui conſiderat, num quod agit tanquam homo, aut tanquam creatura & ſervus Dei, aut tanquam bonorum poſſeſſor, aut tanquam hoc vitæ genus ſequens, vel hoc munere fungens & ita porro agat. Inde nimirum nobis innoteſcit, num perſonam noſtram recte geramus, & ad modum eam recte gerendi cognoſcendum impellimur. Utrumque facit ad profectum in ſeipſo noſcendo. Hæc vero conſideratio non requirit niſi attentionem ad actiones noſtras, quamvis ſupponat, ut ante didicerimus, quænam ad quamlibet perſonam, quam tueri debemus, bene effingendam neceſſaria ſint. Quodſi a prima juventute ad hunc ſenſum ſui in agendo aſſuefiamus; nullam in agendo moram is afferet, multo minus moleſtiam, utpote concitans acquieſcentiam in ſeipſo (§. 353. *part. 2. Etb.*), affectum longe dulciſſimum (§. 753. *Pſych. empir.*), aut accendens cupiditatem nos ulterius perficiendi (§. 387. *part. 2. Etb.*), ſi quosdam adhuc defectus obſervamus. Nemo eſt, qui neſciat, quanta celeritate ex habitu agamus, quamvis nimia ſit tardi-

tarditas in exercitiis, quibus is comparatur. Quamobrem non eſt quod vereamur, ſenſum ſui tardare actionem, ac ideo perperam in præſenti commendari, ubi debellanda eſt opinio deficientis ad ſe noſcendum otii. Multa in moralibus deprehenderemus facilia, quæ vulgo pro difficilibus, immo pro impoſſibilibus habentur, modo praxi morali eam operam navaremus, quam aliis habitibus acquirendis, vel aliis addiſcendis impendimus, præſertim ſi morum in pueritia & adoleſcentia formatores non deeſſent officio ſuo.

§. 44.

Qui cum ſenſu ſui omnia agit, Deum imitatur. Qui enim cum ſenſu ſui omnia agit, cum bene effingere ſtudeat perſonam ſibi impoſitam, ſollicite cavet, ne quid committat, quod disconvenit cuidam eorum, quæ ipſi ſunt, vel ineſſe debent, vel cujus quædam ratio in ſtatu externo continetur, cur id potius nolle debeat, quam velle, & contra (*not.* §. 43.), conſequenter nil facit, quod perſonam ſuam dedeceat (§. 195. *part. 1. Theol. pract. univ.*), ſed potius facere ſtudet, quod eam decet (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero Deus, qui ſemetipſum cognoſcit (§. 141. *part. 1. Theol. nat.*), non vult niſi quod ipſum decet (§. 335. *part. 1. Theol. nat.*), & hunc elegit mundum, quem faceret, quia ipſum decet (§. 334. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque datur ratio ſubjectiva, cur hunc potius mundum elegerit, quam alium (§. 537. *part. 1. Theol. nat.*), a ſe nimirum deſumta (§. 536. *part. 1. Theol. nat.*), & dum judicat, quid ſit optimum, in relatione ad ſe, in quod tendit voluntas ipſius (§. 385. *part. 1. Theol. nat.*), id ipſum refert ad omnia ſua attributa (§. 395. *part. 1. Theol. nat.*). Qui ergo cum ſenſu ſui omnia agit, Deum imitatur.

Quando nocatitia ſui dunat ad imitationem Dei.

Conſuetudo agendi cum ſenſu ſui naſcitur ex notitia ſui. Qui enim cum ſenſu ſui agit, rationem ſubjectivam attendit,

quæ a perſona ſibi impoſita deſumitur, veluti ut hoc agat tanquam homo, vel tanquam creatura Dei, vel tanquam parens, aut paterfamilias & ita porro (*not.* §. 43.). Deus, qui eſt ens perfectiſſimum, rationem ſubjectivam deſumit a ſumma ſua perfectione, quæ concipitur per diverſa attributa in gradu abſolute ſummo ipſi competentia, ideoque ſemper agit tanquam Deus attributis ſuis omnibus ſimul ſumtis convenienter. Homo quatenus homo eſt, habet & ipſe varia attributa, quæ facultatum nomine inſigniuntur. Quando igitur qua homo agit, cum uſum omnium facultatum impendere debeat in actiones ſuas, ut ſint rectæ, omnibus facultatibus ſuis convenienter agit. Quoniam vero ceteræ perſonæ ipſi impoſitæ ſunt, quatenus homo eſt, ita ut per ipſum tanquam hominem ſubſiſtant; in actiones quascunque, quæ reſpectum ad quamcunque perſonam habent, uſum omnium facultatum impendere tenetur, ut in iisdem nihil deſiderari poſſit. Quando igitur agit tanquam pater verbi gratia, ſimul agit tanquam homo, ratio nimirum ſubjectiva rectitudinis actionis deſumitur a natura humana, qualitatis vero actionis, qua eadem ſpecificatur, ratio ſubjectiva a perſona patris petitur. Et idem tenendum eſt de actionibus ceteris, quæ certum hominis ſtatum ſupponunt. Cum ſenſu igitur ſui agens non eadem agit, quæ Deus agit, ſed eodem modo, quo Deus agit. Atque ita Deum imitatur in modo agendi, in quantum permittit differentia, quæ inter Deum atque hominem intercedit. Ad imitationem enim, quæ in confirmatione actionis ſuæ ad actionem alterius conſiſtit (§. 204. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſufficit ſimilitudo modi agendi.

CAPUT

CAPUT II.

De Amore & Dilectione ſui,

§. 45.

Amor ſui homini naturalis eſt. Homo enim per naturam ſuam felicitatem appetit (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter eum ſtatum, in quo voluptate fruitur (§. 636. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum nil appetamus, niſi quatenus voluptatem percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*); ex ipſo quoque ſtatu, quo voluptate fruimur, voluptatem percipimus, ideoque animus noſter per naturam animæ diſpoſitus eſt ad voluptatem ex felicitate propria percipiendam. Quoniam itaque diſpoſitio animi ex propria felicitate voluptatem percipiendi amor proprius, ſeu amor ſui eſt (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*); amor ſui homini naturalis eſt. *naturalis.*

Quilibet amorem ſui in ſeipſo experitur. Ecquis enim eſt, qui non lætetur eo ſtatu, quo voluptate fruitur. Propterea quoque ſtatus ejusdem dulcis eſt recordatio, niſi præteriti cogitatio, cum eundem adhuc præſentem eſſe mallemus, lætitiam deleat, aut ita diminuat, ut voluptas vix percipiatur. Diſtingvendus autem eſt ſtatus, in quo voluptate fruimur, ab ipſa voluptate, ob cujus fruitionem nos putamus eſſe felices. Ac ideo voluptas, quæ ex ſtatu, in quo voluptate perfunditur animus, percipitur, diſcernenda quoque eſt ab ea, qua in eodem fruimur, quamvis cum utraque ſimul percipiatur, in unum confuſa non dividatur, conſequenter non animadvertatur, eam ex duplici fonte promanare. Nullus igitur committitur circulus, quando dicitur, nos voluptatem percipere ex eo ſtatu, in quo voluptate fruimur ex rebus aliis perceptis. Comprobant idem caſus particulares. Etenim gaudemus, nos habere rem, qua delectamur, veluti librum, quod

in pretio nobis eſt, vel nummum aureum a Principe acceptum, & quæ ſunt hujus generis alia.

§. 46.

Quo tendat amor ſui.

Quoniam amor ſui homini naturalis eſt (§. 45.), amor autem tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem (§. 292. *part. 2. Eth.*); *amor* quoque *ſui tendit ad promovendam felicitatem propriam & depellendam infelicitatem propriam*, conſequenter cum vita beata in fruitione ſummi boni conſiſtat (§. 25.), ſummo autem bono fruamur, dum voluptatem, quæ cum eadem conjungitur (§. 393. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex eodem percipimus, *ex amore ſui venit, ut omnes beate vivere velint.*

Amor ſui naturalis in ſe ſpectatus ad perfectionem hominis naturalis pertinet. Eſt enim ſtimulus ad vitam beatam, conſequenter ad nos perficiendos (§. 374. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & perfectionem naturalem conſervandum, ut ſimus felices, quos nos eſſe vult Deus (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*). Immo Deum velle nos eſſe felices, ex hoc ipſo ſtimulo nobis indito intelligitur. Noſtrum igitur eſt, ut amore proprio recte utamur, non vero abutamur. Conceſſa vero nobis eſt ratio, ut eodem recte uti poſſimus, modo facultatibus noſtris utamur, quemadmodum debemus.

§. 47.

Quomodo amor ſui ſit regendus.

Quoniam amor ſui homini naturalis eſt (§. 45.), inclinationes vero naturales (§. 41. *part. 2. Eth.*) & affectus quoscunque regere debet intellectus (§. 528. *part. 2. Eth.*); *intellectus* quoque *regere debet amorem ſui*, conſequenter cum intellectus regat affectus, ſi bonum verum a falſo ſeparetur, ideoque iidem ad obtinendum verum bonum & depellendum verum malum dirigantur (§. *cit.*); *ut amore ſui recte utamur,*

mur, neceſſe eſt ut vera bona ab apparentibus veraque mala a malis apparentibus diſcernere diſcamus.

Amor ſui tunc ſtimulus eſt ad vitam beatam, qui eſſe debet (§. 46.), ſi dirigitur in adeptionem boni veri ejusve conſervationem & in depulſionem mali veri. Cum enim bonum verum nos & ſtatum noſtrum revera perficiat (§. 557. *Pſych. empir.*), amor ſui nos incitat ad continuum progreſſum ad majores in dies perfectiones, in qua beatitudo ſeu ſummum bonum conſiſtit (§. 374. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque ex vero bono vera oriatur voluptas, non vero ſaltem apparens (§. 559. *Pſych. empir.*), hujus vero voluptatis perceptio ſummi boni fruitio ſit (§. 393. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & in hac beata vita conſiſtat (§. 25.); amor ſui, quatenus recto intellectus uſu regitur, nos ducit ad vitam beatam.

§. 48.

Quoniam amore ſui recte utimur, ſi bona vera ab apparentibus malaque vera ab apparentibus diſcernamus (§. 47.), tumque is tendit ad vera bona conſequendum, vera mala depellendum (§. 528. *part. 2. Eth.*), in quorum abſentia etiam bonum conſiſtit (§. 756. *part. 2. Jur. nat.*), ſola autem bona vera hominem felicem reddunt (§. 402. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *recto amoris ſui uſu ad felicitatem veram ducimur.* *Quomodo amor ſui nos reddat felices.*

Qui amorem ſui damnant, tanquam homini infenſiſſimum hoſtem, notionem ejus diſtinctam minime habent, nec quod regimini intellectus ſubeſſe debeat & quomodo eidem ſubeſſe poſſit agnoſcunt. Ratio in promptu eſt, quod deſideratum nimirum fuit ſyſtema philoſophiæ moralis, in quo a priori ex ipſa natura humana deducuntur notiones morales & decenter evolvuntur, ut omnium inter ſe nexus appareat. Quamobrem non eſt, quod miremur, plerosque caligare, quan-

quando de rebus moralibus ferendum eſt judicium, nec diſcernere, quæ dividenda ſunt, et vera falſis miſcere. Sine amore ſui non ſperanda foret felicitas, quamvis non minus exploratum ſit, ejus abuſu homines effici infelices, contra naturæ intentionem & Dei ejusdem autoris voluntatem.

§. 49.

Quando dilectio ex amore ſui oriatur.

Si amor ſui ab intellectu regitur, homo ſeipſum diligit. Etenim ſi amor ſui ab intellectu regitur, eodem recte utimur (§. 47.), ideoque idem ad veram felicitatem nos ducit (§. 48.). Enimvero qui omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne ſit infelix, ſeipſum diligit (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo amor ſui ab intellectu regitur, homo ſeipſum diligit.

Dilectio ex amore ſui oritur, quando regimini intellectus ſubeſt. Quamvis itaque amor ſui homini naturalis ſit (§. 45.), non tamen ideo homini naturale eſt, ut ſeipſum amet: ſed quatenus ab intellectu regi poteſt, ut dilectio inde naſcatur, natura homini dilectionem ſui commendat, dum amorem ſui ipſi indidit. Nimirum cum amor ſui cupiditatem felicitatis concitet, intellectus inſtigatur ad inquirendum in bonum verum, ut ab apparente dividatur, & hoc cognito determinatur voluntas ad vera bona conſequenda, quorum dum compotes fieri ſtudemus, ut evadamus felices, nos diligimus, non vero per errorem ſaltem nos diligere nobis videmur.

§. 50.

Quando amor ſui ſit rationalis & ordinatus.

Quoniam homo ſeipſum diligit, ſi amor ſui ab intellectu regitur (§. 49.), ideoque amor ſui tunc cum dilectione conſentit, amor vero rationalis idemque ordinatus in conſenſu cum dilectione conſiſtit (*not.* §. 607. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi amor ſui ab intellectu regitur, rationalis, idemque ordinatus eſt.*

Amor

Amor ſui naturaliter homini ineſt per modum potentiæ, quatenus facultatum uſu ſua ſponte ſeſe exerente concitari poteſt. Aſt cum ſic perinde fieri poſſit, ut tendat ad bona apparentia, quam ad vera; ideo opus eſt, ut conſideratione boni veri ſuſcitetur, & in ejus adeptionem dirigatur. Et hac de cauſa regimini intellectus ſubjiciendus, cujus vero uſu bonum verum ab apparente diſcernitur vi notionis boni veri. Cum enim bonum verum ſit, quod nos ſtatumque noſtrum revera perficit (§. 557. *Pſych. empir.*), ut vera voluptate fruamur (§. 559. *Pſych. empir.*); quænam ſint, quæ nos ſtatumque noſtrum revera perficiant, ideoque veram nobis felicitatem afferant, cognoſcere tenemur. Atque ſic intellectus amorem ſui ordinat & rationi conformem facit.

§. 51.

Habitus ſe diligendi *charitas ſui* ſive *propria* dicitur. Quare cum ſe diligat, qui felicitatem ſuam promovere ſtudet, ſeu id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*); *charitas eſt habitus promovendi felicitatem ſuam.* *Charitas ſui quid ſit.*

Equidem dilectionem diximus voluntatem conſtantem & perpetuam felicitatem ſuam promovendi (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), nec a charitate diſtinximus: quoniam tamen exercitium habitus ab habitu diſcrevimus, cum de amore Dei ageremus (§. 241. *part. 3. Eth.*), & idem quoque fecimus, cum de amore proximi tractaremus (§. 617. 620. *part. 1. Jur. nat.*); placuit quoque vocabulum charitatis accommodare amori ordinato ac inde pendenti dilectioni ſui (*not.* §. 607. *part. 1. Jur. nat.*). Nimirum dilectio eſt actus voluntatis, cum quo conſentit amor ſui ordinatus ſeu rationalis, quatenus eſt affectus in appetitu ſenſitivo reſidens, ipſe autem habitus, quo actus voluntatis elicitur, charitas vocatur.

Digitized by Google

§. 52.

An charitas propria virtus ſit.

Charitas propria, ſive ſui virtus eſt. Etenim habitus eſt ſeipſum diligendi (§. 51.). Quamobrem cum dilectio ſui lege naturali præcepta ſit (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*), charitas ſui eſt habitus actiones ſuas legi naturali conformandi. Aſt habitus actiones ſuas legi naturali conformandi virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Charitas itaque ſui, ſive propria virtus eſt.

Quoniam non agnoſcitur ab omnibus, charitatem ſui eſſe virtutem, præſertim ſi amorem ſui naturalem ab ea non diſcernunt (*not.* §. 607 *part. 1. Jur. nat.*): non inconſultum duximus, ut demonſtraremus, eam eſſe virtutem, ſicque conſtaret ratio, cur in Ethica, quæ virtutes explanat, de charitate agamus: id quod tanto magis neceſſarium videbatur, quod non deſint, qui amorem ſui ad corruptionem appetitus referunt.

§. 53.

De dilectione ſui propter Deum.

Homo ſeipſum diligere debet propter Deum. Qui enim ſe diligit, omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum ſine cuſtodia legis naturalis nemo felix eſſe poſſit (§. 399. *part. 1. Phil. pract. univ.*), lex vero naturæ præcipiat, ut nos & ſtatum noſtrum perficiamus, ab imperfectione autem nobis caveamus (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſe & ſtatum ſuum perficere ſtudet, ab imperfectione vero ſibi cavet. Quamobrem cum homo perfectione hac accidentali (§. 912. *part. 1. Theol. nat.*) fiat aptus ad repræſentandum perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), & mundus ideo a Deo productus, ut per eum perfectio ipſius ſumma patefieret, ſeu gloria ipſius manifeſtaretur

retur (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); homo ſeipſum diligendo gloriam Dei manifeſtat, ſeu ſummam perfectionem ipſius repræſentat. Quoniam itaque ideo a Deo conditus, ut gloriam ſuam promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*), atque vult, ut actiones ſuas liberas ad manifeſtationem gloriæ divinæ dirigat (§. 918. *part. 1. Theol. nat.*), vult vero etiam ut diligat ſeipſum (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*); homo ſeipſum diligere debet, ut ad finem univerſi a Deo intentum conferat, quicquid in poteſtate ſua eſt. Patet itaque quod ſeipſum diligere debeat propter Deum.

Dudum inculcatum fuit, Deum diligendum eſſe ſupra omnia, hominem vero ſeipſum diligere debere propter Deum. Quamobrem a nobis oſtendendum erat, quomodo nosmetipſos diligere poſſimus propter Deum, & quod Deus velit ut hoc faciamus. Propria nimirum dilectione intendere debemus finem, quem Deus intendit per creationem hujus univerſi, ideoque nos diligere, ut non minus qua creaturæ libere agentes ſimus ſpeculum perfectionum divinarum, quam creaturæ ceteræ omnes ac ipſimet quoad perfectionem eſſentialem (*not. §. 115. part. 3. Eth.*). Relegenda hic ſunt, quæ, cum de pietate ageremus, de directione actionum ad finem totius univerſi & de harmonia actionum humanarum & actionum naturæ demonſtravimus atque uberius explicavimus (§. 118. 120. *part. 3. Eth.*). Velim ad hæc animus probe attendatur: ita enim innoteſcit, quam pulchre omnia inter ſe cohæreant, quæ de officiis hominis demonſtrantur.

§. 54.

Dilectio ſui propter Deum eſt directio dilectionis ſui in finem, propter quem Deus hoc univerſum, ipſumque hominem condidit, nimirum ut homo qua liberum agens ſit ſpeculum perfectionum divinarum, quemadmodum una cum crea- *Dilectio ſui propter Deum quid ſit.*

creaturis ceteris est propter perfectionem essentialem (§. 798. *part. 1. Theol. nat.*).

Patet hoc ex demonstratione propositionis præcedentis & iis, quæ ad eandem annotavimus (§. 53.). Forsan non deerunt, qui existimaturi sunt, cum dilectio sui consistat in voluntate promovendi felicitatem suam (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), Deus autem velit nos esse felices (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), & nos eidem obediamus, si faciamus, quod vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); nos diligere nos ipsos propter Deum, si nos ideo diligimus, ut ipsi obediamus: at qui sic sentiunt, dilectionem sui propter Deum penitus non perspiciunt. Neque enim sufficit, ut nos obedientes Deo præbeamus, sed scire quoque debemus, cur Deus hanc obedientiam a nobis exigat, & quod non minus Deum deceat, ut eam exigat, quam nos, ut eandem præstemus, ne cœca sit obedientia nostra. Si charitas sui rationalis esse debet, cum ratio in perspicientia nexus veritatum universalium consistat (§. 483. *Psych. empir.*), necesse est ut agnoscamus, quomodo dilectio sui propter Deum cum natura divina atque humana cohæreat, consequenter cum iis, quæ de utraque cognoscimus. Nexus veritatum universalium non perspicitur nisi ex systemate veri nominis, quod perficiendæ rationis causa conditur. Huic igitur convenienter explicanda quoque est dilectio sui propter Deum.

§. 55.

Quod unionem cum Deo supponat.

Quoniam qui seipsum propter Deum diligit, dilectionem sui in finem universi dirigit (§. 54.), Deus autem vult, ut actiones liberas ad finem totius universi dirigamus (§. 629. 918. *part. 1. Theol. nat.*); qui seipsum propter Deum diligit, ejus voluntas eadem est cum voluntate divina, consequenter cum in hac identitate voluntatis unio cum Deo consistat (§. 287. *part. 3. Eth.*); *dilectio sui propter Deum unionem cum Deo supponit*, seu *ex unione cum Deo fluit.*

Ut

Ut nexus dilectionis ſui propter Deum cum unione Dei intimius perſpiciatur, relegenda ſunt, quæ de hac annotavimus (*not. §. 287. part. 3. Eth.*).

§. 56.

Quia dilectio ſui propter Deum ex unione cum Deo fluit (§. 51.), charitas vero Dei hominem cum Deo unit (§. 288. *part 3. Eth.*); *dilectio ſui propter Deum a charitate Dei dependet* (§. 241. *part. 3. Eth.* & 851. *Ontol.*), conſequenter *Deum cum qui ſeipſum diligere vult propter Deum, idem quoque Deum diligere tenetur.*

Nexus dilectionis ſui propter Deum cum dilectione ſui.

Patet itaque, dilectionem ſui propter Deum & dilectionem Dei indivulſo nexu cohærere. Charitas ſui cum adeo arcto nexu copuletur cum charitate Dei, ſi perfecta eſſe debet (§. 53.); unam eandemque eſſe charitatem patet, qua Deum diligimus propter ſe, nos vero & (quod ſuo loco oſtenderur) homines atque res alias propter Deum.

§. 57.

Similiter quoniam qui ſe propter Deum diligit, actiones ſuas omnes ad finem totius univerſi dirigit (§. 54.), pius autem itidem eosdem ad eundem finem dirigit (§. 118. *part. 3. Eth.*); *dilectio ſui propter Deum cum pietate concordat & cum eadem facile copulatur.*

De concordia pietatis & dilectionis ſui propter Deum.

Ipſa omnino pietas manca eſt, niſi homo ſeipſum & homines resque alias diligat propter Deum. Quodſi autem pietatem colamus, nec dilectio ſui hac parte deficere poteſt. Ne præter neceſſitatem ſimus prolixiores, relegenda hic ſaltem ſunt, quæ alias de hac directione actionum ad finem totius univerſi diximus (*nvt. §. 118. part. 3. Eth.*). Inculcavimus jam aliquoties, virtutes omnes propter earum nexum in ſe invicem influere, & unam acquiſitionem & exercitium alte-

rius reddere faciliorem. Quamobrem neceſſe eſt, ut omnem omnium virtutum a ſe invicem dependentiam earundemque concentum ſedulo obſervemus. Contingit quoque haud raro, ut propterea qui virtuti cuidam ſtudet inſcius trahatur ad aliam, de qua non cogitabat, &, niſi hoc fieret, male conſultum foret generi humano, propterea quod plerique virtutibus non eam operam impendunt, quam habitibus aliis ſibi comparandis impendere ſolent. Hæc vero ideo diſerte hoc loco inculcamus, ut ea per ſe animadvertere adſueſcant, qui beate vivere volunt, cum nimis prolixum foret, ſi ubivis eadem demonſtrare vellemus. Ceterum pietas generalis quædam virtus eſt, quæ per omnes reliquas diffunditur (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ſingulare non eſt, quod etiam in dilectionem ſui influat & eandem ad gradum ſublimiorem evehat, aut, ſi mavis compleat, ne ullus in ea notetur defectus. Sane qui ea probe cognita & perſpecta habet, quæ de pietate demonſtravimus in capite ſecundo partis tertiæ Ethicæ, haud difficulter videbit, pietatem requirere, ut homo ſeipſum non propter ſe, ſed propter Deum diligat, nec ſeipſum propter Deum diligere poſſit, niſi fuerit pius.

§. 58.

Ex dilectione ſui oritur ſtudium ſe ſtatumque ſuum perficiendi.

Qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui, quantum datur, promovere conatur. Qui enim ſeipſum diligit, felicitatem ſuam promovere ſtudet (§. 51.), conſequenter operam omnem dat, ut eum conſequatur ſtatum, quo voluptate vera conſtanter fruitur (§. 636. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ex perfectione vera voluptas vera percipitur (§. 559. *Pſych. empir.*), eademque animus perfunditur, quando nobis ejusdem conſcii ſumus (§. 511. *Pſych. empir.*); qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui, quantum datur, promovere conatur.

Quodſi

Quodſi dicas, homines omnes ſeipſos diligere, non tamen ideo perfectioni ſui ſtatusque ſui ſtudere; quod affirmas, omnino negandum eſt. Etenim omnes quidem homines putant, quod ſeipſos diligant; inde tamen non ſequitur, quod revera ſe diligant. Ignorant enim, quid ſit dilectio ſui, propterea quod neſciunt, in quonam vera felicitas conſiſtat. Error igitur de felicitate parit errorem de dilectione ſui, ut potius ſe odiſſe dicendi ſint, dum ſe diligere ſibi videntur, hoſtes infenſiſſimi felicitatis ſuæ, quam adeo avide inhiant. Intellectus regere debet amorem ſui, cuivis homini naturalem (§. 47.), ut ejus uſu ad felicitatem veram ducatur (§. 48.), ac per conſequens ſe vere diligat (§. 49.). A vera igitur charitate perfectionis ſui ſtatusque ſui ſtudium ſejungi nequit.

§. 59.

De influxu charitatis in omnem virtutem.

Charitas ſui in omnem virtutem influit. Eſt enim habitus ſe diligendi (§. 51.). Quamobrem cum qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui promovere ſtudeat, quantum datur (§. 58.), virtus autem omnis habitus ſit actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) conſequenter ſe ſtatumque ſuum perficiendi (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*); charitas ſui in omnem virtutem influit.

Inde eſt, quod charitas ſui ſpectetur tanquam fons omnium officiorum erga ſeipſum, aut, cum vulgo charitas ab amore ſui non diſtingvatur, officia hominis erga ſeipſum omnia ex amore ſui fluere dicantur. Neque hoc aſſertum a vero prorſus abhorret; etenim ex amore ſui demonſtrari poſſunt officia omnia erga ſeipſum, poterat quoque inde deduci obligatio naturalis: rectius tamen dilectio ſui ex obligatione ſe perficiendi & hæc ex ipſa natura hominis derivatur notioni legis naturæ convenienter (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum a nobis factum eſt partim in parte prima Philoſophiæ

phiæ practicæ universalis, partim in parte prima Juris naturæ. Nimirum exemplum Mathematicorum docet, veritates easdem diversis modis demonstrari posse, prouti vel hæc, vel illa sumitur, ut inde ceteræ demonstrentur.

§. 60.

Quando charitas Dei una cum charitate sui influat in virtutem omnem.

Quoniam charitas sui a charitate Dei dependet, si quis seipsum diligit propter Deum (§. 56.), quemadmodum ab ea dependere debet, si in illa nihil desiderandum (§. 53.), ut sit omnimode perfecta; *si quis seipsum diligit propter Deum, charitas quoque Dei in omnem virtutem influit* (§. 59.).

Quodsi dicas, dari etiam virtutes, quibus praxis officiorum erga alios continetur, & de quibus nos ipsi quoque agemus in parte sequente Ethicæ, in hasce vero non influere charitatem sui, nec charitatem Dei, utut nosmetipsos diligamus propter Deum, sed potius charitatem aliorum, seu proximi, quemadmodum vulgo dicitur termino a Theologis recepto, & charitatem Dei, si quis alios diligat propter Deum; suo loco ostendemus, charitatem sui influere in charitatem, qua alios diligimus, & per consequens etiam in illas virtutes, quibus praxis officiorum erga alios continetur. Neque difficile est id ipsum perspicere ex nexu officiorum erga alios cum officiis erga seipsum, si ad demonstrationes in Jure naturæ animum attendere velimus, & vel inde intelligitur, quod perfectio sui continet studium promovendi aliorum perfectionem. Sed de his uberius dicemus suo loco.

§. 61.

An amor sui motivo indigeat.

Amor sui nullo motivo indiget. Etenim amor sui homini naturalis est (§. 45.), consequenter per ipsam naturam suam homo se amat, nec demum opus est aliqua ratione, qua is se ad amandum seipsum determinet. Quoniam itaque hæc ratio

ratio motivum eſt (§. 887. *Pſych. empir.*); amor ſui motivo nullo indiget.

Quodſi quis objiciat, dari etiam homines, qui ſeipſos oderunt, veluti qui manus violentas ſibi inferunt, ſi vel maxime mentis fuerint compotes. Etenim hi mortem ſibi repræſentant tanquam medium liberationis a malo præſente, vel tanquam depulſionis mali futuri, quod aliter ſe evadere non poſſe arbitrantur. Liberatio vero a malo & mali imminentis vitatio cum referenda ſit in numerum bonorum (§. 745. *part. 1. Jur. nat.*), propricidium ex amore ſui proficiſcitur, quatenus nimirum præſtare autochiri videtur melius non vivere, quam miſerum eſſe, aut malum quoddam ſubire, multas moleſtias creaturum. Vacuitas enim a moleſtia omnino ad felicitatem pertinet, ad quam tendit amor ſui. Abſit ut putes, me autochiriam in hoc caſu probare, quæ ex amore ſui proficiſcitur, quatenus regimini intellectus ſubducitur, cui tamen eundem ſubjiciendum eſſe demonſtravimus (§. 47.).

§. 62.

Si voluntas determinanda ad amorem ſui regimini intellectus ſubjiciendum, perpendendum eſt ſine regimine intellectus contingere, ut amorem ſui a felicitate eo longius recedamus, quo citatius ad eam ferimur. Amor enim ſui tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem propriam (§. 46.), ad felicitatem vero veram ducit recto intellectus uſu (§. 48.), quo bona vera ab apparentibus diſcernuntur (§. 47.), conſequenter ſi intellectus eundem regit (§. 528. *part. 2. Eth.*). Quodſi ergo amor ſui regimini intellectus minime ſubſit, facile contingit, ut bona apparentia confundantur cum veris, conſequenter ut apparentia appetamus. Quamobrem cum bona vera hominem faciant felicem, non apparentia (§. 402. *part. 1. Phil. pract. univ.*), felicitatem, quam inhiamus, non conſequi-

Regimini intellectus ſubjiciendi.

mur, ſed voluptas potius nocua moleſtiam parit, aut in eandem degenerat (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut videamus, nos ad infelicitatem contendiſſe, dum felicitate nos frui putabamus, ideoque a felicitate eo longius receſſiſſe, quo incitatius ad eam ferebamur. Enimvero cum fieri non poſſit, ut quis omni animi contentione ſciens ac volens ſe infelicem reddere ſtudeat (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), dum felicitatem appetit (§. 324. *part 2. Phil. pract. univ.*); ſi voluntas determinanda ad amorem ſui regimini intellectus ſubjiciendum, perpendendum eſt ſine regimine intellectus contingere, ut a felicitate eo longius recedamus, quo citatius ad eam ferimur.

Absque intellectus uſu recto bonum ſola voluptate metiuntur homines (§. 5. *part. 2. Eth.*), conſequenter cum voluptas nocua ab innocua non diſcernatur, a ſolo caſu dependet, ne nocua voluptas ſpecie blanda decipiat colori nimium credentes. Incertum igitur iter eſt ad felicitatem, niſi voluptas vera, quæ in ſe innocua eſt (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ab apparente ſecernatur, conſequenter cum voluptas vera ex vero bono, apparens vero ex apparente naſcatur (§. 559. *Pſych. empir.*), niſi bonum verum ab apparente accurate dignoſcatur, cum felix ſaltem videatur, non ſit qui voluptate nocua fruitur (§. 392. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ſtatus jucundus, qui a felicitate differt (§. 106. *part. 2. Eth.*), cum eadem minime confundi debeat (§. 105. *part. 2. Eth.*). Non omnes homines eadem trahi voluptate, in vulgus notum eſt, & ratio a priori reddi poteſt ex iis, quæ de diverſitate bonorum ac inde ortis inclinationibus demonſtravimus (§. 43. *& ſeqq. part. 2. Eth.*). Quamobrem contingit, ut diverſæ ſint de felicitate opiniones, nec eandem ingrediantur viam, qui eam conſequi ſtudent, tandemque omnes experiantur, ſe opinione ſua fuiſſe deluſos, & alii damnent voluptates nocuas, quibus delectabantur, alii vanitatem

tatem rerum omnium in his terris accuſent, alii de miſeria humana in naturam novercam multas querelas effundant, hominem omnium animalium miſerrimum putantes, quaſi facultates ſuperiores, quibus cetera animalia antecellit, non alio fine ipſi datæ ſint, quam ut magis ſentiat miſeriam ſuam. Iſtiusmodi errores condonari forſan poterant vulgo imperito; aſt in iis, qui videri volunt Philoſophi acumine ſuo ſuperbientes, nullam excuſationem habent. Moroſophi potius dicendi ſunt, qui aliis perſuadere nituntur, vitam beatam conſiſtere in fruitione voluptatum quarumvis, ad quas unusquisque trahitur genio ſuo indulgens, nec voluptatem nocuam aliam dari, niſi quæ percipitur ex facto, ob quod ad ſupplicium incautus rapi poteſt. Facile autem vident, qui attentionem ſuam in ſe deſiderari non patiuntur, motivum ſubjiciendi amorem ſui regimini intellectus, ne is exorbitet, non valere niſi apud eos, qui obediunt rationi. Qui vero habent mentes monſtroſas, quibus libido rationis uſum ademit, ad naturam humanam ante reducendi, quam veriora ipſis perſuadeas, niſi hoc idem ſit ac æthiopem lavare.

§. 63.

Quoniam voluntas determinatur ad amorem ſui regimini intellectus ſubjiciendum, ſi perpendamus, absque regimine intellectus contingere, ut a felicitate eo longius recedamus, quo citatius ad eam ferimur (§. 62.), ſi vero amor ſui intellectus regimini ſubjicitur, nos ipſos diligimus (§. 49.); *ad nos diligendum* quoque *determinamur, ſi perpendamus, nos eo longius a felicitate recedere, quo citatius ad eam ferimur, niſi amor ſui intellectus regimini ſubjiciatur.* *Motivum dilectionis ſui.*

Cum dilectio conſiſtat in voluntate conſtante & perpetua felicitatem ſuam promovendi (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), homo ſeipſum diligere dicendus non eſt, niſi ad veram felicitatem feratur, nec fallacem de ea habeat opinionem. Aliud

enim eſt eſſe felicem, aliud videri, ideoque etiam aliud eſt, ſe diligere, aliud putare, quod nos diligamus. Voluntas igitur determinari nequit ad ſui dilectionem, niſi determinetur ad amorem ſui intellectus regimini ſubjiciendum. Quamobrem non alio opus eſt motivo dilectionis ſui, quam quod eſt ſufficiens ad amorem ſui intellectus regimini ſubjiciendum.

§. 64.

Motivum perſeverandi in dilectione.

Cum voluntas ad nos diligendum determinetur, ſi perpendamus, nos eo longius a felicitate recedere, quo citatius ad eam ferimur, niſi amor ſui intellectus regimini ſubjiciatur (§. 63.), voluntas vero ita determinata manet, niſi ab hac conſideratione mens avertatur (§. 118. *Ontol.*); *ad perſeverandum in dilectione ſui* quoque *determinatur voluntas, ſi perpendamus, quamprimum amor ſui ab intellectu non amplius regitur, contingere ut a felicitate eo longius recedamus, quo citatius ad eam ferimur.*

Perſeverantia in eadem voluntate requirit, ne noſtra de eo opinio, quo ad eam determinandam uſi ſumus, mutetur, nec mens ab eo ad alia eidem contraria avertatur. Quamobrem motivum, quod ſufficit ad voluntatem determinandum, ſufficit quoque ad perſeverantiam in eadem voluntate. Cum vero multa ſint, quæ in præſenti caſu mentem ad alia avocare poſſunt; ideo tanto majorem impendere debemus curam, ne neceſſitas ſubjiciendi amorem ſui regimini intellectus cogitationi noſtræ ſubducatur. Quamobrem cum indies videamus, quam longe a vera felicitate recedant homines; lapſus eorum ſolerter notandus & in rationem ejus inquirendum, ut alieno caſu contra lapſum nos muniamus. Perſeverantiæ in eadem voluntate inprimis conducit ejus, quod verum eſſe cognovimus, quotidiana experientia renovata confirmatio: ita nimirum motivi conſervatur memoria, idemque eo majorem

jorem vim continuo acquirit, quo cognitio efficitur certior. Quæ vero hic de perſeverantia in eadem voluntate dicuntur, non modo de dilectione ſui valere, verum etiam ad virtutem quamcunque aliam trahenda eſſe, facile patet.

§. 65.

De nexu dilectionis ſui cum amore Dei.

Qui ſe diligit propter Deum, Deum amat. Qui enim ſeipſum diligit propter Deum, diligere quoque Deum tenetur. Enimvero amor & dilectio Dei indivulſo nexu cohærent (§. 243. *part. 3. Eth.*), ideoque Deum neceſſario amat, qui eundem diligit. Quamobrem qui ſe diligit propter Deum, Deum amat.

Cohæret etiam amor ſui cum dilectione ſui; ſed non eodem modo, quo amor Dei cum dilectione Dei. Nimirum amor Dei conſiſtit in diſpoſitione animi ex perfectione divina voluptatem percipiendi (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum agnitionem Dei ſupponat, non ſine recto uſu intellectus acquirendam, a ratione dependet, & exinde ſtudium placendi Deo, ideoque dilectio Dei (§. 241. *part. 3. Eth.*), reſultat (§. 234. *part. 3. Eth.*), ut Deum amare nemo poſſit, quin etiam eundem diligat: aſt amor ſui homini naturalis eſt (§. 45.) & inde quidem reſultat cupiditas felicitatis, ſed hæc demum intellectus regimine ad dilectionem reducenda (§. 49.). Amor Dei per ſe rationalis eſt, nec ſine ratione concipitur: amor vero ſui per ſe rationalis non eſt, ſed demum efficiendus. Ratio nimirum differentiæ inde eſt, quod amor ſui non præſupponat notitiam ſui, quemadmodum amor Dei agnitionem ipſius, ut ideo ratio amoris ſui non ſimul ſit ratio ſufficiens dilectionis, quemadmodum ratio amoris Dei eſt ratio quoque dilectionis ejusdem. Et propterea quoque amor ſui non cum amore Dei cohæret, neque etiam dilectio ſui, ſed ſaltem dilectio ſui propter Deum, & amor Dei qua affectus virtutis rationem habet (§. 273. *part. 3. Eth.*),

3. Eth.), non vero amor ſui, qui in ſe ſpectatus indifferens eſt, cum non minus inordinatus, quam ordinatus fieri poſſit (*not. §. 607. part. 1. Jur. nat.*). Talia quidem notanda ſunt, ut virtutum dependentia a ſe invicem intimius perſpiciatur: id quod omnino utile eſt in praxi morali.

§. 66.

Quod dilectio ſui propter Deum faciat partem felicitatis noſtræ.

Quoniam amor Dei cum dilectione ſui propter Deum cohæret (§. 65.), idem vero ad felicitatem noſtram plurimum conferat (§. 251. *part. 3. Eth.*), *dilectio ſui propter Deum ad felicitatem hominis plurimum confert*, conſequenter *qui ſeipſum diligit propter Deum; eo ipſo jam felix eſt, quod propter Deum ſeipſum diligat.*

Hæc facile capit, qui perpendit, quid ſit amor Dei. Quando enim Deum amamus, perfectione ſumma ipſius delectamur (§. 1171. *part. 1. Jur. nat.*). Voluptas inde percepta cum vera ſit (§. 514. *Pſych. empir.*), ea quoque ad felicitatem noſtram pertinet (§. 633. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque amor Dei individuus comes eſt dilectionis ſui propter Deum (§. 65.), dilectio ſui propter Deum felicitatis noſtræ partem facit, quamvis dilectio ſui per ſe conſiſtat in ſtudio promovendi felicitatem noſtram.

§. 67.

De motivo dilectionis ſui propter Deum.

Cum dilectio ſui propter Deum ad felicitatem noſtram plurimum conferat, ut jam ſimus felices, propterea quod nos ipſos propter Deum amamus (§. 66.), homines autem omnes felices eſſe velint (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *dilectio ſui propter Deum ſeipſam homini commendat*, conſequenter *ut velimus nos ipſos diligere propter Deum, perpendendum ſaltem eſt, quod ea partem felicitatis noſtræ faciat.*

Patet

Patet hinc, quod paulo ante monuimus, in praxi morali utile eſſe, ut virtutum a ſe invicem dependentiam intime perſpiciamus: id quod etiam requiritur, ſi veritatem eorum, quæ in Moralibus demonſtrantur, in nobis ipſis experiri velimus. Alias enim contingere ſolet, ut, cum defectu adhuc laboret virtus, falſa de eadem prædicari opinemur, quod ea, quæ prædicantur, in nobis minime experiamur. Videtur nonnullis dilectio ſui in nimium extendi, quando urgetur, ut nos diligamus propter Deum, & vitæ beatæ conſecutionem præter neceſſitatem reddi difficilem. Aſt cum non advertant, ipſam dilectionem ſui, ſi nos propter Deum diligamus, animum perfundere voluptate; ideo nec capiunt, quod hoc modo dilectio ſui reddatur amabilis, eidemque detrahatur moleſtia, quæ alias oriri poterat, niſi amor Dei cum dilectione ſui copulatus affunderet voluptatem, quæ moleſtiam omnem vincit. Diſcimus vero hinc etiam, quod, antequam quis ſe recte diligere poſſit, virtutibus theologicis, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, ſedulam operam navare debeat.

§. 68.

Qui ſe diligit propter Deum, Deum quoque diligit eidemque ſe obedientem præbet. Qui enim ſe diligit propter Deum, Deum amat (§. 65.). Qui vero Deum amat, eundem quoque diligit, eidemque ſe obedientem præbet (§. 243. *part. 3. Eth.*). Qui ergo ſe diligit propter Deum, Deum quoque diligit eidemque ſe obedientem præbet.

De nexu dilectionis Dei & obedientiæ ipſi debitæ cum dilectione ſui.

Nexus hic dilectionis ſui propter Deum cum dilectione Dei & obedientia erga ipſum probe conſiderandus, ut appareat, quantum differat dilectio ſui propter Deum & dilectio ſui propter ſe. Quodſi enim ad dilectionem ſui accedat amor Dei (§. 65.) & dilectio ejusdem & obedientia erga ipſum, *vi præſentis*, longe alius evadit animi ſtatus, quam ſi nos ſaltem

tem diligamus propter nosmet ipsos, ut felicitatem nostram intendamus per modum finis ultimi (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), non vero per modum medii ad finem totius universi, propter quem Deus mundum & hominem in eo condidit (§. 54.). Diversitas status elucescit, si considerentur ea, quæ de amore ac dilectione Dei & de obedientia erga ipsum demonstrata sunt, quatenus nimirum per has virtutes animus efficitur imperturbatus, tranquillus atque lætus. Notandum præterea, quod qui se diligit saltem propter se, personam suam tantummodo bene gerat tanquam homo, cum non attendatur nisi obligatio, quæ ex natura humana fluit; qui vero se diligit propter Deum, personam suam quoque bene effingit, quæ ipsi tanquam creaturæ imposita est & tanquam servo Dei, cum etiam attendatur obligatio inde descendens, quod homo sit creatura atque servus Dei.

§. 69.

Quomodo charitas sui cum charitate Dei coalescat & obedientiam erga Deum una continet.

Quoniam qui se diligit propter Deum, Deum quoque diligit eidemque se obedientem præbet (§. 68.), charitas vero Dei est habitus diligendi Deum (§. 241. *part. 3. Eth.*) & charitas sui habitus diligendi seipsum (§. 51.); *si nos diligimus propter Deum, charitas Dei cum charitate sui coalescit & obedientiam erga Deum una continet.*

Quando igitur nos diligimus propter Deum, charitas sui & charitas Dei fiunt una eademque virtus, ut ideo recte dixerit D. *Thomas*, eandem esse charitatem, qua nos & Deum diligimus. Nimirum si recta est dilectio Dei, homo quoque sese diligere nequit nisi propter Deum. Obedientia vero erga Deum trahitur in charitatem, quatenus eadem Deum diligimus (§. 243. *part. 3. Eth.*), quæ abesse potest, si nos saltem diligimus propter nos, cum tunc tantummodo attendatur obligatio ex natura humana derivata (*not.* §. 68.).

§. 70.

Digitized by Google

§. 70.

Charitas ſui perfecta eſt, ſi nos diligimus propter Deum: *imperfecta* vero, ſi nos ſaltem diligimus propter nos. Quamobrem cum charitas ſui cum charitate Dei coaleſcat, ſi nos diligimus propter Deum (§. 69.); *charitas ſui perfecta eſt, ſi cum charitate Dei coaleſcit, imperfecta vero, ſi ab eadem dividitur.* *Quid ſit charitas ſui perfecta, quid imperfecta.*

Niſi charitas ſui cum charitate Dei coaleſcat, defectu quodam laborat, propterea quod nos diligentes non toti obligationi ſatisfaciamus (*not.* §. 68.). Unde appāret, ſi quis ignorat dari Deum, aut ſi fuerit atheus, vel de exiſtentia Dei dubitat, charitatem, qua ſe diligit, non poſſe perfectam eſſe. Intereſt autem ipſius hominis, ut charitas ſit perfecta (*not.* §. *cit.*). Quamobrem abſit, ut exiſtimemus, quaſi charitas ſui reddatur moleſta, ſi cum charitate Dei coaleſcit, ut nos diligamus propter Deum. Sane quando Deus a nobis exigit, ut nos propter ipſum diligamus (§. 53.), optime nobis conſulit, & hinc quoque diſcimus, Deum legislatorem induere perſonam patris præceptis ſuis ſaluti liberorum ſuorum optime conſulentis (§. 189. *part. 3. Eth.*).

§. 71.

Qui ſe diligit, virtutem diligentiſſime colit, præſertim ſi ſe diligit propter Deum. Qui enim ſe diligit, omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne reddatur infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque ſine virtute nemo felix eſſe poteſt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*); vitio autem deditus felix eſſe nequit (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quin potius ſe infelicem reddit (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nihil eorum omittit, quæ ad virtutem colendam faciunt, quantum in poteſtate ſua eſt. Quamobrem cum agens eo diligentior ſit, *De dilectione ſui cultum virtutis promovente.*

ſit, quo magis ſollicitus eſt, ne quid eorum prætermittatur, quod certo fine fieri debet (§. 752. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui ſe diligit, virtutem diligentiſſime colit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum dilectio ſui propter Deum plurimum conferat ad felicitatem hominis (§. 66.), ideoque cum charitate Dei coalescens fiat ardentior (§. 69. *h.* & §. 250. *part. 3. Eth.*); qui ſe diligit propter Deum, tanto ſollicitior eſt, ne quid omittat eorum, quæ ad culturam virtutis faciunt, *per demonſtrata n. 1.* Seipſum itaque diligens virtutem inprimis diligentiſſime colit, ſi ſe diligit propter Deum. *Quod erat alterum.*

Quamvis charitas ſui virtus ſit (§. 53.), non tamen ideo abſonum eſt, quod culturam virtutis promoveat. Eſt enim virtus generalis, quæ in omnem virtutem influit (§. 59.). Relegenda igitur hic ſunt, quæ de hoc influxu ſupra demonſtravimus. Quamvis vero inde jam conſtare poterat, quod ſeipſum diligens virtutem colat, cum alias dilectioni ſui & amori ordinato ſui ſatisfacere minime poſſit, neque ſatiare appetitum felicitatis naturalem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); hic tamen expreſſius adhuc oſtendendum erat, qualis ſit cultura virtutis & unde naſcitur diligentia ad eam adhibita. Eſt autem diligens virtutis cultura ſignum dilectionis ſui. Quodſi quis agnoſcat, ſe adhuc vitio quodam laborare, nec hoc emendare ſtudet, certus omnino eſſe poteſt, quod ſeipſum nondum diligat, quemadmodum debet, multo minus autem ſe diligat propter Deum. Carentia virtutis cujusdam labem infert aptitudini repræſentandi perfectionem Dei, ad cujus adeptionem tendit dilectio ſui propter Deum, vitium eandem deformat.

§. 72.

Digitized by Google

§. 72.

Qui ſe diligit propter Deum, pietatis ſtrenuus cultor eſt. Qui enim ſe diligit propter Deum, dilectionem ſui dirigit in finem, propter quem Deus hoc univerſum ipſumque hominem condidit (§. 54.). Quamobrem cum Deus condiderit hoc univerſum, ut gloriam ſuam manifeſtet (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), hominemque condiderit, ut gloriam ſuam promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*); dum ſeipſum diligens perfectionem ſui, quantum datur, promovere conatur (§. 58.), ſi ſe diligit propter Deum, omni animi contentione id agit, ut qua agens liberum evadat aptus ad manifeſtandam gloriam divinam (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero homo per determinationem actionum liberarum gloriam divinam aliter manifeſtare nequit, quam ſi attributa divina ſint motiva actionum liberarum (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), quando vero actiones ſuas liberas determinat per motiva ab attributis divinis deſumta, pius eſt (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui ſe diligit propter Deum, pietatis ſtrenuus cultor eſt.

De nexu dilectionis ſui propter Deum cum pietate.

Patet ex demonſtratione præſenti, quod dilectio ſui propter Deum ſine pietate concipi nequeat. Nemo ſeipſum propter Deum diligit, niſi fuerit pius. Non moramur objectiones, quas forſan nonnulli afferre poterant: exempla enim, ad quæ provocant, non erunt niſi eorum, qui dilectionis propter Deum ac pietatis notiones diſtinctas minime habent, quemadmodum plerique pietatem ad obedientiam reſtringunt, quatenus putant ideo hominem eſſe pium, quod hoc facit, vel non facit, quia Deus vult ut faciat, vel non faciat, & propterea quoque ipſam dilectionem ſui propter Deum ex obedientia æſtimant (*not.* §. 54.), conſequenter a pietate non dividunt, ſed eam partem hujus faciunt, aut exiſtimant, ideo hominem ſe diligere propter Deum, quia Deum amare de-

Digitized by Google

bet ſuper omnia, conſequenter magis, quam ſeipſum. Quamvis notionibus iſtis inſit aliquid veri propter indivulſum dilectionis ſui atque pietatis nexum, confunduntur tamen, quæ a ſe invicem diſcernenda erant. Et licet forſitan nonnullis parum referre videatur, ut ea confundantur; accuratius tamen ſingula penſitanti conſtabit, non eundem eſſe animi in iſta confuſione ſtatum, qui eſt, quando ſingula, prouti facimus ac fieri debet, a ſe invicem diſtingvantur, quatenus is æſtimandus eſt ex omni uſu facultatum, qui in determinationem voluntatis influit. Immo ſi vel maxime contingat, ut in determinationem voluntatis ſingula tacite influant, quatenus latebris & receſſibus in animis hominum plurimum tribuendum; philoſophi tamen eſt, ea, quæ latent, in apricum deducere. Neque inutilis exiſtimari debet philoſophi labor, quia notionibus ſufficienter evolutis acumine ſuo in poteſtatem noſtram ea redigit, quæ alias a fortuna erant expectanda. Atque hæc, quæ de dilectionis propter Deum cum pietate nexu dicimus, etiam in aliis notanda veniunt. Ceterum vide, quæ ſupra de influxu pietatis in dilectionem ſui ac utriusque concordia demonſtravimus & annotavimus (§. 57.).

§. 73.

De directione actionum ſe diligentis propter Deum ad perfectionem totius univerſi.

Quoniam qui ſe diligit propter Deum, ſtrenuus pietatis cultor eſt (§. 72.), qui vero pietatem ſtrenue colit, actiones ſuas omnes ad perfectionem totius univerſi dirigit (§. 119. *part. 3. Eth.*), *qui ſe diligit propter Deum, actiones ſuas omnes ad perfectionem univerſi dirigit.*

Cum qui ſe diligit, perfectionem ſui promovere ſtudeat, quantum datur (§. 58.); videbitur forſan nonnullis, actiones ſe diligentis jam dirigi ad perfectionem totius univerſi, etiamſi ſe non diligat propter Deum: perfectionem enim accidentalem, quæ in habitu agendi conſiſtit, perinde facere ad perfectionem totius mundi, ſicuti perfectio eſſentialis non modo hominis, ſed omnium creaturarum. Enimvero non quæritur,

Digitized by Google

tur, num actiones humanæ per ſe, ſeu in ſe ſpectatæ tendant ad perfectionem univerſi, ſed num dirigantur ab agente in perfectionem univerſi. Etenim in caſu poſteriori agens intendit perfectionem univerſi per ſui perfectionem: hæc vero intentio abeſt in caſu priori. Qua de cauſa neceſſe eſt, ut homo ſciat ſe perfectionem univerſi promovere perfectione ſua & ut velit illam promovere uſus tanquam motivo, quod Deus hunc mundum elegerit ob perfectionem majorem, quæ ipſi quam ceteris mundis poſſibilibus ineſt (§. 325. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nolit imperfectione ſua deformare opus Dei. Ideo cum de hac directione actionum liberarum ad perfectionem univerſi ageremus (§. 118. *part. 3. Etb.*), jam monuimus, in actionibus liberis diſtinguendum eſſe phyſicum a morali, & uberius expoſuimus, quæ ad iſtam actionum directionem intimius perſpiciendam pertinent, ibique legi poſſunt, ne alibi jam dicta denuo ſint repetenda. Atque hoc demum pacto homo etiam qua agens liberum perfectionem hujus univerſi promovet, & dignus mundi civis eſt. Deus actiones hominum phyſice ſpectatas tam bonas, quam malas dirigit in bonum finem, qui ſubordinatur fini ultimo, quem per creationem univerſi intendit, ut eodem non excidat, ac per conſequens ad perfectionem totius mundi: aſt hominis quoque eſt agere, quod ſuum eſt, ideoque actiones ſuas liberas, quatenus a ſua voluntate pendent, itidem ad perfectionem totius univerſi dirigere debet. Ita nimirum voluntas libera impenditur in eum uſum, quem præſtant Deo creaturæ omnes vi eſſentiæ ſuæ, & homo jam ſervit Deo ex toto animo ac omnibus viribus. Velim hæc probe conſiderent omnes, quibus perfecta charitas curæ cordique eſt (§. 70.), quemadmodum omnibus eſſe debet (§. 53.). Ut vero conſiderare poſſit, ex Theologia naturali addiſcenda ſunt, quæcunque ibidem de actionibus hominum liberis demonſtrantur.

§. 74.

Directio actionum ad perfectionem univerſi eſt complementum De comple-

fectionis humanæ.

perfectionis humanæ. Etenim perfectio hominis consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), eaque accidentalis est, quatenus in directione actionum liberarum consistit (§. 912. *part. 1. Theol. nat.*). Enimvero perfectio totius mundi itidem consistit in aptitudine manifestandi gloriam Dei (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem si actiones liberæ ab homine ita dirigantur, ut per eas gloria divina manifestetur, quatenus liberæ sunt, ideoque a voluntate agentis dependent (§. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*); dum ad perfectionem universi diriguntur, in perfectione hominis accidentali nihil amplius desideratur. Completa vero demum est perfectio hominis, si nulla parte deficiat: id quod per se patet. Directio igitur actionum ad perfectionem universi complementum est perfectionis humanæ.

Si actiones liberæ determinantur per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, ad perfectionem hominis tendunt (§. 49. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cumque consensus actionum liberarum cum naturalibus faciat perfectionem accidentalem (§. 528. *Ontol.*), homo quatenus homo est, seu absolute & in se spectatus, accidentaliter quoque perfectus est, sicuti ens omne, ideoque etiam homo perfectione essentiali gaudet (§. 528. *Ontol.*). Enimvero homo etiam pars mundi est, cum mundus sit series entium finitorum tam simultaneorum, quam successivorum (§. 48. *Cosmol.*), in quorum numero etiam homo est, quod per se patet, & quæ omnia simul sumta (§. 110. *Cosmol.*) tanquam partes faciunt mundum totum (§. 341. *Ontol.*). Quamobrem non sufficit hominem qua hominem esse accidentaliter perfectum, sed etiam requiritur, ut accidentaliter perfectus sit, quatenus est pars hujus universi, tanquam liberum agens. Quoniam itaque perfectio ipsius accidentalis consentire debet cum perfectione

Digitized by Google

ctione totius univerſi, quæ in aptitudine repræſentandi ſummam creatoris ac gubernatoris hujus univerſi, ſeu manifeſtandi gloriam divinam conſiſtit (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*); ſi in perfectione hominis accidentali nihil deſiderari debet, neceſſe eſt ut actiones quoque ejus liberæ, quatenus liberæ ſunt, determinentur per eandem rationem finalem, per quam determinatæ ſunt omnes actiones naturales in tota rerum natura, nimirum per manifeſtationem gloriæ divinæ (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Hoc vero pacto actiones humanæ diriguntur ad perfectionem univerſi, ſicque tandem hac actionum directione perfectio hominis completur, ut nihil in ea deficiat.

§. 75.

De rectitudine ſtudii ſe perficiendi.

Quoniam directio actionum ad perfectionem univerſi eſt complementum perfectionis noſtræ (§. 74.), actiones autem omnes ad perfectionem univerſi dirigimus, quando nos propter Deum diligimus (§ 73.); *ſtudium ſe perficiendi tunc demum rectum eſt, ſi ex dilectione ſui propter Deum procedit.*

Studium ſe perficiendi ſi rectum eſſe debet, rationem ſufficientem in eſſentia & attributis hominis habere neceſſe eſt (§. 64 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet ex iis, quæ modo annotavimus (*not.* §. 74), ad eſſentiales determinationes hominis referri etiam debere, ut ſit pars hujus univerſi, cum vi eſſentiæ ſuæ locum inveniat in hac ſerie rerum, quæ univerſi fert nomen, quatenus tanquam poſſibile in ſe ſpectatum cum ceteris poſſibilibus in ſyſtema redigi aptum intelligitur. Quamobrem cum perfectionis totius univerſi cauſa hanc ſeriem rerum per modum partis ingrediatur, quæ per actionum liberarum directionem promovetur, quatenus per eas perfectio ſui intenditur per modum medii perfectionis totius univerſi; ſtudium ſe perficiendi tunc demum recte ſe habet, ſi ex dilectione ſui propter Deum procedit (§. 73.). Atque tunc in ſtudium ſe perficiendi impenditur omnis facultatum uſus,

uſus, quem habere poſſunt, ita ut nihil deſideretur ex parte intellectus, voluntatis atque noluntatis, quemadmodum actiones rectæ requirunt (§. 79. *part 1. Phil. pract. univ.*). Qui penitius inſpicere voluerit, quomodo in ſtudium ſe perficiendi omnis facultatum uſus, quem habere poſſunt, impendatur; tam ea, quæ paſſim in Theologia naturali de actionibus humanis liberis earumque directione ad perfectionem totius univerſi (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), tum etiam de hac in Ethica (§. 119. *part. 3. Eth.*) demonſtrata ſunt. Pleniſſima autem lux affulgere nequit notioni directionis actionum ad perfectionem totius univerſi ac inde pendentis perfectionis completæ hominis, niſi quis notionem adæquatam habuerit, quæ ſucceſſivo ſtudio ſyſtematis veri nominis acquirenda. Iter ad notiones adæquatas aliud non eſt. Ceterum non eſt, quod miremur, ſi videamus, quod ea quæ clariſſima & certiſſima ſunt iis, qui in ſyſtemate evolvendo diligentiam ſuam deſiderari paſſi non fuerunt, aliis nunc obſcura vel non ſatis clara videantur, ut non ſatis intelligantur, nunc vero dubia, ut aſſenſus vacillet. Aſt vehementer falluntur, ſi de illis ex ſe ſtatuunt. Impoſſibile autem eſt, ut ſingulis a ſyſtemate avulſis ea lux affundatur, quam nonniſi habent, quatenus in ſyſtemate continentur.

§. 76.

De placentia ſui.

Homini naturale eſt, ut ex ſe ob perfectionem ſui voluptatem percipiat, ſibique placeat. Voluptas enim conſiſtit in intuitu perfectionis alicujus (§. 511. *Pſych. empir.*), ideoque homini naturale eſt, ut, quamprimum perfectionem quandam ſibi repræſentat, eandemque agnoſcit, voluptate perfundatur, conſequenter ut voluptatem percipiat ex eo, cui tanquam ſubjecto perfectio iſta inhæret. Quamobrem naturale ipſi eſt, ut ex ſe quoque ob perfectionem ſui voluptatem percipiat. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero id, ex quo voluptatem percipimus, nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum homini naturale ſit, ut ex ſe ob perfectionem ſui voluptatem percipiat, *per demonſtrata n. 1.* homini naturale eſt, ut ob perfectionem ſui ſibi placeat. *Quod erat alterum.*

Placentiam ſui ob perfectionem ſui eſſe homini naturalem, experientia docet, modo attentionem ſufficientem afferamus & acute ſingula diſcernamus, quæ in perceptionibus noſtris continentur, aut in earum determinationem influunt. Nimirum ſi voluptatem ex re quacunque, vel etiam homine quocunque percipere debeamus, neceſſe eſt ut ei quidpiam inſit, quod noſtra opinione perfectionibus accenſetur, ut ad idem animum attendamus & tanquam perfectionem idem nobis repræſentemus. Ita e. gr. voluptatem percipimus ex imagine, cujus perfectio in ſimilitudine cum prototypo conſiſtit, ſi ad ſimilitudinem animum attendimus & eandem cognoſcimus. Utique autem ſupponendum eſt, non influere in ſtatum animi præſentem alia, quæ impediunt, quo minus fiat, quod alias extiturum erat: id quod omnes obſervationes pſychologicas difficiles reddit, ob latebras nimirum & receſſus in animis hominum (§. 72. *part. 1. Eth.*), ut multa circumſpectione opus ſit, ne judicium deproperemus. Eodem igitur modo voluptatem ex nobis percipimus, ſi cujusdam perfectionis noſtræ nobis ſimus conſcii: ſit ita quod perfectionem nobis inhærentem conſideremus tanquam rem a nobis diverſam & inſcii fingamus ſubjectum, cui perfectio iſta ineſt, ut ipſam ſpectemus tanquam rem a nobis diverſam, ideoque ex ipſa perfectione voluptatem nos percipere dicamus, quam revera ex nobis tanquam ſubjecto ejus percipimus. Ita quoque dicimur delectari ſimilitudine imaginis, etſi revera imagine delectemur ob ſimilitudinem. Hæc ideo monemus, ut loquamur quidem cum vulgo, ſed ſentire tamen diſcamus cum doctis, &, quando opus eſt, loquendi formulas vulgares veritati accommodemus. Enimvero nemo quoque erit,

qui non animadvertat, immo etiam dicat, ſibi hoc placere, quamprimum voluptatem ex eo percipit. Sane dicimus nobis placere imaginem, ſi ex ea voluptatem percipimus, & quæſiti cur placeat, non aliam rationem allegamus, quam ſimilitudinem, ſicuti ex adverſo ad diſſimilitudinem provocamus, quando non placet. Satis igitur exploratum eſt, placentiam ſui ob perfectionem ſui homini naturalem eſſe.

§. 77.

De gradibus placentiæ.

Quoniam homini naturale eſt, ut ſibi placeat ob perfectionem ſui (§. 76.); *quo majoris perfectionis ſibi fuerit conſcius opinione ſua, eo magis quoque ſibi placet.*

Gradus nimirum placentiæ æſtimandus eſt ex gradu voluptatis, quæ percipitur, hic autem pendet ab opinione de gradu perfectionis (§. 516. *Pſych. empir.*). Equidem vulgo placentia reſtringitur ad actum vitioſum, quo homo ſibi placere ſtudet; neceſſe tamen eſt ut ſignificatum vocabuli latius extendamus, cum deſint alia, eundemque extendamus ad omnem actum, quo quid nobis placet, tam in genere, quam in ſpecie, habita moralitatis ratione ſpectatum, ne damnemus, quod probandum erat, ſaltem non condemnandum, aut eradicari velimus, quod eradicari nequit.

§. 78.

Quando placentia ſui nihil vitii habeat.

Si vera fuerit perfectio, ob quam nobis placemus, placentia nihil vitii habet. Etenim obligamur lege naturæ, ideoque ab ipſo Deo (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut actiones noſtras ad nos & ſtatum noſtrum perficiendum dirigamus (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque nobis naturale eſt, ut ob perfectionem noſtram nobis placeamus (§. 76.), tanto quidem magis, quanto major fuerit perfectio (§. 77.); placentia ſui legi naturæ & voluntati divinæ non contra-

contrariatur, ſi vera fuerit perfectio. Quamobrem cum nihil vitii habeat, quod legi naturæ, ac per conſequens voluntati divinæ (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), minime contrariatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); placentia ſui nihil vitii habet, ſi vera fuerit perfectio, ob quam nobis placemus.

Qui placentiam ſui ſimpliciter damnant, animum ſaltem attendunt ad eos, quos placentia ſui ad vitia ſeducit: id quod plerumque fieri ſolet, ſi quidem vana perfectionis ſpecie deluduntur. Ex demonſtratione autem præſentis & anterioris propoſitionis (§. 76.) atque iis, quæ ad eandem annotavimus (*not. §. cit.*), haud difficulter intelligitur, quod neque naturam humanam, neque legem naturæ intime perſpiciant. Ignorantiæ igitur tribuendum deproperatum de placentia ſui judicium. Standum vero eſt veritate, ſicque nebulæ, quæ mentis aciem obtundunt, quo minus verum videre poſſit, protinus evaneſcent, & non difficile erit judicium, utrum placentiæ ſui vitii quidpiam inhæreat, nec ne. Fieri equidem poteſt, ut homo ſibi placens etiam ob perfectionem veram in vitium labatur: ecquis vero eſt qui neſciat, bonis quoque hominem abuti poſſe?

§. 79.

Quoniam placentia ſui nihil vitii habet, ſi vera fuerit perfectio, ob quam nobis placemus (§. 78.); *qui a placentia ſui vitioſa ſibi cavere vult, perfectiones veras ab apparentibus diſcernere diſcat neceſſe eſt*, cumque directione ad perfectionem univerſi perfectio humana compleatur (§. 74.), actiones vero ſuas ad perfectionem univerſi dirigit, qui ſe diligit propter Deum (§. 73.), *qui a placentia ſui vitioſa ſibi cavere vult, ſe propter Deum diligere debet.* *Quando placentia ſui vitioſa vitetur.*

Dilectio ſui propter Deum, conſequenter charitas ſui perfecta

fecta (§. 70.), placentiam ſui adverſus vitia tuetur. Quodſi enim nos diligimus propter Deum, per noſtram perfectionem intendimus perfectionem univerſi (§. 73.), quæ cum conſiſtat in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*), ideo nobis placemus, quod ſimus pars digna hujus univerſi, aut minimum non indigna, Deoque ſerviamus ad promovendam gloriam ſuam, cujus manifeſtandi cauſa mundum hunc (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*) & nos in eo condidit (§. 115. *part. 3. Eth.*). Charitas ſui tum demum perfecta eſt, ſi nos diligimus propter Deum (§. 70.), & noſtra perfectio conſiſtit in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ſi in perfectione noſtra nihil deſideretur, & charitas ſui nullo laboret defectu; verendum non eſt, ne placentia ſui vitium contrahat atque homini damnoſa efficiatur. Ea, quæ hic dicuntur, ſatis explanata ſunt & abunde inculcata paſſim in operibus noſtris, ut ſuperfluum foret, aliquoties jam dicta denuo repetere, quæ alibi legi poſſunt. Immo ſi quis vel ea ad animum revocet, quæ in parte tertia Ethicæ habentur, & hucusque in præſenti dicta fuerunt, aſſenſum non denegabit his, quæ vi eorum in præſenti demonſtrantur. Quamvis enim non defuturi ſint, forſitan haud pauci, quibus hæc paradoxa videntur, propterea quod ipſis ignota loquamur; inde tamen nullum præjudicium naſcitur veritati, quam ſatis firmiter demonſtratam profitemur, felicitatis generis humani cupidi.

§. 80.

Quandonam Deus magis, quam nos nobis placemus, placeat.

Qui ſibi placet ob perfectionem ſui, ei Deus magis placebit ob perfectionem, qua ipſe gaudet, ſi ſe diligit propter Deum. Etenim ſi quis ſibi placet ob perfectionem ſuam, ſeipſum autem diligit propter Deum; cum Deum agnoſcere debeat, qui propter Deum ſe diligere vult, non modo perfectionis ſuæ, verum etiam perfectionis divinæ ſibi conſcius eſt. Quamobrem

rem cum perfectio divina ſit abſolute ſumma (§. 14. *part. 2. Theol. nat.*), qnæ perfectionem humanam infinito intervallo poſt ſe relinquit, quo major autem fuerit perfectio, eo major quoque voluptas ſit, qua animus perfunditur (§. 516. *Pſych. empir.*), conſequenter eo magis quoque placeat ens perfectione iſta præditum (§. 542. *Pſych. empir*); fieri omnino nequit aliter, quam ut ſibimet ipſi placenti ob perfectionem ſui Deus magis placeat ob perfectionem, qua ipſe gaudet, ſi ſe propter Deum diligit.

Nihil eſt frequentius, quam ut homines ſibi mirifice placeant, quibus tamen non placet Deus. Aſt non una ratio eſt, cur hoc contingat. Sunt longe plurimi, qui veram perfectionem ab apparente non diſcernunt, aut, ſi vel maxime vera fuerit perfectio, eidem juſtum pretium non ſtatuunt, dum vero ad perfectionem propriam animum attendunt, de perfectione divina non cogitant. Alii diſtinctis perfectionum divinarum notionibus deſtituuntur, ut vocabula, quibus indigitantur, præſertim ſi ad Deum referuntur, ipſis propemodum ſint ſine mente ſonus, conſequenter etſi videantur ſibi agnoſcere Deum, eum tamen non agnoſcunt, ſaltem non quantum ſatis eſt, ut ſibi propter easdem placeat Deus. Alii non convicti ſunt veritatis, ut omnimode certi ſint, Deo competere has perfectiones, quas eidem tribui norunt, ideoque cognitio earundem in appetitum nullo modo influit. Quot vero, quæſo, ſunt, quibus cognitum atque perſpectum eſt, perfectionem hominis, etiam quatenus ſpectatur tanquam agens liberum, conſiſtere in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandi gloriam ipſius (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque perfectionem ſui ſubordinari debere perfectioni mundi, ob quam Deus eum elegit, quem ad exiſtentiam perduceret, per modum medii? Neque enim hoc agnoſcit, niſi qui ſeipſum diligit propter Deum (§. 73.). Videmus itaque, quam multi ſint ſcopuli, in quos

impingunt qui ſibi placent ob perfectionem ſui. Talia qui animadvertunt, placentiam ſui penitus damnant, atque inculcant, hominem ſibi placere non debere, & contendunt, placentiam ſui eundem abducere a Deo, qui ſolus ipſi placere debeat. Quantum fallantur iidem, antea jam monuimus (*not.* §. 78.): hic vero adhuc obſervamus, opinionem iſtam praxi morali plurimum adverſari, cum placentia ſui, modo recte ſe habeat, & inprimis ſi ex dilectione ſui propter Deum procedat, ut nulla vitii labe inficiatur (§. 74.), incitamentum ſit ad progreſſum in ſe perficiendo, immo nos eo adducat, ut Deus nobis magis placeat.

§. 81.

Quomodo præcavendum, ne nobis nimis placeamus.

Ne quis ſibi nimis placeat, neceſſe eſt ut perfectionem, qua gaudet, rite æſtimet, ſimulque imperfectionem, qua adhuc laborat, agnoſcat. Etenim ſi perfectionem, qua gaudemus, rite æſtimare diſcamus, non plus nobis perfectionis tribuemus, quam revera competit, nec eas majoris faciemus, quam fieri debet. Quodſi etiam imperfectionem, qua adhuc laboramus, agnoſcamus, gradum perfectionis, cujus facti ſumus compotes, & quinam in ea adhuc notentur defectus cognoſcemus, ac præterea conſtabit, quænam adhuc nobis deſint, conſequenter facile videbimus, quantum imperfectio ſuperet perfectionem. Quoniam itaque gradus voluptatis, qua perfundimur, pendet a gradu perfectionis (§. 516. *Pſych. empir.*), & huic reſpondet placentia ſui (§. 542. *Pſych. empir.*); ſi perfectionem noſtram rite æſtimare ſimulque imperfectionem, qua adhuc laboramus, agnoſcere diſcamus; fieri non poterit, ut nobis magis placeamus, quam par eſt. Quamobrem ne nimis placeamus, neceſſe eſt, ut perfectionem, qua gaudemus, rite æſtimemus, ſimulque imperfectionem, qua adhuc laboramus, agnoſcamus.

Si

Si veritate ſtatur, non vero opinionibus fallacibus, quemadmodum in Philoſophia morali ſemper ſupponitur, verendum non eſt, ne nobis nimium placeamus. Equidem nihil frequentius eſt nimia placentia ſui. Quodſi vero inquiras in rationem, cur quis ſibi nimium placeat, ſemper deprehendes, quod id, ob quod ſibi placet, rite æſtimare non norit, & quod animum non attendat ad imperfectiones, quibus laborat. Sane videas multos ſibi placere ob pulchritudinem corporis, præſertim faciei, quam in ſpeculo contuentur, quamvis careant iis virtutibus intellectualibus & moralibus, in quibus vera perfectio conſiſtit, cum qua comparari nequit egregia licet forma corporis. Videas alios ſibi placere ob divitias, quas ſoli fortunæ acceptas ferunt, alios ob vanos honores, qui in titulis conſiſtunt, alios eruditione ſua admodum modica. Aſt hi omnes perfectionem humanam rite æſtimare minime norunt, nec imperfectiones, quibus obnoxii ſunt, agnoſcunt. Quodſi putes, nimis arduum eſſe, ut perfectiones, quæ in hominem cadunt, rite æſtimentur; tenendum eſt, non requiri geometricam perfectionum æſtimationem, quam in poteſtate noſtra nondum eſſe ultro agnoſcimus, nec uſui fore in praxi morali, ſi vel maxime daretur, ultro confitemur, cum ea ad pauciſſimorum foret captum. Sufficit, ut nos comparemus cum aliis, qui nos eo, ob quod nobis placemus, antecellunt, ut conſideremus, eam nondum eſſe perfectionem, quæ incrementum capere non poſſit, ut perpendamus, quænam ad perfectionem humanam requiſita adhuc nobis deſint. Quemadmodum vero perfectione ſua homo delectatur & ob eandem ſibi placet: ita ex adverſo imperfectionis ſuæ ſibi conſcius moleſtia afficitur (§. 518. *Pſych. empir.*), ideoque ob eandem ſibi diſplicet (§. 542. *Pſych. empir*) & ubi imperfectionem ſuperare perfectionem agnoſcit, magis diſplicebit, quam placebit. Moleſtia vero hinc orta reprimit voluptatem, neque ideo permittit, ut nimis ſibi placeat. Quoniam vero perfectionis præſertim propriæ æſtimatio admodum ardua & difficilis eſt, imperfectiones, quibus laboramus, facilius nobis

bis innoteſcere poſſunt; ideo non refragamur, ut hominibus ſedulo inculcetur, quod ſibi magis diſplicere, quam placere debeant, & ut ad agnitionem imperfectionum, quibus obnoxii ſunt, perducantur. Immo eodem fine unusquisque, quando ſibi placet ob perfectionem, qua gaudet, animum avocare debet ad imperfectionem, cui obnoxius eſt, ut placentiam ſui diſplicentia temperet, ne in nimium extenſa vitium contrahat.

§. 82.

Medium rite æſtimandi perfectionem ſuam.

Quoniam, ne quis ſibi placeat, neceſſe eſt, ut perfectionem, qua gaudet, rite æſtimet, ſimulque imperfectionem, qua adhuc laborat, agnoſcat (§. 81.); *perfectionem ſuam rite æſtimaturus operam dare debet, ut perfectionem hominis tam eſſentialem, quam accidentalem intime perſpiciat, & ea, quæ ſibi, quæ naturæ ac fortunæ debet, probe a ſe invicem diſcernat, ut quorum conſervatio in poteſtate ſua eſt, & quorum conſervatio ab eadem minime dependet, perpendat, nec minus imperfectiones tam poſitivas, quam privativas, quæ in privatione perfectionum conſiſtunt, cognoſcat.* Ita enim demum judicium ferre poterit de eo, quod ſibi ineſt, vel deeſt, & quomodo expendendus ſit ſtatus externus conſtabit.

Quodſi hæc perpendamus, facile conſtabit, cur in æſtimanda perfectione ſua tantopere a vero aberrare ſoleant homines, ideoque ſibi nimium placeant. Aſt ſi quæſiveris, undenam cognitio eorum, quæ hic commendantur, haurienda ſit; obſervandum eſt, duplicem patere ad eandem viam, prout vel a priori, vel a poſteriori ad eandem pervenire velimus, quamvis omnino præſtet, ut utramque ſimul ingrediamur. Nimirum a priori eandem acquirimus ſtudio philoſophiæ, inprimis Juris naturæ & Ethicæ atque Politicæ: a poſteriori, ſi animum advertamus ad exempla præclara, quæ tam hiſtoria, quam

Digitized by Google

quam quotidiana experientia nobis offert. Conſtat *Confucium*, cujus tanta eſt autoritas apud Sinenſes, ſibi nimium non placuiſſe, quamvis continuo obſervaret, quousque in ſe perficiendo progreſſus fuiſſet, perfectionis ſuæ æſtimator ſolers. Enimvero non minus conſtat, eum lectione Annalium, conſequenter exemplorum conſideratione plurimum profeciſſe. Et ex libris claſſicis Sinarum conſtat, quod in hac re omnia tribuerint exemplis. Negari tamen minime poteſt, ſi notiones diſtinctas ſatisque adæquatas ex philoſophia hauſerimus, & ad eorum normam exempla examinemus, cognitionem, quam inhiamus, multo luculentiorem fore, ut certius inde ſperandum ſit adverſus nimiam placentiam ſui præſidium.

§. 83.

De dilectione ſui, inprimis propter Deum ad voluntatem bonam requiſita.

Dilectio ſui ſimpliciter ſpectata, tum etiam dilectio ſui propter Deum pertinet ad voluntatem bonam. Etenim ſi voluntas bona eſſe debet, generaliter determinanda eſt ad actiones, quæ tendunt ad perfectionem ſui ſtatusque ſui, & ad committendas actiones, quas Deus a nobis committi vult (§. 121. *part. 2. Eth.*). Enimvero qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui, quantum datur, promovere ſtudet (§. 58.), & ſi ſe diligit propter Deum, eidem ſe obedientem præbet (§. 68.), immo actiones ſuas omnes ad perfectionem univerſi dirigit (§. 73.), quemadmodum vult Deus (§. 900. *part. 1. Theol. nat.*), cum in hac directione conſiſtat complementum perfectionis humanæ (§. 74.). Patet itaque dilectionem ſui ſimpliciter, tum etiam dilectionem ſui propter Deum ad voluntatem bonam pertinere.

Dilectio ſui ac inprimis dilectio ſui propter Deum voluntatem bonam efficit conſtantem & perpetuam. Etenim cum amor ſui homini naturalis ſit (§. 45.) &, quando ab intellectu regi-

Bayerische Staats...

regitur, quemadmodum regi debet (§. 47.), homo ſeipſum diligat; dubitari nequit, quin ſeipſum diligenti ſit propoſitum firmum non faciendi, niſi quod ad perfectionem ſui ſtatusque ſui tendit, quodque voluntati divinæ convenit, ut ab eo nulla ratione ſeſe abduci patiatur, nec in ullo caſu emergente alia ipſi ſit mens. Enimvero voluntas conſtans eſt, quando mutari nequit in contrarium, eademque perpetua, quando eadem in omni caſu (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem dilectio ſui, etiamſi ſimpliciter ſpectetur, voluntatem bonam efficit conſtantem & perpetuam, nimirum ut ſemper atque firmiter determinata ſit ad non faciendum, niſi quod ad perfectionem ſuam ſtatusque ſui tendit. Enimvero cum dilectio ſui propter Deum magis adhuc moveat voluntatem, quatenus agnoſcimus, absque ea perfectioni noſtræ adhuc deeſſe ſuum complementum, nec eam omnibus numeris eſſe abſolutam (§. 74.); facile concipitur, eadem conſtantiam & perpetuitatem voluntatis adhuc magis firmari, ut ſemper inconcuſſa maneat.

§. 84.

De notitia ſui ad dilectionem ſui requiſita.

Dilectio ſui ſupponit notitiam ſui. Dilectio ſui conſiſtit in conſtante ac perpetua voluntate omni ſtudio id agendi, ut ſimus felices, nobisque cavendi ne reddamur infelices (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nil omittendum, quod voluptatem veram nobis creare (§. 638. *Pſych. empir.*) & arcendum id omne, quod moleſtiam affert (§. 639. *Pſych. empir.*), atque porro agnoſcendum, quonam facultatum atque virium, itemque rerum noſtrarum uſu, vel etiam aliorum ope atque auxilio conſequi poſſimus ea, quæ nobis voluptatem veram creant, vel vitare aut avertere, quæ moleſtiam afferunt. Enimvero ipſa notitia ſui homini voluptatem creat, quatenus bona, quæ habet, perpendit (§. 29.), & impedit, quo minus moleſtia afficiamur, ſi qua nobis deſunt, quæ in poteſtate

ſtate noſtra non ſunt, aut, ſi qua amittantur, quorum conſervatio in poteſtate noſtra non eſt (§. 30.). Et qui ſe noſcit, tum ea, quæ ſibi natura inſunt, qua animam & corpus, tum quæ quomodocunque acquiſita, tum quæ quoad ſtatum externum contingunt, cognoſcit (§. 3.). Quamobrem patet dilectionem ſui notitiam ſui ſupponere.

Ea de cauſa præmiſimus notitiam ſui dilectioni ſui, ne quid deſideretur, quod noſſe debet, qui ſeipſum diligere vult. Homines omnes ſeipſos amant (§. 45.) & amor ſui tendit ad felicitatem propriam conſequendam & infelicitatem propriam depellendam (§. 46.); ſed non omnes felicitatem, quam inhiant, conſequuntur, nec infelicitatem, quam horrent, depellunt. Non fruuntur bonis, quæ habent, nec ea acquirere ſtudent, quæ nondum habent, atque ita, dum ad felicitatem contendunt, via lapſus eſt. Torquent animum multiplici moleſtia, qua carere poterant, &, dum ſe felices eſſe putant, in infelicitatem citatim contendunt, voluptate nocua deluſi (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc vero accidunt, quia non norunt bona ſua, quibus frui poterant, nec bona, quæ conſequi ſtudent, recte dijudicant, immo non perpendunt, quænam in poteſtate ſua ſunt, & quæ extra eandem poſita. Quamdiu vero hac ignorantia laborant & præjudicatis opinionibus occœcantur, in viam rectam reduci nequeunt. Quodſi vero huic malo medela afferenda, neceſſe eſt ut ſeipſos noſcere diſcant, quemadmodum abunde patet ex iis, quæ in capite præcedente fuſius demonſtrata & explicata fuerunt. Niſi amor naturalis ab intellectu regatur (§. 47.), ut recto ipſius uſu ad felicitatem ducamur (§. 48.), nec fieri poteſt, ut nos ipſos diligamus (§. 49.). Neque enim ſufficit, ut nos actu diligamus, ſola voluntas ſe diligendi.

§. 85.

Quoniam dilectio ſui ſupponit notitiam ſui (§. 84.), *Medium* conſequenter qui ſe diligere vult, ſeipſum noſcere debet; *quo proficiendi*

in dilectione ſui.

magis quis proficit in notitia ſui, eo aptior evadit ad ſe diligendum, ideoque *eo magis in dilectione ſui proficere poteſt.*

Ex demonſtratione propoſitionis præcedentis patet, notitiam ſui per ſe plurimum conferre ad dilectionem ſui, ſive rationem habeamus felicitatis poſitivæ, ſive privativæ, ac præterea monſtrare viam ad dilectionem ſui & in eadem nos retinere, ne aberremus (§. 84.). Quamobrem dubitandum non eſt, quin dilectio ſui cum notitia ſui indies majora capiat incrementa. Immo cum notitia quoque ſui nos doceat modum perſonam ab ipſa natura nobis impoſitam recte gerendi (§. 17.), eadem quoque nos ducit ad dilectionem propter Deum (§. 54.), ut directione actionum ad perfectionem univerſi perfectioni noſtræ addatur complementum (§. 74.), & per conſequens voluptas intenſior (516. *Pſych. empir.*) majorem efficiat felicitatem noſtram (§. 638. *Pſych. empir.*).

§. 86.

Impedimentum duplex dilectionis ſui & quomodo utrumque tollatur.

Quoniam notitia ſui ad dilectionem ſui requiritur, ita ut nemo ſe recte diligere poſſit, niſi ſeipſum noſcere ſtudeat (§. 84.); *ignorantia ſui & neglectus ſui impedimentum reſtæ dilectionis eſt*, conſequenter *impedimentum iſtius tollitur ſtudio ſe noſcendi, hoc vero motivis, quæ injinuat notitia ſui intimius perſpecta* (§. 26. 29. 30.).

In acquirendis virtutibus etiam obſervandus eſt ordo, perinde ac in condendo ſyſtemate, propter nexum virtutum, vi cujus una ab altera dependet. Notitia ſui fundamentum eſt cognitionis intimæ virtutum omnium, quibus praxis officiorum omnium tam erga Deum, quam erga nos & alios continetur. Cum enim Jus naturæ rationem ſufficientem habeat in natura humana (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), officia vero ſint actiones juxta legem naturæ determinatæ (§. 225. *part 1. Phil. pract. univ.*); ratio ſufficiens officiorum non agnoſcitur, niſi

natura

natura humana fuerit cognita. Et quia virtutes intellectuales ſunt habitus intellectus, virtutes autem morales habitus voluntatis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*); virtutes omnes recto facultatum noſtrarum uſu acquiruntur, quibus praxis officiorum continetur (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec ratio ſufficiens modi acquirendi virtutes agnoſcitur, niſi cognita & perſpecta fuerit natura humana. Quemadmodum vero virtutes omnes in ſe mutuo quoque influunt, & ea eſt natura hominis, ut modificationes præteritæ tacite influant in præſentes, quemadmodum vel ex habitibus intelligitur, quando ex iisdem agimus, ſicque ex ſtatu præſente naſcitur ſequens, quatenus impræguatur per præteritum, quemadmodum alias expoſuimus (§. 408. 409. *Pſych. empir.*), idemque abunde patet, ſi quis mentis ſuæ aciem intendit in demonſtrationes noſtras pſychologicas atque morales; notitia quoque ſui ceterarum virtutum cultura promovetur, non ſolum quia habitus iſti a nobis acquiſiti ad notitiam ſui pertinent (§. 3.), verum etiam quia ipſorum acquiſitio uſui facultatum & inclinationibus ac reclinationibus debetur, quæ nobis natura inſunt. Omnia quæ in hominem cadunt limitata ſunt & dum continuo perficiuntur, incrementa capiunt tacito quodam in ſe invicem influxu. Quamobrem virtus nulla a ceteris ſeparata ad eum gradum perducitur, ad quam evehi poterat; ſed ab initio ſubſiſtendum eſt in inchoamento, quod cum influit in inchoamentum alterius, virtus una adhuc imperfecta cum fœnore reddit auxilium, quod ipſi præſtitum fuerat, ſicque una alteram mutuo ſeſe perficiendo ad ſublimiorem gradum evehit. Nullus dubito, ſtrenuos virtutis cultores hoc per ſe animadverſuros, ſi mentis aciem, quam pollicetur tractatio diligens ſyſtematis noſtri, in id convertere voluerint, immo ex ipſis demonſtrationibus atque iis, quæ ad easdem annotamus, idem jam addiſci poterit. Quemadmodum enim in mundo ſenſibili unum inſervit uſui alterius, & certe magis, quam vulgo animadvertitur; ita idem obtinet in mundo rationali, de quo alias diximus (§. 257. 258.

263. *part. 1. Theol. nat.*). Ad mundi autem rationalis contemplationem ducit ſyſtema noſtrum. Quemadmodum enim philoſophiæ ſtudium ſyſtematicum non inepte dicitur peregrinatio in mundo rationali; ita ſyſtema noſtrum comparari poteſt Itinerario, in quo deſcribuntur ea, quæ a nobis in hac peregrinatione in mundo rationali obſervata fuerunt. Sed nolo hisce ulterius explicandis diutius immorari, ne videar nimis longe a ſcopo digredi.

§. 87.

De ignorantia veræ felicitatis dilectionis ſui impedimento.

Impedimentum dilectionis ſui eſt ignorantia veræ felicitatis. Etenim qui ſe diligit, omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne ſit infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo ignoret, in quonam vera felicitas conſiſtat; dum eandem inhiat appetitu naturaliter in eandem lato, opinione falſa deluſus eo longius ab ea recedit, quo citatius ad eam fertur. Obſtat igitur, quo minus ſtudium collocet in vera felicitate conſequenda, ignorantia felicitatis veræ. Quamobrem eadem quoque impedit, quo minus ſeipſum diligat, dum ſe diligere ſibi videtur. Atque hinc patet, ignorantiam veræ felicitatis eſſe impedimentum dilectionis ſui.

Nemo judicare poteſt, num quis ſeipſum revera diligat, niſi qui novit, quid ſit felicitas vera, ut ſpeciei fucatæ, quæ a ſcopo aberrantibus imponit, colorem detrahat. Quodſi vero is inquirere voluerit in rationem aberrationis, eam non aliam eſſe deprehendet niſi falſam de felicitate opinionem, quæ veræ felicitatis ignorantiam ſupponit. Veræ enim felicitatis agnitio in fugam agit falſam quamcunque de felicitate opinionem.

§. 88.

De impedimento iſto tollendo.

Quia veræ felicitatis ignorantia impedimentum dilectionis ſui eſt (§. 87.); *ſi quis ſe diligere debet, ejus animo ante omnia*

omnia inſinuanda eſt veræ felicitatis notio, conſequenter cum felix non ſit, niſi qui voluptate vera (§. 636. *Pſych. empir.*), conſequenter innocua fruitur (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), felix autem non ſit, ſed ſaltem ſibi videatur, qui voluptate nocua fruitur (§. 392. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *neceſſe eſt, ut voluptatem nocuam ab innocua diſcernere diſcat* (§. 383. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Non opus eſt, ut prolixe oſtendamus, quomodo felicitas vera ſit agnoſcenda & nocua voluptas ab innocua diſcernenda: id ipſum enim abunde patet ex iis, quæ paſſim a nobis demonſtrata ſunt, hoc loco non repetenda.

§. 89.

Qui omnem felicitatis curam abjicit, aut felicitatis cupidus ea conſequi ſtudet, quæ hominem felicem reddere nequeunt, aut prorſus infelicem faciunt; legem naturæ transgreditur. Lege naturali enim præcipitur, ut nos diligamus (§. 607. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter omni ſtudio id agamus, ut ſimus felices, noſque caveamus, ne reddamur infelices (§. 606. *part. 1. Jur. poſtero feliciſque*), conſequenter ut curam habeamus felicitatis noſtræ. Enimvero legem naturæ transgreditur, qui non agit, quod juxta eam agere debet (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui omnem felicitatis curam abjicit, legem naturæ transgreditur. *Quod erat unum.*

De iis, qui omnem felicitatis curam abjiciunt & præpoſtero felicitatis ſtudio.

Quoniam lex naturæ urget, ut actiones noſtras dirigamus ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), utique veram (§. 154. 49. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cujus ſi nobis ſumus conſcii, vera voluptate perfunditur animus (§. 513. *Pſych. empir.*); ſtudium ea conſequendi nobis injungit, quæ veram voluptatem creant, conſequenter

quenter veræ felicitatis nos participes reddunt (§. 638. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis felicitatis cupidus ea conſequi ſtudet, quæ hominem felicem reddere nequeunt, aut prorſus infelicem faciunt, contra legem naturæ actiones ſuas determinat. Quoniam itaque legem naturæ transgreditur, qui actiones ſuas contra eandem determinat (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui felicitatis cupidus ea conſequi ſtudet, quæ hominem felicem reddere nequeunt, aut prorſus infelicem reddunt, legem naturæ transgreditur. *Quod erat alterum.*

Duplici modo contingit, ut legem naturæ transgrediamur, vel omittendo actiones, quæ eadem præcipiuntur, vel committendo actiones, quæ eadem prohibentur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Sicuti nimirum actiones humanæ vel poſitivæ ſunt, vel negativæ (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita etiam transgreſſio legis naturæ vel in actione poſitiva, vel privativa, ſeu negativa conſiſtit, ideoque vel poſitiva, vel negativa eſt. Ad illam referendam præpoſterum felicitatis ſtudium, ad hanc vero abſentia omnis curæ felicitatis. Quamvis omnes natura felicitatem appetant (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſentur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), hoc tamen non obſtante dari homines, qui omnem felicitatis curam abjiciunt, & ſe totos fortunæ poteſtati ſubjiciunt, experientia docet. Ecquis enim eſt, qui neſciat, dari longe plurimos, quorum actiones omnes ſunt indeliberatæ, & qui ſola conſuetudine & cæca imitatione aliorum ducuntur parum ſolliciti, quales ſint actiones ſuæ & quemnam reſpectum habeant ad felicitatem. Minime ſolliciti ſunt, quid ex actionibus ſuis conſequatur, & quæcunque tandem inde eveniant, non tamen agnoſcunt, quod ex actionibus ſuis conſecuta fuerint. Eorum animum nunquam ſubit cogitatio felicitatis, multo minus de modo eam conſequendi ſolliciti ſunt. Et ſi vel maxime contingant, quæ ipſis molestâ acci-

accidunt; non tamen conſiderant, utrum culpa ſua, an caſu contingant, ſed genio ſuo indulgentes vel ea ſaltem abominantur, vel de iis conqueruntur. Perverſum vero felicitatis ſtudium noto notius eſt, cum ſit plerorumque hominum commune. Putat nimirum unusquisque ſe eſſe felicem, ſi ea fruitur voluptate, quæ ipſum trahit, ideoque omne ſtudium in ea conſequenda convertit, quæ iſtiusmodi voluptatem ipſi creant. Hinc videas voluptuoſum inhiare ea, quæ ſenſus hilarant; lucri cupidum curam inſumere ad pecuniam acquirendam, honoris vani cupidum affectare titulos, præcedentiam & laudes quascunque immeritas vanamque gloriam, horum vero quemlibet ſe putare felicem, ſi voti ſui compos reddatur.

§. 90.

Quoniam legem naturæ transgreditur, qui omnem felicitatis curam abjicit, aut felicitatis cupidus ea conſequi ſtudet, quæ hominem felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem faciunt (§. 89.), conſequenter uterque actiones ſuas contraria ratione dirigit, quam lege naturæ præſcribitur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), habitus vero actiones ſuas contraria ratione dirigendi, quam lege naturæ præſcribitur, vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *non minus vitium ſit. vacuitas animi ab omni cura felicitatis, quam præpoſterum felicitatis ſtudium vitium eſt.*

An vacuitas animi ab omni cura felicitatis & præpoſterum ſtudium vitium ſit.

Pauci agnoſcunt, vacuitatem animi ab omni cura felicitatis & præpoſterum ejus ſtudium vitium eſſe, quamvis utrumque plurimum noceat. Quid enim homini magis noxium eſſe poteſt, quam ſi privatur felicitate, qua frui poterat? Nocumentum enim vitii aliunde æſtimari nequit, quam ex infelicitate tam privativa, quam poſitiva, in quam utramque incidit, qui alterutro vitio laborat.

§. 91.

De iis qui ſeipſos non diligunt & charitatis ſui expertes ſunt.

Qui omnem felicitatis curam abjicit, vel felicitatis cupidus ea conſectatur, quæ hominem felicem reddere nequeunt, ſed potius infelicem faciunt; ſeipſum non diligit & charitatis ſui expers eſt. Qui enim felicitatis curam abjicit, omni ſtudio id minime agit, ut ſit felix, nec ſibi cavet, ne fiat infelix, quod per ſe patet. Enimvero qui non omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix, ſeipſum non diligit (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo qui omnem felicitatis curam abjicit, ſeipſum non diligit. *Quod erat primum.*

Quoniam qui omnem felicitatis curam abjicit, ſeipſum non diligit, *per demonſtrata n. 1.* charitas vero ſui habitus eſt ſeipſum diligendi (§. 51.); qui omnem felicitatis curam abjicit, charitatis ſui expers eſt. *Quod erat ſecundum.*

Porro qui felicitatis quidem cupidus eſt, ea tamen conſectatur, quæ hominem felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem faciunt; is quoque omni ſtudio id non agit, ut revera ſit felix, nec ſibi ſatis cavet, ne fiat infelix, quod per ſe patet. Enimvero ſeipſum minime diligit, qui non omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui felicitatis cupidus ea conſectatur, quæ hominem felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem faciunt, ſeipſum non diligit. *Quod erat tertium.*

Denique quod idem charitatis ſui expers ſit, eodem modo oſtenditur, quo idem demonſtravimus de eo, qui omnem curam felicitatis abjicit, *n. 2.* *Quod erat quartum.*

Vulgo dicitur, omnes homines ſe per naturam ſuam diligere, & propterea quod dilectio ſui homini naturalis exiſtimatur,

matur, inde inferunt, non opus eſſe ut præcipiatur, ideoque nec obligationem ſeipſum diligendi agnoſcunt, ſicuti nulla datur obligatio concoquendi cibum. Quamobrem nec agnoſcitur, charitatem ſui eſſe virtutem. Enimvero ex antea demonſtratis ſatis patet, vulgo non ſatis diſtingui, quæ a ſe invicem diſcernenda ſunt. Hoc quidem verum eſt, quod omnes ſe diligere velint; ſed aliud omnino eſt ſe diligere velle, aliud vero ſe actu diligere. Qui ſe diligere volunt, confuſam quandam, nec ſatis determinatam felicitatis, aut, ut cum *Seneca* loquamur, vitæ beatæ habent; ſed qui ſe revera diligere vult, notionem ejus diſtinctam & ſufficienter determinatam habere & ad eandem contendere debet. Nemo concedet, eum eſſe ſapientem, vel temperantem, qui ſibi videtur, cum non ſit. Imo etiam ſe diligere dicendus non eſt, qui ſaltem ſibi videtur ſe diligere, non vero revera diligit. Confundunt homines ſtatum jucundum, quem diximus (§. 105. *part. 2. Eth.*), cum felicitate (§. 106. *part. 2. Eth.*): quod eo facilius contingit, quia felicitas ſtatus jucundus eſt, non autem omnis ſtatus jucundus felicitas eſt (§. 105. *part. 2. Eth.* & §. 636. *Pſych. empir.*). Habet hoc ſtatus jucundus cum felicitate commune, quod in utroque ſtatu voluptate fruamur: aſt in eo differunt, quod in ſtatu jucundo voluptas quoque eſſe poſſit, immo plerumque ſit ſaltem apparens & nocua, felicitas vero non contineat niſi voluptatem veram, quæ ſemper innocua eſt (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cum in Moralibus ſtandum ſit veritate, ideoque huic vocabula ſint accommodanda; dilectio ſui & per conſequens Charitas (§. 51.) reſtringenda eſt ad felicitatis veræ ſtudium, non vero extendenda ad quemlibet ſtatum jucundum. Vide, quæ alias jam annotavimus de iis, qui ſtatum jucundum cum felicitate confundunt (*not.* §. 101. *part. 2. Eth.*), ne exiſtimes præter rationem nos immutare notiones vocabulis uſitatis reſpondentes, quod non minus a more noſtro, quam a veræ methodi legibus alienum eſt (§. 147. *Diſc. prælim.*).

§. 92.

Quid perverſio dilectionis & torpedo ſit.

Præpoſterum felicitatis ſtudium *Perverſionem dilectionis*; vacuitatem animi ab omni felicitatis cura *Torpedinem* appellare lubet. Quoniam non minus præpoſterum felicitatis ſtudium, quam vacuitas animi ab omni felicitatis cura vitium eſt (§. 90.); *perverſio dilectionis & torpedo ſunt vitia*, & quia charitas in habitu ſe diligendi (§. 51.), conſequenter felicitatem ſuam omni ſtudio promovendi conſiſtit (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), *vitia ſunt charitati ſui oppoſita.*

Cum vulgo non agnoſcatur, charitatem ſui eſſe virtutem, immo ipſum nomen charitatis ſui non pervulgatum ſit; non eſt quod miremur, vitia charitati ſui oppoſita nominibus carere. Quamobrem cum vitia a virtute, cui opponuntur, diſtinxerimus, eadem quoque nominibus diverſis inſigniri debebant (§. 145. *Diſc. procl.*). Quoniam itaque ſtudium felicitatis pervertunt, qui præpoſtere conſectantur ea, quæ hominem felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem reddunt, etſi felicitatem, quam non agnoſcunt, inhient; præpoſterum hoc felicitatis ſtudium Perverſionem dilectionis appellamus. Quod vitium alterum attinet, quo omnis felicitatis cura abjicitur, & quod a præpoſtero felicitatis ſtudio diſtingvendum eſſe oſtendimus (*not.* §. 90.), vocabulum magis conveniens reperire non potuimus, quam torpedo. Quamvis enim torpedo non minus corporis, quam animi debilitationem atque ſtuporem ſignificet, ideoque ſignificatus latius multo extentatur, quam quem nos in præſenti eidem tribuimus; non tamen iſtiusmodi reſtrictio in ipſo communi ſermone prorſus ignota eſt. Atque eadem in præſenti caſu tanto facilius admittenda, quia torpor & torpedo tanquam ſynonyma uſurpantur, & vocabulum illud hoc uſitatius eſt, ut hoc pacto vocabulo uſitatiori reſervari poſſit ſignificatus latior, tantoque minor ſit metus ambiguitatis, a qua in philoſophia abſtinendum, quamvis hic metus evaneſcat, ſi vocabulo cuidam,

dam tanquam termino technico tribuatur fixus quidam ac determinatus ſignificatus, qui ab eo, quem in communi ſermone habet, nec in totum abit, nec cum eo prorſus conſentit. Talia moneri conſultum duximus, quod uſui eſſe poſſint in aliis. Quodſi vero quis exiſtimet, ſibi ſufficere, ut rem teneat, & norit vitia charitati ſui oppoſita, etſi nulla habeant nomina, quibus appellentur; is per nos ea, quæ ipſis impoſuimus, rejiciat, modo ab utroque vitio ſibi caveat ac ſe revera diligat. Immo cum vocabula ſint arbitraria & valeant ſicut nummi; ſi alia iisdem magis convenire & ad eadem ſignificandum aptiora eſſe exiſtimet, rejectis noſtris pro lubitu alia in eorum locum ſubſtituat: neque enim ulli in tali caſu loquendi legem præſcribimus.

§. 93.

Perverſio dilectionis corrigitur, ſi felicitatis veræ notio animo Remedium inſinuetur & ad ejus cognitionem vivam adducamur modumque eam perverſionis conſequendi cognoſcamus. Etenim ſi veræ felicitatis notionem habemus, fieri non poterit, ut apparentem cum vera confundamus (§. 80. *Log.*), conſequenter ut putemus, nos eſſe felices, ſi hoc, vel iſtud conſequamur, quod nos felices reddere nequit, vel prorſus infelices facit. Quodſi adducamur ad cognitionem vivam felicitatis veræ, ut ſimus certi, nos revera fore felices, ſi hoc, vel illud conſequamur (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), cum per naturam felicitatem appetamus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſemur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ea quoque conſequi volumus, quæ nos felices faciunt, & vitare ex adverſo, quæ faciunt infelices (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi porro cognoſcamus, quomodo felicitatem conſequamur, conſequenter quænam conſectari debeamus, ut felices evadamus, nec in infelicitatem ruamus; ea quoque

conſequi non ſtudebimus, quæ nos felices reddere nequeunt, vel prorſus infelices reddunt, omnia nimirum referentes ad felicitatem veram tanquam medium. Quoniam itaque felicitatis ſtudium præpoſterum non eſt, ſi ea conſectamur, quæ nos revera felices faciunt, non vero ea, quæ facere nequeunt, vel nos prorſus infelices reddunt, præpoſterum autem felicitatis ſtudium perverſio dilectionis eſt (§. 92.); ſi vera felicitatis notio animo inſinuetur & ad ejus cognitionem vivam adducamur modumque eam conſequendi cognoſcamus, perverſio dilectionis corrigitur.

Nihil hic præcipitur, quod quomodo fieri poſſit, ex operibus noſtris non conſtet. Quid enim ſit vera felicitas, ex Pſychologia addiſcitur, in qua non modo veræ felicitatis notionem dedimus (§. 636. *Pſych. empir.*), verum etiam eas tradidimus, in quas eadem reſolvitur (§. 514. *Pſych. empir.* & §. 503. *Ontol.*), ut efficiatnr, quantum ſufficit, adæquata (§. 95. *Log.*). Quomodo cognitio viva acquiratur, docuimus quoque jam alias (§. 249. 273. 274. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Et quoniam virtus eſt, quæ hominem facit felicem, nec ſine ea felices eſſe poſſumus (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), modus autem conſequendi virtutem non ſolum in genere in Philoſophiæ practicæ univerſalis parte altera, verum etiam in ſpecie in Ethica explicatur: unde ejus notitia haurienda ſit, manifeſtum eſt. Multa omnino ſunt addiſcenda, ut remedium perverſionis dilectionis penitus intelligamus: aſt qui in ſyſtemate noſtro verſatus fuerit, ei non ignotum erit, quanta ſit differentia, ut, quod cognoſcimus penitus intelligamus, non vero aliquatenus, quantum nobis ſufficere videtur ad uſum cognitionis acquiſitæ. Qui penitus intelligere vult ea, quæ docemus, in ſyſtemate noſtro pertractando ordine progredi debet: ita enim ſenſim ſenſimque ad omnia penitus intelligenda adducetur, ſi vel maxime de eo non cogitet. Haud raro remedia vitiorum inefficacia habentur, quod non

non ſatis intellecta perperam adhibentur. Quamobrem neceſſe eſt, ut ſatis intelligantur, ſicque recte adhibeantur: ad quod multa circumſpectione opus eſſe non diffitemur, facile conſentientes habituri, qui in ſyſtemate noſtro diligenter verſati ſunt.

§. 94.

De remedio torpedinis.

Contra torpedinem remedium eſt repræſentatio periculi, cui ſe exponit vitio huic obnoxius. Torpidus enim habet animum prorſus vacuum ab omni cura felicitatis (§. 92.), conſequenter cum de felicitate conſequenda minime cogitet, eadem facilitate contingit, ut conſectetur ea, quæ felicem ipſum facere nequeunt, quam ea, quæ felicem faciunt, utpote indifferens ad eam voluptatem, ut ab hac ſe trahi patiatur, quam occaſio offert. Quamobrem fieri nequit, ut felicitatis fiat compos, quæ in ſtatu lætitiæ, aut voluptatis veræ durabili conſiſtit (§. 636. *Pſych. empir.*); quin potius innumeris moleſtiis torquetur, quibus carere poterat, nec ex ſuo, multo minus ex caſu alieno diſcit, quæ ſibi in poſterum vitanda ſint. Quamobrem cum non modo carentia voluptatis veræ, qua frui poteramus, verum etiam moleſtiæ, quibus torquemur, ad infelicitatem hominis pertineant (§. 639. *Pſych. empir.* & §. 754. *part. 1. Jur. nat.*), homo vero per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract.*), infelicitatem averſetur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter fieri nequit, quin averſetur eum ſtatum, in quo jacturam voluptatis facere & moleſtiis, a quibus liber eſſe poterat, animum torquere cogitur; ſi hæc perpendit, neceſſarium eſſe agnoſcit, ut cura felicitatis non abjiciatur. Quoniam itaque torpidus non eſt, qui felicitatis curam habet (§. 92.); contra torpedinem remedium eſt repræſentatio periculi, cui ſe exponit vitio huic deditus.

Ut

Ut a malo ſuo liberetur torpidus, neceſſe eſt ut agnoſcat quam periculoſum ſit nullam habere curam felicitatis, nec homini vivendum eſſe brutorum more, quæ cum ratione careant ſe tota caſui permittunt. Quodſi enim agnoſcat curæ felicitatis habendæ neceſſitatem, facilem quoque præbebit aurem viam ad felicitatem monſtranti, ut ad dilectionem ſui perducatur. Torpidus non falſas fovet de voluptate opiniones, quæ eradicandæ ſunt; ſed ſibi perſuadet, eam eſſe hominis conditionem, ut voluptas atque moleſtia alternet, ideoque facilius eſt ut ad veræ felicitatis cognitionem adducatur.

§. 95.

De eo cum ſucceſſu adhibendo.

Quoniam remedium contra torpedinem eſt repræſentatio periculi, cui torpidus ſe exponit (§. 94.), experientia autem domeſtica nos eorum, quæ ad veritates morales pertinent, omnium optime convincit (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *ſi quis torpedine ſua jacturam fecit voluptatis veræ, qua frui poterat, aut incidit in moleſtias, a quibus liber eſſe potuiſſet, ad hoſce caſus animus advertendus eſt, ut, omnibus circumſtantiis probe expenſis, videat utrumque eveniſſe, quod omnem curam felicitatis abjecerit, qua adhibita prævidere potuiſſet ex actionibus ſuis conſecutura.*

Diſtingvenda eſt ſcientia remediorum contra vitia ab eorundem adhibitione. In Ethica demonſtratur, quænam ſint remedia ad hoc vel iſtud vitium depellendum apta, ut eorum efficacia intelligatur; aſt in adhibitione obſervandæ ſunt regulæ generales, quæ in parte ſecunda Philoſophiæ practicæ univerſalis de praxi morali in genere, & in parte ſecunda Ethicæ de voluntate perficienda & emendanda demonſtravimus. Pro varietate enim ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum variat remediorum uſus: neque enim eadem conveniunt omnibus, nec idem eodem prorſus modo adhibetur cum ſucceſſu, ſi vel maxime conveniat. In adhibitione igitur plurimum

Digitized by Google

mum tribuendum eſt experientiæ, præſertim domeſticæ, cujus magna vis eſt in emendandis hominum animis. Juvat ea mirifice præſenſionem futuri, quæ ad actiones, quatenus vel ad felicitatem, vel ad infelicitatem quidpiam conferunt (§. 638. 639. *Pſych. empir.*), rite diſcernendas requiritur. Diſcimus enim hinc, quænam ex actionibus humanis conſequantur & quinam conſecuturus ſit ſtatus ex præſenti: ubi tamen plurimum refert diſcernere ea, quæ neceſſario conſequuntur, ab his, quæ caſu quodam concurrente conſequi poſſunt, ut certa a probabilibus diſtingvantur. Quamvis enim probabilium non minus habenda ſit ratio in directione actionum, quam certorum, majore tamen circumſpectione opus eſt, ſi ab illis, quam ſi ab his expectanda eſt curatio animorum. Caſus autem agnoſcuntur ex circumſtantiis, per quas determinantur (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Sola ratione regere appetitum & averſationem perquam difficile eſt nimisque arduum. Experientia ſibi in emendatione animorum maximam vindicat partem non modo in adhibitione, verum etiam in electione remediorum, hisque dat efficaciam, quam pro conditione ſubjecti ratio dare nequit. Hæc omnia ſatis aperta & explorata erunt iis, qui in ſyſtemate noſtro verſati ſunt. Quodſi ceteris videantur vel obſcura, vel dubia, hos ſcire velim, quod ſine luce videre non poſſimus, ſed in tenebris caligemus, conſequenter in apricum eſſe prodeundum, ſi luce frui velimus.

§. 96.

Contra perverſionem dilectionis remedium eſt repræſentatio ja- *Aliud reme-*
cturæ felicitatis veræ, qua quis frui potuiſſet, & moleſtiarum, quibus dium contra
torſit, aut adhuc torquet animum, ſed quas evitaturus fuiſſet, niſi perverſionem
falſam de felicitate opinionem foviſſet, itidemque periculi, cui ſe ex- *dilectionis.*
ponit, niſi de felicitate rectius ſentire diſcat. Quoniam enim perverſio dilectionis ſui in præpoſtero felicitatis ſtudio conſiſtit (§. 92.), qui huic vitio deditus eſt, felicitatis quidem cupi-

Digitized by Google

dus eſt, ſed ob falſam de eadem opinionem, quam fovet, ea conſectatur, quæ ipſum felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem reddunt. Quodſi ergo cognoſcit, ſe jacturam feciſſe felicitatis veræ, qua frui poterat, & moleſtiis multis animum torſit, vel etiamnum torquet, quas evitare potuiſſet, atque agnoſcit, utrumque tribuendum eſſe opinioni falſæ, quam de felicitate fovet, atque præterea perpendit, non aliam fore ſortem ſuam, ſi in hac opinione perſiſtat, conſequenter periculum, cui ſe exponit, ſi in eadem permaneat, in dubium non vocat; opinionem ſuam miſſam faciet atque rectius ſentire diſcet. Patet itaque remedium contra perverſionem dilectionis eſſe repræſentationem jacturæ felicitatis veræ, qua frui potuiſſet, & moleſtiarum, quibus torſit, aut adhuc torquet animum, ſed quas evitaturus fuiſſet, niſi falſam de felicitate opinionem foviſſet, itidemque periculi, cui ſe exponit, niſi de felicitate rectius ſentire diſcat.

Facile patet, remedium hoc huc redire, ut ex caſu ſuo ſapere diſcat, qui felicitatis cupidus ea conſectatur, quæ ipſum felicem reddere nequeunt, vel prorſus infelicem faciunt. Quoniam vero in adhibitione hujus remedii omnia a domeſtica experientia pendent, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, ea etiam in præſenti tenenda ſunt, quemadmodum quoque in aliis caſibus, qui in praxi morali ubivis occurrunt. Quando vero præpoſtero felicitatis ſtudio addictus agnoſcit, falſam eſſe, quam de felicitate fovet, opinionem ſibique damnoſam, conſequenter eandem eſſe immutandam; tanto facilius ipſi inſinuabitur vera felicitatis notio, quanto clarius videt, ſe opinione ſua deluſum felicitatis minime compotem factum fuiſſe, qua frui potuiſſet. Præſens igitur remedium diſponet animum ad anterius avidius adhibendum (§. 93.). Curatio animorum haud raro requirit, ut

ante

ante ad eandem diſponatur animus, ne temere ſuſcipiatur, & ne quod neglectui huic imputandum, per errorem inefficaciæ remedii tribuatur.

§. 97.

Dilectioni ſui non obſtat uſus voluptatum tranſitoriarum, ſi fuerint innocuæ. Voluptas enim tranſitoria æquipollet veræ, ſi fuerit innocua (§. 285. *part.* 1. *Jur. nat.*), & felicitatem auget (§. 286. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem cum qui ſe diligit, omni ſtudio felicitatem ſuam promoveat, ſibique caveat, ne fiat infelix (§. 606. *part.* 1. *Jur. nat.*); voluptate tranſitoria tuto frui poteſt, quam diu fuerit innocua, modo ſibi caveat a nocua. Patet itaque dilectioni ſui uſum voluptatum tranſitoriarum, ſi fuerint innocuæ, minime obſtare.

An uſus voluptatum tranſitoriarum dilectioni ſui obſtet.

Ad impedimenta dilectionis ſui referendus non eſt voluptatum tranſitoriarum uſus. Qui eas damnant ſimpliciter, a vero utique nimium aberrant. Voluptas tranſitoria non ſatiare poteſt animum; negari tamen non poteſt, quod eum paſcat. Quodſi ergo innocua fuerit, non moleſta accidit ſtatus recordatio, in quo eadem uſi ſumus. Odor ſuavis floris & aſpectus coloris blandientis per ſe homini non nocet. Quodſi ergo quis floribus delectetur, ut ſuavitate odoris & jucunditate aſpectus ſenſum hilaret; nihil in eo reperies, quod reprehendi poſſit. Voluptas enim hæc per ſe innocua eſt. Enimvero ſi quis in flores impenſas facit ultra modum facultatum ſuarum; voluptas iſta efficitur nocua, quatenus nummorum profuſorum inopia poſthac moleſtiam creat. Quodſi quis vera bona negligat, ex quibus conſtans voluptas percipitur, & ea ſaltem inhiat, quæ voluptatem tranſitoriam creant; felicitatem non conſequitur, quæ animum ſatiare poterat, atque hoc dilectioni ſui obſtat. Abuſus itaque voluptatum tranſitoriarum impedimentum eſt dilectionis ſui, qui totus inde pendet, quod cum violatione officiorum conjunctus ſit. Non

eſt quod naturam accuſes, quæ te & res in hoc univerſo tales fecit, ut ſenſui tuo blandiantur. Cum enim ratio doceat officia, quorum omnes partes ſedulo explere debes; tuum eſt, ut iis, quæ ſenſum hilarant, illis convenienter utaris, non vero contra officia abutaris. Atque hoc modo intelligitur, quod dicitur, mundis omnia munda eſſe. Circumſpectus officiorum obſervator ſollicite ſibi cavet, ne in actiones ſuas vitoſi quidpiam irrepat, atque ita purum ſervat animum (§. 599. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum voluptate tranſitoria frui nolit, niſi quatenus ſalvis officiis eadem frui poteſt; quæ voluptatem tranſitoriam creant, ipſi minime nocent, neque ideo uſus labe ulla inficit animum ſuo tempore moleſtias concitaturus. Ceterum cum voluptate tranſitoria frui ſaltem liceat, non vero præcipiatur (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*), nec ideo natura eandem nobis obtrudat, ſed ſaltem permittat; ſi quem parum juvat voluptate vera contentum, quæ ſola animum ſatiare valet, is propterea dilectioni ſui deeſſe dici nequit, quod eam non curet: ex ſe tamen non judicare debet alios, qui voluptate tranſitoria utuntur, quemadmodum ipſius uſus permiſſus, & abſtinentiam facere debitam: id quod vi libertatis naturalis nemini permiſſum (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), immo multo minus cuiquam integrum eſt ſua voluntate ex lege naturali permiſſiva facere prohibitivam, ut contra voluntatem ſuam obligetur ad ſimilitudinem alterius actiones ſuas dirigere alius.

Neceſſitas cognoſcendi uſum voluptatum tranſitoriarum, qualis eſſe debeat, ne fiant nocuæ.

§. 98.

Quoniam dilectioni ſui non obſtat uſus voluptatum tranſitoriarum, ſi fuerint innocuæ (§. 97.); *ne qui in dilectione ſui deficiat, cognoſcere tenetur uſum voluptatum tranſitoriarum, qualis eſſe debeat, ne ſibi fiant innocuæ.*

Patet ex iis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus, voluptates tranſitorias non per ſe nocuas eſſe, ſed abuſu hominum nocuas fieri, conſequenter ſi nocuæ fiant, id non

non naturæ rerum atque noſtræ eſſe imputandum, ſed vitium hærere in culpa, quam vitare debebamus. Quodſi ergo culpam committere non debeamus, neceſſe omnino eſt, ut, qualis eſſe debeat illarum voluptatum uſus, diſcamus, ne ea, quæ voluptatem tranſitoriam creant, appetamus, quando ab iisdem abſtinendum, nec doleamus, ſi fortuna easdem nobis invideat, neque propterea alios felices judicemus, aut nobis feliciores, quod ipſi iisdem fruantur, nos careamus. Invidia enim fortunæ, quæ videtur, favor potius dicendus erit, ubi certi non ſumus, annon felicitate cadamus, ſi voluptate tranſitoria nobis frui daretur. Qui bonitatem divinam agnoſcit, vi cujus Deus enti unicuique tantundem confert boni, quantum ſalva ſapientia ipſius fieri poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), nec ignorat nexum rerum in hoc univerſo, vi cujus ſuam in hac ſerie rerum obtinuit locum, ſapientia ac bonitate conſtitutum eſſe (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*); facile hoc ſibi perſuadebit. Plurimum nocet dilectioni ſui, ad ſimilitudinem aliorum vivere velle, ut ſimus felices. Qui ad aliorum ſimilitudinem vivit, ejus imitatio rationalis non eſt (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*. Nullo igitur duce ad felicitatem contendentes ut a via recta aberrent non eſt quod miremur. Seponunt nimirum rationem (§. *cit.*), qua duce uti debebant, ut ſint a lapſu inmunes, & recta progrediantur via. Cœci aliorum imitatores turbam ſequuntur, quæ peſſimi plerumque argumentum eſt, & vulgi opinioni confidunt, quem veritatis malum interpretem eſſe dudum agnoverunt ſapientiores.

§. 99.

De modo voluptatibus tranſitoriis recte utendi.

Diligens officiorum omnium tam erga ſe, quam erga alios, imprimis etiam officiorum erga Deum obſervatio, adverſus abuſum voluptatum tranſitoriarum firmiſſimum præſidium eſt. Quoniam enim officia ſunt actiones juxta legem naturæ determinatæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & diligentia conſiſtit in commiſſione

ne omnium illarum actionum, quæ certo fine committendæ ſunt (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*); diligens officiorum omnium tam erga ſe, quam erga alios, inprimis etiam erga Deum cultor, dum voluptate tranſitoria fruitur, nihil committit, quod legi naturæ utcunque adverſatur, nec quicquam omittit, quod eadem lege a nobis exigitur. Quamobrem cum cuſtodia legis naturalis felicitatem conſequamur (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & conſervemus (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), transgreſſione autem ejusdem felicitatem amittamus (§. 401. *part. 1. Phil. Pract. univ.*) & infelices reddamur (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi quis diligenter obſervet, ne contra ullum officium tam erga ſe, quam erga alios, inprimis etiam erga Deum quicquam committat, dum voluptate tranſitoria fruitur, nulla omnino eſt ratio, cur ea moleſtiam ipſi parere, aut in moleſtiam degenerare debeat, conſequenter cur nocua fiat (§. 383. *part. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ſine ratione ſufficiente nihil fieri poteſt (§. 70. *Ontol.*); diligens officiorum omnium tam erga ſe, quam erga alios, inprimis etiam erga Deum firmiſſimum eſt adverſus abuſum voluptatis tranſitoriæ, quo felicitatem inhiantes incauti in infelicitatem incidimus, præſidium.

Quod vero diligenti obſervationi officiorum erga Deum præ ceteris in hoc negotio prærogativam quandam tribuimus, non modo inde eſt, quod pietas, quæ officia erga Deum omnia in ſinu ſuo fovet (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 1127. 1234. & *ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), in omnes virtutes influit eorumque ſtudium facilitat (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verum etiam hoc modo oſtenditur. Pius actiones ſuas omnes determinat per motiva ab attributis divinis deſumta (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & hoc modo gloriam Dei mani-

manifeſtat (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), illas nimirum dirigens ad finem univerſi (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi ergo idem obſervat in uſu voluptatum tranſitoriarum, verendum non eſt, ne eas propter ſe appetat, conſequenter ſibi perſuadeat, ſe ſatis eſſe felicem, modo iisdem fruatur, vel infelicem, ſi frui minime poſſit. Cum vero ſe diligat propter Deum (§. 54.), dilectio vero ſui tunc cum dilectione Dei conjungatur (§. 56.); quin diligens officiorum erga Deum obſervatio abuſui voluptatum tranſitoriarum magis obſtet, quam ſi a ceteris officiis ea ſeparentur, nemo dubitabit, cui ea perſpecta ſunt, quæ de officiis erga Deum in parte tertia Ethicæ demonſtravimus.

Si quis voluptatum tranſitoriarum uſum per officia moderatur, ab iis abſtinebit ſeſe, quam primum agnoſcit, aliquid committendum eſſe, quod officiis adverſatur, vel omittendum, quod iisdem convenit. Ponamus te delectari odore florum e longinquo jucunde olentium. Quodſi agnoſcas odorem aggravare caput, ſanitatem autem curæ habeas, quam præcipit lex naturæ (§. 393. *part. 1. Jur. nat.*); odore, quo vehementer delectaris, quin carere malueris, quam ſanitati utcunque officere, dubitandum non eſt. Ne itaque voluptas, quæ ſenſum hilarat, tibi noceat, officium erga teipſum impedit. Exemplum, quod paulo ante dedimus de impenſis in flores majoribus faciendis, quam permittit patrimonium tuum liberorum tuorum cauſa potius augendum, quam imminuendum (*not.* §. 97.), eſt caſus officii erga alios abuſum voluptatis tranſitoriæ arcentis. Ut vero appareat, quomodo officia erga Deum influere poſſint in uſum voluptatis tranſitoriæ, exemplum demus neceſſe eſt. Non vero id e longinquo petendum: maneamus in eo, quod jam dedimus. Quoniam omnia, quæ ſunt in hoc mundo, ſunt ſpecula perfectionum divinarum (§. 799. *part. 1. Theol. nat.*); in eorum numerum referendi quoque ſunt flores, qui non minus odore,

odore, quam colore ſuo ad Deum agnoſcendum nos invitant, veluti quod Deus, autor eſſentiarum (§. 94. *part. 2. Theol. nat.*) & nexus rerum (§. 666. *part. 1. Theol. nat.*), vi cujus ad actum perducuntur, quæ per eſſentiam eorundem poſſibilia ſunt (§. 89. *Coſmol.*), rebus omnibus admiranda ratione provideat, quemadmodum Chriſtus providentiam divinam inculcaturus & eadem ad fiduciam in Deo nos permoturus provocat ad lilia campi. Unde quando agnoſcimus ſuavi odore aggravari caput, inde diſcimus, ejus eſſe alium uſum, quem Deus omnia referens ad finem ultimum univerſi intendit, quam ut odore fruamur, nimirum ut eodem excitemur ad ipſum agnoſcendum & agnitione ipſius ad fruendum felicitate vera perducamur, non vero in iis ſubſiſtamus, quæ quidem in delectantium numero ſunt, animum tamen ſatiare non poſſunt. Incitat itaque quod tranſitoriam voluptatem affert ad aſcenſum mentis in Deo, ſicque voluptas tranſitoria ducit ad perennem, quæ vitationem abuſus illius facilitet. Quodſi quis Deum ex contemplatione hujus univerſi agnoſcere adſueverit & ea, quæ de officiis erga Deum in parte tertia Ethicæ oſtendimus, cognita & perſpecta habuerit, ei non difficile erit a rebus, quæ voluptatem tranſitoriam pariunt, animum ad cogitationem de Deo convertere, qua ad officia Deo debita commovemur. Et ipſa praxis nobis inſinuabit notiones univerſales, quibus eadem reddetur in caſibus aliis facilior & poteſtati noſtræ magis ſubjicitur veluti in præſenti exemplo, quod voluptates tranſitoriæ ſint invitamentum ad aſcenſum mentis in Deum, & dux ad veram felicitatem, quod uſus rerum delectantium ſit referendus ad finem ultimum, propter quem Deus totum hoc univerſum & in eo hominem condidit, & ex eo de voluptate inde percepta ſtatuendum ſit, quod voluptates tranſitoriæ vitam nondum faciant beatam, niſi efficaciam ſuam ab officiis acquirant, & quæ ſunt hujus generis alia. Notandum vero iſtiusmodi notiones, quamvis diſtincte non expendantur, tacite ſeſe inſinuare animis hominum & tacito quoque influxu vim ſuam exere-

exerere, quando de iisdem non cogitamus. Qua de cauſa non eſt, quod objiciatur, nimis arduam a nobis requiri ſcientiam ad rectum voluptatum tranſitoriarum uſum. Quamvis enim ad eam eniti debet philoſophus, cujus eſt rationem reddere eorum, quæ fiunt (§. 6. *Diſc. prælim.*); hebetioribus tamen magiſtra & dux eſt ipſa natura, & peſſime conſultum foret generi humano, niſi adeo benignam ipſam experiremur.

§. 100.

Voluptates tranſitorias rite æſtimaturus ante omnia eas, quæ per ſe nocuæ ſunt, diſcernere debet ab illis, quæ per abuſum tales fiunt. Cum homo nihil appetat, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*); dubitandum non eſt, quin actione mala, ſeu lege naturæ prohibita, quam patrat, delectetur. Enimvero quoniam committendo actionem legi naturæ contrariam legem naturæ transgreditur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*), transgreſſione autem legis naturalis fit infelix (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter contendit ad eum ſtatum, in quo tædia perdurant, ſeu moleſtiis inquietatur animus (§. 637. *Pſych. empir.*); voluptas ex actione legi naturæ contraria percepta tandem in moleſtiam degenerat, aut moleſtiam parit (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hæc cum voluptas nocua fit (§. *cit.*); voluptas omnis ex actione lege naturæ prohibita percepta nocua eſt, conſequenter determinationi generali appetitus ad felicitatem contraria (§. 324. *part. 2. Phil pract. univ.*), ideoque cane & angve pejus fugienda. Si vero res quædam per ſe nos delectent, veluti ea, quæ ſenſum noſtrum hilarant, cum voluptas, quam afferunt, non habeant a nobis; voluptas quoque inde percepta per ſe nocua non eſt, ſed ſi perceptio ejus vitium contrahit ab actione legi naturæ contraria ad eam accedente, abuſu demum noxia efficitur, conſequenter eadem frui licet, modo

modo vitetur abuſus ſollicite nimirum cavendo, ne, dum eadem frui voluerimus, quicquam committatur, quod ſit legi naturæ adverſum. Quoniam itaque felicitatis cupidus a voluptate nocua ſibi cavere debet; voluptates tranſitorias rite æſtimaturus ante omnia diſcernere debet eas, quæ per ſe nocuæ ſunt, ab illis, quæ per abuſum tales fiunt.

Voluptates tranſitorias rite æſtimare tenemur, ne pretium, quod non merentur, iis ſtatuentes reddamur infelices, dum ad felicitatem ferimur. Quamobrem neceſſe eſt, ut agnoſcamus, quænam ſint fugiendæ, & quomodo ceteris ſit utendum. Diſcernendæ igitur utique ſunt per ſe nocuæ, quæ ne ſint innocuæ a nobis effici minime poteſt, ab iis, quæ nocuæ non fiunt niſi noſtra culpa. Quodſi hanc differentiam cognoſcamus, diſcemus quoque Deum, qui vult hominem eſſe felicem (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), vacare omni culpa, ſi voluptatum tranſitoriarum illecebris capti a felicitate longe recedimus, omnem vero culpam hærere in nobis. Cum enim nos obliget ad ſervandam legem naturæ (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad uſum medii, quo felicitatem conſequimur (§. 396. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & conſervamus (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ſine quo felicitatem nec conſequi (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec conſervare valemus (§. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*), atque nobis conceſſa ſit ratio, per quam lex iſta nobis innoteſcit (§. 259. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ut actionibus malis delectemur, non a Deo eſt, ſed falſa noſtra opinione efficiuntur delectabiles, cum agnita ipſarum malitia, quæ ipſis neceſſario inhæret (§. 59, *part. 1. Phil. pract. univ.*), non voluptatem creent, ſed moleſtiam (§. 569. *Pſych. empir.*). Deo tribuendum eſt, quod voluptati, quam affingimus actionibus malis, ſpeciem detrahere valeamus, ut ea evaneſcat. Quod vero porro attinet voluptates tranſitorias, quæ in ſe quidem nocuæ non ſunt, abuſu tamen in nocuas

cuas vertuntur; cum abuſus totus nobis ſit tribuendus, idemque veniat a violatione officiorum, quæ vi legis naturæ Deus a nobis exigit, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis apparet, clariſſime perſpicitur, ut ea fiat nocua, in totum nobis imputandum eſſe. Ceterum obſervandum quoque eſt, abuſum voluptatis nocuæ influere in voluptatem apparentem, quæ ex actione mala percipitur. Non tamen opus eſt, ut influxum hunc clarius explicemus: ſatis enim ſuperque patebit ex iis, quæ in ſequentibus de actionibus malis & de vitiis moralibus demonſtrabuntur. Quomodo vero actiones nocuæ per ſe ab iis, quæ per abuſum tales fiunt, diſcerni poſſint, ex demonſtratione patet.

§. 101.

Ne quis voluptatibus tranſitoriis nimium pretium ſtatuat, perpendenda eſt brevis ejuſdem, immo ſubinde momentanea duratio, conſiderandum pretenea, quod evaneſcens nihil in nobis relinquat, niſi memoriam languidam ad eam reſuſcitandam ineptam: quod ſæpius degustata dulcedinis ſenſum imminuat, tandemque vileſcat, quod quæ eandem creant fortunæ magis, quam noſtræ poteſtati ſubjint, tum qua adeptionem, tum qua conſervationem; quod animum tranquillum & imperturbatum reddere & a variis cupititatibus liberare nequeant, & cum ea voluptate conferenda, quæ virtutis individua comes eſt & contraria prorſus ratione ſe habet. Accedit, quod in voluptatum tranſitoriarum uſu multa circumſpectione opus ſit, ne fiat nocua, qua nulla opus eſt in ea, quæ virtutem per ſe comitatur, nec ab ea ſeparari poteſt. Quantitas voluptatis æſtimanda eſt ex ejus intenſitate & duratione (§. 204. *part. 2. Ethic.*). Quamobrem ei haud magnum ſtatui poteſt pretium, quæ brevi ſpatio temporis durat, aut prorſus momentanea eſt, ut in ipſo ortu jam adſit interitus, & cujus intenſitas per ſe continuo decreſcit, ſi iteretur ejus uſus. Et quoniam appetitus

Quid faciendum, ne nimium tribuamus voluptatibus tranſitoriis.

noſter per naturam noſtram determinatus eſt ad felicitatem (§. 124. *part. 2. Phil pract. univ.*), conſequenter in eum fertur ſtatum, quo voluptas perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), ideoque eadem conſtanter frui poſſumus; voluptati de pretio ſuo multum detrahitur, ſi quæ eandem creant poteſtati noſtræ ſubjecta non ſunt, ſed fortunæ committendum, quid decreverit, tum ut ea adipiſcamur, tum ut, quæ poſſidemus, conſerventur. Multo magis vero adhuc pretium, quod ipſi tribuendum, imminuitur, ſi nullum prorſus in ea ſit præſidium adverſus ea, quæ animum perturbant & inquietant. Quoniam itaque indies experimur, tales eſſe voluptates tranſitorias, ne iisdem nimium ſtatuatur pretium, perpendenda omnino eſt perbevis earundem; immo ſæpiſſime nonniſi momentanea duratio, conſiderandumque præterea, quod evaneſcens nihil in nobis relinquat, miſi memoriam langvidam ad eam reſuſcitandum prorſus ineptam, & quo ſæpius deguſtetur, eo minorem experiamur ejus dulcedinem, ut ejus tandem pertæſi eandem nihili faciamus, ac inprimis perpendendum, quod ea, quæ ipſam creant, acquirere, vel, ſi ea poſſidemus, eadem conſervare non ſit in poteſtate noſtra, ſed parendum fortunæ decretis. Quoniam vero æſtimatio rerum tanto facilior & manifeſtior, ſi quæ affinitatem quandam inter ſe habent, invicem comparentur, ut evidentius appareat, quantum voluptas individua virtutis comes, prævaleat adverſus tranſitorias, hæ cum illa conferendæ, atque probe perpendendum, quod quæ in voluptatibus tranſitoriis deficiunt atque pretium earum imminuunt, in voluptate, quæ a virtute ſeparari nequit, omnia ſimul deprehendantur: quemadmodum de ſingulis obvia experientia teſtatur, ut longior demonſtratio ſuperflua exiſtimari pro præſenti ſcopo poſſit. Atque ſi in

hac

hac collatione obſervetur, voluptatem, quam virtus creat, eſſe veram, ut in ejus perceptione nulla circumſpectione opus ſit, utpote innocuam in ſe, in nocuam degenerare neſciam, cum ex adverſo voluptas tranſitoria ſollicitam circumſpectionem exigat, ne per abuſum nocua fiat, quemadmodum ex propoſitionis præcedentis demonſtratione patet; prærogativa hæc voluptatis, quæ virtutem comitatur, etiamſi eam non appetamus, voluptati tranſitoriæ non parum detrahit de pretio ſuo. Abunde igitur patet, ſi quis ea perpenderit, quæ in propoſitione ad animum revocavimus, verendum non eſſe, ne voluptatibus tranſitoriis nimium ſtatuat pretium.

Ea, quæ hic inculcantur voluptatum tranſitoriarum æſtimandarum cauſa, experientia docet, cumque nemo ſit, qui voluptates tranſitorias non deguſtaverit, domeſtica experientia unumquemque docebit nihil a nobis ſumi, quod non exploratum ſit. Voluptates tranſitoriæ ſunt, quæ ſenſum hilarant, aut quibus extra poteſtatem noſtram poſitis opinio vim voluptatis creatricem affinxit. Ecquis vero eſt qui neſciat, quam monentanea ſit voluptas, quæ ex cibi, vel potus ſapore percipitur & quod cibo ac potui huic adſueti nullam fere voluptatem inde percipiamus, nec eidem tantum, quantum ab initio pretium ſtatuamus, immo haud raro ejus per tæſi eandem faſtidiamus? Quodſi quidam ingurgitatione delectentur, ratio delectationis non a ſapore, qui guſtum hilarat, ſed aliunde arceſſenda, quemadmodum ſuo loco videbimus. Equidem facile prævideo, quamvis ea, quæ in propoſitione ſumuntur, clariſſima ſint & extra dubitationis aleam poſita, modo non habeamus mentem præjudicatis opinionibus præpeditam, aut ad contradicendum pronam, ut cultum Dianæ, cui litamus, nobis eripi nolimus, ſupereſſe quædam, quæ diſcuſſionem uberiorem mereri videntur, ne perperam videamur de voluptatibus tranſitoriis promiſcue affirmare

omnia, quorum nonnulla certis ſaltem propria ſunt: non tamen opus eſt, ut iis diſcutiendis jam immoremur, quia in ſequente tractatione de ſingulis voluptatum tranſitoriarum ſpeciebus plura dicenda venient paſſim ſuo loco. Imitatur nimirum ſyſtema, cujus objectum eſt mundus rationalis, mundum ſenſibilem. Quemadmodum enim in mundo ſenſibili unicuique enti ſuus tributus eſt locus, in quo per nexum rerum ad actum perduci potuit, id quod ex eadem demonſtratione patet, qua evicimus, neminem hominum alium in hac ſerie potuiſſe obtinere locum, quam quem obtinuit (§. 429. *part. 3. Etb.*); ita etiam in mundo rationali veritates ſingulæ eum obtinent locum ac ideo in ſyſtemate ſingulis is locus convenit, ubi per antecedentes penitius intelligi & ſufficienter demonſtrari poſſunt. Entia nimirum nniverſalia in ordinem redacta, quo per dependentiam eorum a ſe invicem ipſorum modificationes, hoc eſt, prædicata ſub certis conditionibus, ſeu determinationibus extrinſecis ipſis competentia quaſi ad actum perducuntur, ut ſcilicet, cum per eſſentiam eorum poſſibilia intelligerentur, iisdem actu ineſſe intelligantur, illam entium ſeriem conſtituunt, quam mundum rationalem dicimus (§. 258. *part. 1. Theol. nat.*), qui veritates omnes univerſales continet (§. 263. *part. 1. Theol. nat.*). Syſtema vero veri nominis mundum rationalem nobis intuendum ſiſtit, & eo magis perficitur ratio, quæ hominem a brutis diſtingvit, quo majores in cognoſcendo mundo rationali facimus progreſſus. Abſit igitur, ut exiſtimes notionem mundi rationalis eſſe commentum ſubtile, ad oſtentationem ingenii cauſa compoſitum. Qui tam abjecte de eo ſentiunt, quamvis in entium rationalium numero ſint, ſuam tamen dignitatem & præ brutis prærogativam nondum agnoſcunt, quid ſit ratio & quomodo eadem amplificetur ignorantes. Defectum utique rationis arguit, ſi qua in demonſtrationibus ſumuntur, quæ non niſi experientiæ mundo ſenſibili debitæ accepta ferimus; ſed quis in homine requiſiverit rationem abſolute ſummam Deo competentem

(§. 279.

(§. 279. *part. 1. Theol. nat.*), qui totum mundum rationalem cognoſcit (§. 262. *part. 1. Theol. nat.*). Condonandum igitur eſt hominibus, ſi in ſyſtemate mundum rationalem deſcripturi, quæ tanquam incolæ mundi ſenſibilis obſervarunt, ea inferunt, quæ in eodem contenta eſſe debere agnoſcunt, etſi locum in eodem ipſis revera competentem monſtrare nequeant. Velim, ut attente perlegantur, quæ de mundo rationali demonſtravimus in parte prima Theologiæ naturalis. Quamvis vero homini condonandum eſſe diximus, ut rationis defectum experientia ſuppleat, modo ſufficiente circumſpectione utatur, ne quod expertus ſibi videtur a ratione diſſentiat; non tamen propterea itinere cœpto eſt deſiſtendum, ſed indefatigabile potius extendendum, ut ſyſtema continuo magis magisque perficiatur, & rationis lumen indies clarius in genus humanum jactetur.

§. 102.

Voluptates, quæ ſenſus hilarant, vividius percipiuntur, quam quæ mentem demulcent. Phantaſmata enim, quæ vi imaginationis producuntur (§. 93. *Pſych. empir.*), minus clara ſunt ideis ſenſualibus (§. 96. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum voluptas vera, quæ mentem demulcet, naſcatur, quatenus nobis conſcii ſumus perfectionis cujusdam nobis inhærentis (§ 514. *Pſych. empir.*), ideoque oriatur ex ideis confuſis, quæ vi imaginationis producuntur, quatenus præteritorum recordamur perfectionem præſentem ex imperfectione præterita æſtimantes (§. 92. *Pſych. empir.*), quæ vero ſenſum hilarant, ea in ſenſus incurrant, & ſenſationum claritas a celeriore motu fibrillarum nervearum dependeat (§. 126. *Pſych. rat.*); voluptates quoque, quæ ſenſus hilarant, vividius percipiuntur, quam quæ mentem demulcent.

Cur voluptates ſenſuum vividius homines afficiant quam voluptates animi.

A poſteriori veritas propoſitionis præſentis ſatis manifeſta eſt, ut a nemine in dubium vocetur. Atque inde eſt, ut homines

mines tantopere inhient voluptates, quibus ſenſus hilaratur, & voluptatem, quæ mentem demulcet, ad ſuavia ſomnia philoſophorum referre ſoleant. Immo non alia ratio eſt, cur nonnulli non admittant voluptates alias, quam quæ delectationum ſenſualium nomine veniunt, immo non defuerint, qui ipſam Algebram, cum extollere vellent, ad cupedias ſenſuum retulerint: id quod condonandum hominibus philoſophiæ ignaris, laude tamen ſua non fruſtrandis. Quando vero hic voluptatibus, quæ ſenſus hilarant, vivacitatem majorem tribuimus, quam iis, quæ mentem demulcent; voluptates animi puras eſſe ſupponimus, ut nihil admiſceatur, quod ſenſus hilarat, nec affectus influxu vitiorum concitati iisdem ſocientur. Atque hoc probe notandum eſt, niſi experimentum fallax eſſe debeat. Qui veritatem propoſitionis præſentis evidentius perſpicere voluerit, vim imaginationis intimius cognitam atque perſpectam habere debet, ut quænam ſint ejus partes in iis, quæ originem ſuam ab intellectu deducunt, agnoſcat. Quid tribuendum ſit imaginationi & memoriæ ex actionibus colligere poſſumus, quæ ex habitu profluiſcuntur, ſi recordemur eorum, quæ fecimus, quando habitum acquirere ſtudebamus, quemadmodum docuimus, cum modum detegendi latebras in actibus ex habitu profluentibus demonſtraremus (§. 77. *part. 1. Eth.*). Nimirum non ſufficit, ut diſtincte agnoſcamus, quinam actus nobis non advertentibus ob celeritatem, qua ſe invicem conſequuntur, actionem ingrediantur, verum etiam expendendum, quonam facultatum uſu ſinguli actus determinentur (*not. §. cit.*). Hoc modo non difficulter agnoſcere diſcemus, quomodo in aliis quoque caſibus imaginatio vim ſuam exerat. Neque hic negligendum eſt, quod de imaginatione notioni boni peregrina admiſcente (§. 593. *Pſych. empir.*), ut id majus videatur, quam ſenſuum judicio deprehenditur (597. *Pſych. empir.*), alias docuimus. Notandum quoque hoc eſt, non ex vivacitate voluptati ſtatuendum eſſe, nec ab omnibus ſtatui pretium, quaſi homini naturale ſit ob eandem

dem unam alteri præferre, nec ejus magnitudinem, dum diverſas invicem comparant, ex eadem definire. Atque ideo patet, quanta circumſpectione opus ſit, ne veritas propoſitionis præſentis in dubitationem adducatur, aut demonſtratio impugnetur.

§. 103.

Quoniam voluptates, quæ ſenſum hilarant, vividius percipiuntur, quam quæ mentem demulcent (§. 102.), a ſortius trareneris autem ungviculis homo bonum a malo diſcernere adfuefcit ex eo, quod voluptatem pariat aut a moleſtia liberet (§. 4. *part.* 2. *Eth.*); ideo *contingit, ut, quo vividius voluptas quæ ſenſum percipitur, eo fortius trahat appetitum ad ea, quæ ſenſum hilarant.*

Cur voluptas hat appetitum in ea,

Ignoti cum nulla ſit cupido (§. 148. *part.* 2. *Eth.*), appetitus quoque eorum, qui a prima pueritia voluptatibus omnis generis cumulantur, magis determinatur ad delectationes ſenſuales, quam illorum, qui voluptates iſtas nunquam deguſtarunt. Neque enim ſolum falſa mentem occupat opinio, quaſi vita beata rum demum dicenda ſit, ſi voluptibus frui continuo datur; verum etiam in eadem opinione capti hoc errore confirmantur, dum varietas obſtat, quo minus quotidiano uſu vileſcant voluptates, quæ rarius perceptæ magis delectant, donec tandem conſuetudo altera quaſi natura efficitur, quæ vitiis obſtetricantibus expulſionem ſi non prorſus impoſſibilem, certe difficillimam reddit. Probe hæc conſideranda ſunt, cum maximam habeant utilitatem in praxi morali, præſertim quia ad quævis etiam alia extendenda ſunt, quibus ab ætate tenera adſuefcimus. Dolent haud pauci, quod non in meliore fortuna nati ſint; aſt non perpendunt, annon, ſi in fortuna meliore nati fuiſſent, a vera via, quæ ducit ad felicitatem, deceſſiſſent, aut eandem nunquam ingreſſi fuiſſent.

§. 104.

Quomodo vivacitati voluptatum ſenſum hilarantium detrahenda efficacia ad movendum appetitum.

Si vivacitati voluptatum, quæ ſenſus hilarant, efficaciam ad movendum appetitum detrahere volueris; ea probe perpendenda ſunt, quæ ad pretium earum imminuendum faciunt, danda eſt opera, ut prærogativa ejus, quæ mentem demulcet, agnoſcatur, conſideranduque periculum aberrandi a recta via, cui exponimur frequente illarum quamvis innocuarum uſu, aut, ſi vel maxime ab eo nobis non metuamus, ad animum tamen revocanda eſt cura ad circumſpectum earum uſum adhibenda, ne incauti periculo nos committamus, qua carere poteramus. Etenim ſi probe perpendamus ea, quæ ad pretium voluptatum ſenſus hilarantium imminuendum faciunt; fieri non potuit, ut pretium nimium iisdem ſtatuamus (§. 101.), conſequenter nos non feliciores exiſtimabimus, ſi illis fruamur, quam ſi non fruamur. Atque hoc tanto facilius nobis perſuadebimus, ſi prærogativam voluptatis, quæ mentem demulcet, agnoſcamus, ea ſcilicet, quæ deſiderantur in voluptatibus tranſitoriis, huic convenire (§. *cit.*). Quodſi porro conſideremus periculum aberrandi a recta via, cui exponimur frequente illarum quamvis innocuarum uſu (§. 103.), quatenus nimirum iisdem adſuefcentes earundem illecebris irretimur, ut nos extricare non valeamus, ſed inconſiderate illis abutamur, ut quamvis innocuæ, ſi iis recte utamur, in nocuas degenerent, immo tandem nocuas ab innocuis prorſus non diſcernamus; cum nemo ſe ſciens ac volens periculo exponere velit, quod ſine magni cujusdam emolumenti ſpe evitare poteſt, aut cujus ſubeundi neceſſitas nulla ſibi impoſita eſt, voluptates iſtas parum curabimus, aut ſaltem circumſpecte iis utemur, multoque facilius prærogativam illarum agnoſcemus, quæ cum iſtiusmodi periculo conjunctæ non ſunt (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque ex hoc ipſo periculo intelligamus, quanta circumſpectione

Digitized by Google

ſpectione opus ſit, ne nos eidem exponamus, cum ex adverſo voluptas, quæ mentem demulcet, nullam circumſpectionem requirat, nemo autem curas habere velit, a quibus liber eſſe poteſt; id ipſum quoque proderit, ut voluptates cupiditatum pravarum illecebras non magni faciamus, nec eas avide inhiemus, atque voluptatum animi prærogativam agnoſcamus. Quoniam itaque voluptatibus, quæ ſenſum hilarant, efficacia detrahitur ad movendum appetitum, ſi quam exiguum iisdem ſtatuendum ſit pretium intelligamus, easdem parum curemus, & voluptatem veram omnibus iſtis anteponamus; ſi vivacitati voluptatum ſenſus hilarantium efficaciam ad movendum appetitum detrahere velimus, ea probe perpendenda ſunt, quæ ad pretium earum imminuendum faciunt, opera danda eſt, ut prærogativam ejus, quæ mentem demulcet, agnoſcamus, conſiderandumque periculum aberrandi a recta via, cui exponimur frequente illarum quamvis innocuarum uſu, aut, ſi vel maxime ab eo nobis non metuamus, ad animum tamen revocanda eſt cura ad circumſpectum earum uſum adhibenda, ne incauti periculo nos committamus, qua carere poteramus.

In ſenſationibus noſtris nihil immutare poſſumus (§. 78. *Pſych. empir.*), nec a nobis dependet, ut determinemus voluptatem, quam afferre debent. Dulcedinem ſachari guſtu percipimus, nec nos efficere poſſumus, ut pro lubitu noſtro major, vel minor ſit, aut ut perceptio ejus magis vel minus jucunda ſit. Vivacitatem itaque voluptatis ſenſum hilarantis immutare non poſſumus. Extra poteſtatem tamen noſtram non eſt, ne nimis avide eas inhiemus: quod ut caveatur, intellectus regere debet appetitum ſenſitivum, beneficio rationis impellens rationalem, ut ſenſitivum vincat, aut ſibi concordem efficiat. Enimvero appetitus rationalis movetur repræſentatione boni (§. 890. *Pſych. empir.*), conſequenter ſenſitivo

ſitivo non conſentit, niſi quantum ratio permittit, neque idem fertur in id, quod quomodocunque tanquam malum ſibi repræſentat (§. *cit.*). Quamobrem ſi demonſtrationem propoſitionis præſentis perpendis, facile agnoſces, ea ad detrahendum efficaciam in commovendo appetitu vivacitati voluptatum ſenſus hilarantium naturæ humanæ convenienter commendari, quæ in propoſitione præſente eo fine urgemus.

§. 105.

Quinam voluptates tranſitorias parvi faciant & parum curent.

Qui felicitatem expertus eſt, qua virtus hominem beat; voluptates tranſitorias parvi faciet parumque curabit. Qui enim felicitatem expertus eſt, qua virtus hominem beat; cum ea vera ſit felicitas (§. 400. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), quæ conſiſtit in ſtatu, quo vera voluptas perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), in ſe innocua (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nunquam tædium, ſive moleſtiam paritura, nec in eam degeneratura, is quoque novit, virtuti deditum ſemper habere animum lætum, tranquillum & imperturbatum, ab omni moleſtia vacuum, quamdiu a virtutis tramite ne latum quidem ungvem recedit (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cum ex adverſo voluptas tranſitoria nonniſi exiguo temporis ſpatio duret nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), nec veræ æquipolleat, niſi quando fuerit innocua (§. 285. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter in uſu ejus nil quicquam committitur, quod legi naturæ adverſum (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque expertus felicitatem, qua virtus hominem beat, optime novit, quænam differentia inter voluptatem, qua virtus hominem beat, & inter voluptates tranſitorias, quas incauti inhiant, ut ſint felices, intercedat; quin has parvi faciat, fieri nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero nemo eſt qui neſciat, nos parum curare ea, quæ parvi facimus, ut nobis perinde ſit, ſive ea habeamus, ſive

ſive iisdem careamus, certe carentia nulla moleſtia animum inquieter. Quoniam itaque qui felicitatem expertus eſt, qua virtus hominem beat, voluptates tranſitorias parvi facit, *per demonſtrata n. 1.* idem quoque eas parum curabit. *Quod erat alterum.*

Propoſitio præſens non tantummodo intelligitur de virtutibus moralibus, verum etiam de intellectualibus. Et in demonſtratione ſupponitur, virtuti deditum ab omni vitio habere animum alienum. Quodſi enim adhuc nonnullis vitiis fuerit deditus, ut actiones legi naturæ contrariæ accedant ad actiones eidem conformes, fieri non poterit, quin voluptas & moleſtia alternent & felicitas interrumpatur. Hoc tamen non obſtante differentia inter voluptates tranſitorias & felicitatem, qua virtus hominem beat, agnoſcitur, quamvis non ſemper voluptatibus tranſitoriis omnibus detrahatur efficacia ad movendum appetitum. Ita videmus homines, qui delectantur profunda ſcientia, quam multo ſtudio eoque non infelici ſibi compararunt & cujus fructum gloriam agnoſcunt, affectum illum longe jucundiſſimum (§. 766. *Pſych. empir.*), parvi admodum facere voluptates tranſitorias omnis generis, quibus alii tantopere delectantur. Aſt videas tamen alios, quos hoc non obſtante guſtus vini ita hilarat, ut ſe a potu non temperent, quamvis non ignorent, ſe voluptatem, quæ guſtum hilarat, podogræ cruciatibus luituros. Aſt non eſt, quod confundamur exemplis, quæ adeo inter ſe pugnare videntur, multoque minus ad infirmandam veritatem propoſitionis præſentis obverti poſſunt. Etenim ut ſis felix ex omni parte, nec felicitatem interumpas, neceſſe eſt ut omni vitio valedicas. Multo minus autem hic quicquam valent exempla eorum, qui virtute quadam intellectuali excellunt, virtutibus tamen moralibus colendis nullam curam impenderunt, nec a certis vitiis animum purgarunt, in quæ non una de cauſa inciderunt. Quando in philoſophia de virtute ſermo eſt, animus virtute præ-

diti ab omni vitii labe purus ſupponitur: alias enim non certa daretur ſcientia, quam demonſtratio parit. Quando vero experimentum capimus, ad particularia attendendus eſt animus, in quibus vitium non prævalet adverſus ſcientiam. Sit itaque ut qui vera voluptate deguſtata, quam profunda ſcientia parit, voluptati cuidam tranſitoriæ, quæ ſenſum hilarat, non renunciet; dantur tamen adhuc aliæ, quas flocci pendet, & niſi attentionem atque acumen ſuum deſiderari patiatur, verumque fateri velit, non diffitebitur, hanc ipſam quoque, quam avide appetit, non eſſe comparandam cum altera, qua mentem demulcet profunda ſcientia. Immo facile quoque concedet, ut, ſi alterutram miſſam facere deberet, ſe potius tranſitoriæ, quam alteri valedicturum, quamvis huic indulgeat, quia utraque ſimul ſe frui poſſe novit, nec vitium, quod altas radices in animo egit, eradicare valet.

§. 106.

Quomodo hoc conſequamur, ut voluptates tranſitorias parum curemus.

Quoniam qui felicitatem expertus eſt, qua virtus hominem beat, voluptates tranſitorias parvi facit parumque curabit (§. 105.); *ſi voluptates tranſitorias vili pendere easque parum curare velimus, neceſſe eſt ut virtuti omni, quantum datur, indefeſſam operam navemus.*

Recolenda hic ſunt animo, quæ modo ad propoſitionem præcedentem annotavimus. Quamvis enim fieri non poterit, ut ab omni labe prorſus immunes ſimus; ad omnem tamen virtutem contendendum eſt, quantum uſus facultatum noſtrarum permittit. Studio acri colendi virtutem conſequemur, ut omnes voluptates tranſitoriæ nobis vileſcant, & quamvis eas non contemnamus, nec innocuum quarundam uſum, occaſione ita ferente, repudiemus, non tamen propterea tantum iis pretium ſtatuemus, ut ſine iis felices eſſe non poſſimus, aut nos feliciores exiſtimemus, quod iisdem frui nobis datum fuerit, quam ſi frui non licuiſſet. Etſi enim non

Digitized by Google

inficiemur, eandem facere aliquam felicitatis partem (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*), a vero tamen non aberravero, ſi partem infinitæ parvam ſtylo Geometrarum appellem, præſertim ubi ejus efficacia verioris voluptatis memoria debilitatur.

§. 107.

De efficientia virtutis in voluptates tranſitorias.

Virtus voluptates tranſitorias purificat, voluptatem veram iis miſcet easdemque in aliam formam transmutat. Virtus enim habitus eſt actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part 1. Phil. pract. univ.*), ideoque virtuti deditus officiis quibuscunque tam erga ſe atque alios, quam erga Deum ſatisfacere ſtudet (§. 225. 226. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum diligens officiorum omnium tam erga ſe, quam alios, inprimis etiam erga Deum, adverſus abuſum voluptatum tranſitoriarum firmiſſimum præſidium ſit (§. 99.), ſi officiis convenienter iisdem utamur, eædem innocuæ efficiantur (§. 98.), quando vero innocuæ ſunt, voluptati veræ æquipolleant (§. 285. *part. 1. Jur. nat.*); ut veritati veræ æquipolleant ac per conſequens partem aliquam felicitatis faciant (§. 286. *part. 1. Jur. nat.* & §. 426. 352. *Ontol.*), a virtute habent. Quoniam itaque voluptas pura eſt, ſi nulla vitii labe inficitur, quod felicitati (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & per conſequens voluptati veræ inimicum (§. 636. *Pſych. empir.*); virtus voluptates tranſitorias purificat. *Quod erat primum.*

Virtuti deditus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque ex actionibus bonis, quas committit, voluptatem veram percipit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 559. *Pſych. empir.*); ſi quis uſum voluptatum tranſitoriarum diligente officiorum obſervatione regit (§. 99.), cum voluptate tranſi-

tranſitoria veram, quam virtus creat, una percipit, conſequenter cum una perceptæ non amplius a ſe invicem diſtinguantur, ſed in unum confuſæ pro peculiari quadam ſpecie habeantur, virtus voluptatem veram tranſitoriis miſcet. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam virtus voluptatibus tranſitoriis veram miſcet, *per demonſtrata n. 2.* voluptates vero invicem permixtæ & in unam confuſæ non eodem modo percipiantur, quo ſingulæ a ſe invicem diſcretæ, quod ex notione identitatis colligitur (§. 181. *Ontol.*), & obvia experientia docet, qua mixtum diverſo prorſus modo percipi conſtat, qua miſcibilia a ſe invicem diſcreta, aut in confuſione adhuc ſigillatim perceptibilia; virtus voluptates tranſitorias in aliam formam transmutat. *Quod erat tertium.*

Voluptates equidem tranſitoriæ in genere ſpectatæ nec nocuæ, nec innocuæ dici poſſunt; non tamen manent indifferentes, dum percipiuntur, ſed tum ſemper vel nocuæ ſunt, vel innocuæ. Quoniam tamen homines ab initio bonum a malo diſcernere nequeunt niſi ex eo, quod voluptatem pariat, vel a moleſtia liberet (§. 4. *part. 2. Eth.*), & a teneris ungviculis hæc notio boni ipſis fuit ingenita (§ 5. *part. 2. Eth.*), unde tamen bonum dijudicari nequit (§. 560. *Pſych. empir.*); ideo contingit ut, dum appetitus fertur in ea, quæ voluptatem tranſitoriam creant, promiſcue (§. 589. *Pſych. empir.*), ſepoſito officiorum conſideratione, quarum obſervatione efficiuntur innocuæ (§. 99.), abuſu plerumque nocuæ efficiantur, ut voluptati veræ minime æquipolleant (§. 285. *part. 1. Jur. nat.*), & boni naturam fallaciter adulterantes illecebræ ſunt turpitudinis, ita ut *Cicero* voluptatem corporis dixerit peſtem capitalem & omnium malorum matrem, quatenus penitus in omni ſenſu implicata inſidet & boni imitatrix eſt. Hanc efficientiam ipſis demit virtus & ſic eandem puriſ-

purificat. Quæ de mixtione voluptatum tranſitoriarum cum vera dicuntur, facile capient omnes, qui ex pſychologia didicerunt, quomodo notiones confuſæ gignantur Ideæ rerum ſunt repræſentationes rerum ſingularium, quæ ſenſu percipiuntur, & notiones repræſentationes univerſalium, quæ ſingularibus inſunt & iisdem communia ſunt. Quid igitur mirum, ſi res materiales invicem permixtæ ſiſtant mixtum, quod a miſcibilibus diverſum, ut idea quoque mixta diverſa ſit ab ideis miſcibilium ſigillatim repræſentatarum. Quod vero accidit rebus materialibus, idem etiam in actibus animæ contingit, ſeu modificationibus ejusdem, ut actus ſimpliciores invicem permiſceantur, ut prodeat actus quidam mixtus, aut ex ſimplicibus, vel ſimplicioribus compoſitus, conſequenter is peculiarem habeat formam, ideoque ſingulari ſibi modo percipiatur, vel appercipiatur. Atque hoc probe notandum eſt. Sicuti enim mixtum non intelligitur, niſi in ſua miſcibilia reſolvatur, & penitius intelligitur, quo longius analyſis procedit; ita etiam modificationes animæ non intelliguntur niſi actus compoſiti in ſimpliciores reſolvantur, & quo analyſis longius continuatur, eo penitius intelliguntur. Quod in ſpecie de commixtione voluptatis tranſitoriæ cum vera dicitur, experientia abunde confirmat, modo ad obſervationes eorum, quæ in mente contingunt ſufficientem attentionem atque acumen ſufficiens afferre didicerimus.

§. 108.

Quoniam virtus voluptates tranſitorias purificat, volu- *Efficientia*
ptatem veram iis miſcet easdemque in aliam formam trans- *virtutis in*
mutat (§. 107.); *qui virtutem ſtrenue colit*, ut ne latum quidem *uſu voluptatum*
unguem a tramite ejus diſcedat, *voluptatibus tranſitoriis recte fruitur, iisque multo magis animum paſcit, quam qui ſepoſita officiorum conſideratione iisdem indulget, nec præter operam, quam culturæ virtutum impendit, aliam peculiarem circumſpecto voluptatum tranſitoriarum uſui impendere tenetur.*

Praxis moralis multum facilitatur, quod opera, quæ uni impenditur, etiam ſufficiat aliis, ut de eadem fidelia duo quaſi dealbentur parietes. Arduum & difficile videtur voluptatibus tranſitoriis detrahere efficaciam in appetitum, ne ſint illecebræ malorum. Aſt ſi virtutem colimus, quemadmodum decet, efficacia iſta ſua ſponte abit, nec aliud ad vincendum, aut fugandum illecebras præterea expectandum eſt præſidium.

§. 109.

Voluptates corporis quænam ſint.

Voluptates corporis vulgo dicuntur, quæ ex ſenſationibus qua talibus percipiuntur, nimirum non ex objecto ſenſibili, ſed ex mutatione, quæ vi actionis ſenſibilis in organo ſenſorio producitur. Unde patet, *voluptates corporis eſſe eas, quæ ſenſum hilarant*, cumque non longiori temporis tractu percipiantur, quam quo actio ſenſibilis in organum ſenſorium durat, quæ plerumque nonniſi momentanea eſt, porro liquet, *voluptates corporis tranſitorias eſſe.* Et quoniam voluptates corporis non ex objecto ſenſibili, ſed ex ſenſatione percipiuntur, ſenſus autem quinque ſunt, viſus ſcilicet, auditus, olfactus, guſtus & tactus; *voluptates corporis ex viſu, auditu, olfactu, guſtu & tactu percercipiuntur, non ex objecto viſibili, ex ſono, odore, ſapore & objecto tangibili.*

Equidem vulgo dicitur voluptatem percipi ex qualitalibus ſenſibilibus, veluti ex odore, ſapore, ſono; quamvis vero loquendum ſit cum vulgo, ſentiendum tamen cum doctis. *Carteſius* recte diſtinxit perceptionem qualitatum ſenſibilium ab eo, quod objecto ſenſibili ineſt, & a mutatione, quæ in organo ſenſorio actione ſenſibilis producitur &, quemadmodum in Phyſis oſtenditur, in motu fibrillarum conſiſtit, ex quibus nervus ſenſorius conſtat, & fluidi nervei in iisdem contenti. Pro diverſitate hujus motus contingit, ut per-

perceptio alia ſit jucunda, alia vero moleſta. Ita cum omne violentum naturæ ſit inimicum, prouti dudum obſervavit atque inculcavit *Ariſtoteles*; motus violentus tendens ad fibrillarum nervearum rupturam, aut ſaltem ad deſtruendam elaſticitatem moleſtus accidit, cum ex adverſo moderatus jucundus ſit, in quo fibrillæ nerveæ non nimium extenduntur. Eadem de cauſa ſi quis ſolem intuetur, lumen ejus oculum offendit, cum ex adverſo cœlo ſereno ſolare lumen a corporibus reflexum viſum efficiat jucundum. Hæc igitur perpendenda ſunt, ſi quid ſint voluptates corporis perſpicere velimus, & intelligere, quid ſit hilarare ſenſum. Ceterum cum voluptate corporis confundenda quoque non eſt voluptas, quæ ex ipſo ſenſibili percipitur, quatenus nobis perfectionem quandam in eodem intueri videmur, veluti dum obſervamus ſimilitudinem imaginis cum ſuo prototypo, aut ad perfectionem floris referimus, quod odorem gratum ſpargat; quod poſterius a voluptate, quæ ſenſum hilarat, optime dignoſcitur, quando flores ſuavem odorem ſpargentes parum commendat forma, quæ viſu percipitur. Intereſt in Moralibus hæc probe diſcerni a ſe invicem, quando circumſpectus eſſe debet voluptatum uſus, & cavendum, ne fiant illecebræ malorum. Inter voluptates corporis eminent, quæ guſtum & tactum, præſertim venereum, qui dicitur, comitantur, & quæ præ aliis negotium nobis faceſſunt, ne fiant noxiæ.

§. 110.

Quoniam voluptates corporis eæ ſunt, quæ ſenſum hilarant, eædemque tranſitoriæ ſunt (§. 109); *quæ de voluptatibus tranſitoriis demonſtrata ſunt* (§. 97. & ſeqq.), *de voluptatibus corporis tenenda.* *Quænam de iis tenenda.*

Omnis voluptas corporis tranſitoria eſt; ſed non omnis voluptas tranſitoria eſt voluptas corporis. Ponamus te videre opus quoddam artificioſum eodemque inſigniter delectari.

Digitized by Google

Voluptas hæc cum conſpectu evaneſcit, ideoque tranſitoria eſt (§. 385. *part. I. Phil. pract. univ.*). Et quamvis contingat, tibi jucundam eſſe ejus memoriam; voluptas, quam creat memoria, non eadem eſt, quam ex opere præſente percepiſti, quaſi memoria reſuſcitata, ſed naſcitur ex opinione, quam de te habes, quod opus iſtud videris. Cum voluptates perinde differant ac qualitates ſenſibiles ejusdem ſpeciei, veluti dulcedo rerum dulcium, odor gratus florum, quas quidem ſatis accurate diſcernere poſſumus, dum eas ſentimus, quamvis differentiam explicare alteri nequeamus, ut inexpertus eandem capiat; voluptatem, quam memoria operis artificioſi conſpecti creat, diverſam eſſe ab ea, qua conſpectus te beabat, experieris, ſi ad obſervationes pſychologicas ſufficientem attentionem afferre didiceris. Acute omnino talia diſtinguenda ſunt, ne dubia fiant, quæ certa ſunt, nec demonſtrationum firmitas labefactetur, quæ ex notionibus ſufficienter determinatis procedit.

§. 111.

Qualis ſit voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta.

Voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta vera eſt. Vera enim voluptas eſt, quæ ex vera perfectione oritur (§. 514. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum voluptas, qua perfunditur animus, dum perfectionem ſenſibilis intueris, ex vera perfectione oriatur, *per hypoth.* voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta vera eſt.

Monuimus jam alias, quando opinione hominum quidpiam videtur, quod non eſt, in propoſitionibus ſupponi quod verum eſt, non quod apparet, niſi expreſſe contrarium dicatur, aut ſaltem tacite, ſufficienter tamen inſinuetur. Ita quando bonum ſimpliciter dicimus, bonum verum intelligitur, niſi ex ſubſtrata materia appareat, de bono nonniſi apparente ſermonem eſſe. Et ſimiliter quando in propoſitione præſente perfectionem ſenſibilis dicimus, perfectionem veram

ram intelligimus, apparens enim non niſi per errorem nomen participat. Vera imaginis perfectio eſt ejus ſimilitudo cum prototypo. Voluptas igitur inde orta vera eſt.

§. 112.

Quoniam voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta vera eſt (§. 111.), vera autem voluptas in ſe innocua eſt (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta in ſe innocua eſt.* *Quod in ſe innocua ſit.*

Atque hinc patet, non ſine ratione diſtingvi voluptatem ex ſenſibili perceptam a voluptate corporis, quæ ex ſenſatione percipitur; ne notio non ſatis determinata nos in errorem ducat felicitati inimicum. Ceterum ex propoſitione præcedente quoque patet, quandonam voluptas ex ſenſibili percepta vera ſit, non apparens, & quando innocua ex præſente intelligatur.

§. 113.

Cum voluptas ex perfectione ſenſibilis percepta in ſe innocua ſit (§. 112.); *ne voluptas ex ſenſibili percepta nobis imponat, neceſſe eſt ut perfectionem veram ab apparente diſcernere diſcamus:* quod cum difficile ſit, *ad noſtras ſaltem actiones animus attendendus, ne voluptate capti quicquam committamus, vel omittamus, quod officiis repugnat* (§. 99.). *Quomodo præcaveatur, ne voluptas ex ſenſibili percepta nobis noceat.*

De perfectione rerum recte ſentire quod ſit difficile, nemo negaverit, qui diſtinctam perfectionis notionem habet (§. 503. *Ontol.*), atque novit, quam parum hactenus ſolliciti fuerint philoſophi de perfectionibus rerum explicandis, immo ſi non ignoraverit, quam multa ſint hominum præjudicia, quibus ipſorum de perfectione rerum judicia nituntur perceptionibus confuſis plerumque involuta, ut ſint ad decipiendum aptiora. Tutiſſima igitur via eſt, ſi virtutem ſemper habeas

ducem, quando voluptas ad agendum invitat, habita nimirum officiorum ratione, & in caſu dubio ab agendo deſiſtas, (§. 107. 108.), niſi adfuerit agendi neceſſitas, ut quod probabilius videtur eligatur. Ubi enim feciſti, quod in poteſtate tua eſt, nullam tamen tibi culpam imputabis, ſi te falli contigerit, qua torqueas animum.

§. 114.

Quomodo opinione hominum actionibus noſtris & rebus extra nos poſitis affingatur vis voluptatis creatrix.

Opinione hominum affingitur tam actionibus noſtris, quam rebus extra nos poſitis vis voluptatis creatrix, quam in ſe non habent, quatenus propter illas nobis videmur gaudere perfectione, quam non poſſidemus, his vero tribuimus perfectionem, qua carent. Etenim ſi hoc, vel illud agendo nobis videamur gaudere perfectione, quam non poſſidemus, cum voluptas non minus oriatur, ſi perfectionis cujusdam apparentis, quam ſi veræ nobis fuerimus conſcii (§. 511. *Pſych. empir.*); per ſe patet, perfectionem apparentem, quæ revera nulla eſt, per ſe non habere vim voluptatis creatricem, ſed eam opinione noſtra accedere, qua ſublata protinus evaneſcit. Quamobrem ſi propter actiones quasdam nobis videmur gaudere perfectione, quam non poſſidemus, vis voluptatis creatrix iisdem opinione noſtra affingitur. *Quod erat unum.*

Eodem quoque modo oſtenditur, ſi rebus extra nos poſitis tribuamus perfectionem, quam non habent, nos vim voluptatis creatricem iisdem affingere. *Quod erat alterum.*

Quod ab errore noſtro venit, id rei tribui nequit. Quamobrem ſi qua res perfectionem quandam habere nobis videtur, quam minime habet, ideoque nobis voluptatem creat; vim utique voluptatis creatricem per ſe non habet: cognito enim errore, nullam amplius voluptatem ex ea percipimus, quamvis res ipſa maneat, qualis antę erat, nec quicquam in ea mutę-

mutetur. Qui impugnandis ſententiis aliorum delectantur, ſibi propterea videntur ceteris acutiores, etſi reprehendant, quod approbare debebant, immo approbaſſent, ſi ſatis intellexiſſent, & intelligere potuiſſent, ſi ad diſcendum, quam ad impugnandum proniores fuiſſent. Studium itaque impugnandi aliorum ſententias per ſe non habet vim voluptatis creatricem, ſed ea falſa opinione impugnantis eidem affingitur. Si quis acutior fuerit, quam alius, ut videat verum; ſufficit ſententiam ſuam proponere, nec opus eſt, ut nominatim perſtringat alios ſibique adverſarium conſtituat, qui ſuam ſententiam ipſi obtrudere noluit. Neque eſt, quod dicas, ipſum ſtudio veritatis hoc facere, ſi eum, quem impugnat, laudat, nec eum meritis ſuis defraudare ſe velle profitetur. Etenim id fieri non alia de cauſa ſatis manifeſtum eſt, quam ut acumine ſuo tanto magis ſibi blandiatur, quod acutior videatur eo, qui acuminis laude inclaruit. Non nego, ſtudium impugnandi alios alias quoque poſſe habere rationes; ſed ſufficit in medium attuliſſe caſum, qui ad propoſitionem præſentem illuſtrandum facit. Similiter ſi quis ſibi perſuadet, opus quoddam artis eſſe perfectum, eodem delectatur. Aſt ubi agnoſcit, quanta imperfectione laboret, voluptas inde percepta evaneſcit, aut ſi minus perfectum deprehendatur, accurato examine facto, quam putabatur, vileſcit. Quoniam nihil frequentius accidit, quam ut actionibus ſuis, vel etiam rebus extra ſe poſitis affingatur vis voluptatis creatrix, quam per ſe non habent, non opus videtur, ut exempla cumulemus, præſertim cum in ſequente tractatione paſſim ſuo loco plura occurrant

§. 115.

Quoniam qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, & de rebus judicant, in dijudicandis actionibus atque rebus aliorum opinionem ſequuntur (§. 204. *part. 2. Phil. pract. univ.*), hominum autem opinione tam actionibus noſtris, quam rebus *imitatores.*

Quod huic periculo ſe exponant cæci aliorum

bus extra nos positis affingitur vis voluptatis creatrix, quam per se non habent (§. 114.); *qui ad similitudinem aliorum vivunt & de rebus judicant, periculo actionibus suis & rebus extra se positis affingendi vim voluptatis creatricem sese exponunt.*

Plerique hominum ad similitudinem aliorum vivunt atque de rebus judicant, cœci aliorum imitatores. Quamobrem non est, quod miremur nihil fere frequentius esse, quam ut homines actionibus suis & rebus extra se positis affingant vim voluptatis creatricem, quam minime habent. Dum vero pergunt, qua itur, parum solliciti qua sit eundem; nonnisi casu contingit, ne actionibus suis, nec rebus extra se positis affingant vim voluptatis creatricem, quam per se non habent.

§. 116.

Quomodo id evitetur.

Quoniam ad similitudinem aliorum viventes & de rebus judicantes sese exponunt periculo actionibus suis & rebus extra se positis affingendi vim voluptatis creatricem, quam per se non habent (§. 115.), qui vero ad similitudinem aliorum vivunt & de rebus judicant, cœci aliorum imitatores sunt, quorum empirica imitatio est (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *qui sibi cavere vult, ne periculo actionibus suis aut rebus extra se positis vim voluptatis creatricem affingat, quam non habet, alios imitari volens hoc maxime curæ habere debet, ut imitatio rationalis sit* (§. *cit.*).

Quæ de imitatione rationali notanda sunt, alibi jam tradidimus (§. 207. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodsi difficilis videatur imitatio rationalis, cum empirica nullius sit negotii, suspecta esse debet turba, quæ plerumque pessimi argumentum est, quemadmodum dudum observavit *Seneca*, & animus attendendus ad officia, quæ imitationi rationali facem præferent (§. 113.). Plures stultitia regit, quam sapientia.

pientia. Plures cupiditatibus ſuis fræna dant; quam injiciunt. Quamvis enim homo a brutis ratione diſtinguatur; ratio tamen rara eſt actionum humanarum determinatrix, quemadmodum eſſe debebat.

§. 117.

Voluptatibus promiſcue indulgent Epicuræi. Etenim Epicuræi exiſtimant licere homini actiones ſuas determinare ex ſuo arbitratu, niſi quatenus lege civili prohibentur (§. 718. *part. 2. Theol. nat.*), conſequenter cum homo nil appetat, niſi quatenus id voluptatem ipſi creat, ea faciunt, ad quæ ipſos trahit obvia quævis voluptas. Quoniam itaque curæ minime habent, utrum voluptas aliqua ſit nocua, an innocua, utrum vera, an ſaltem apparens; voluptatibus quibusvis promiſcue indulgent. *Quinam promiſcue indulgeant voluptatibus.*

Omnes felices eſſe volunt & in eo conveniuni omnes, felicem eſſe eum qui moleſtia caret, voluptate fruitur, quamvis recte ſentientes felicitatem reſtringant ad voluptatem veram atque innocuam, nocuam vero damnent, nec apparenti pretium aliquod ſtatuant, ſi vel maxime ſit innocua, cum a veritatis tramite non recedant. Epicuræi licitum eſſe arbitrantur, ut pro lubitu quavis voluptate fruantur, qualiscunque tandem ea ſit, nec nocuam agnoſcunt aliam, quam cui lex civilis pœnam ſociam fecit, qua abſtinendum, niſi pœnam incurrere velis, aut eandem a te evitari non poſſe perſuaſum habeas. Quid ergo mirum, ſi rationis uſum ejurantes cujusvis voluptatis illecebris ſe capi patiantur, nec contingat niſi caſu, ſi vera quadam atque innocua voluptate fruantur, quamvis voluptatem quoque innocuam per ſe vitiis in nocuam vertant, prouti exempla in ſequentibus docebunt & inter eruditos potiſſimum obvia ſunt. Non eſt, quod exiſtimes, fingi Epicuræum, qualis non datur: habemus enim hodie reos confitentes, cum

publice divulgent artem fruendi voluptate, qua nemo indiget. Promiſcue enim indulgere voluptatibus non artis eſt, nec inſtitutione opus eſt, ut ars tam pernicioſa, ſi qua datur, addiſcatur.

§. 118.

De Epicuræo materialiſta, præſertim atheo, vel Deiſta.

Quoniam Epicuræi voluptatibus promiſcue indulgent (§. 117.), Materialiſta vero animam pro ente materiali habens (§. 35. *Pſych. rat.*) omnem in agendo libertatem ei denegat, &, ſi idem fuerit atheus, vel Deiſta, eventus rerum naturalium omnes abſolute neceſſarios eſſe putat (§. 454. 535. *part. 2. Theol. nat.*). *Epicuræus materialiſta, præſertim ſi fuerit atheus, vel Deiſta*, ex tædiis, quæ gignunt, aut in quæ degenerant voluptates nocuæ (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eas non agnoſcit, ſed moleſtias, qualescunque incurrit, pro inevitabilibus habet, conſequenter *in omne voluptatum genus, quo frui datur, tanto citatius ruit.*

Cum felicitati hominis nihil magis noceat, quam ſi promiſcue omnibus voluptatibus indulgeat, quibus trahitur, quantum felicitati conſequendæ obſtet epicuræiſmus, ſi cum materialiſmo, atque atheiſmo conjungatur, facile videmus. Quamobrem non eſt quod miremur, materialiſtas atheiſmum & epicureiſmum profitentes de arte voluptatibus fruendi gloriari, ut neſcio quam laudem ſibi videantur meruiſſe, ſi alios hanc artem docere non erubeſcunt. Hominibus hiſce omnium minime convenit Philoſophi nomen, quod ſibi ſolis nefando faſtu arrogant, cum ſcientia, quam jactant, conſarcinata ſit ex erroribus generi humano ac Recip. nocentiſſimis.

§. 119.

Quomodo peſti illi ca-

Quoniam Epicuræi voluptatibus promiſcue indulgent (§. 117.), tantoque citatius in omne genus voluptatum ruunt,

ruunt, ſi fuerint materialiſtæ, inprimis ſi materialiſmo atheiſmum, vel deiſmum miſcent (§. 118.), epicuræiſmus vero (§. 722. *part. 2. Theol. nat.*), materialiſmus (§. 50. *Pſych. rat.*), nec non atheiſmus (§. 485. *part. 2. Theol. nat.*) atque deiſmus falſæ hypotheſes ſunt (§. 551. *part. 2. Theol. nat.*); *ſi præcavere velis, ne homines voluptatibus promiſcue indulgeant, nec citatim in omne voluptatis genus ruant, epicuræiſmus una cum materialiſmo, atheiſmo & deiſmo evertendus*, quemadmodum docuimus in parte ſecunda Theologiæ naturalis, cum de epicuræiſmo, atheiſmo & deiſmo ex inſtituto ageremus, & in parte tertia Ethicæ, cum oſtenderemus, quomodo Deus conſideratione hujus univerſi ſit agnoſcendus, atque in Pſychologia rationali, cum materialiſmum refutaremus (§. 44. *& ſeqq. Pſych. rat.*). *pitali mendum.*

Epicuræiſmus conſiſtit in opinione, quod nulla detur intrinſeca actionum honeſtas & turpitudo, nec obligatio divina ad alias actiones committendas, alias vero omittendas (§. 717. *part. 2. Theol. nat.*). Unde ſua ſponte fluit, hominem natura eſſe exlegem (§. 165. *part. 1. Jur. nat.*); ideoque ipſi competere licentiam ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet. Quamobrem nullam voluptatem illicitam eſſe putat, nec quicquam obſtare, quo minus faciat, quod lubet, niſi potentiam ſuperioris, qui, prouti viſum ſibi fuerit, libertatem hominis naturalem lege ſua reſtringit, & cui ſe invitus ſubjicere tenetur. Quamvis vero epicuræi theoretici, qui hoc dogma profitentur, rariores videantur, ut nimirum rationibus ſibi perſuadeant falſam hanc opinionem, omnes tamen Epicuræi practici, qui in fruendis voluptatibus genio ſuo indulgent, eandem opinionem tacite fovent; quatenus cogitationem omnem a differentia intrinſeca actionum quoad bonitatem, vel malitiam & ab obligatione divina avertunt, eo difficilius agnoſcenda, honeſtate intrinſeca actionum negata. Niſi enim ſupponatur, ſcripturam ſacram eſſe verbum Dei,

ut inde conſtet, quænam Deus a nobis fieri velit, quænam nolit; quomodo Deus velit ut homo actiones ſuas dirigat & quod ad hanc directionem eundem obliget, multa demonſtratione indiget (§. 905. *& ſeqq. & §. 974 ac ſeqq. part. 1. Theol. nat.*), quod facile intelligitur, ſi quis animum attendit ad analyſin demonſtrationum in ſua principia, ſine qua plenarius aſſenſus non obtinetur (§. 992. *Log.*). Cum materialiſtæ hominem machinam faciant &, ſi fuerint athei, vel deiſtæ, fatalem omnium rerum neceſſitatem defendant, eamque ad actiones humanas extendant, conſequenter omnem imputationem evertant (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*); errorum iſtorum combinatione epicuræiſmus omnium maxime firmatur. Quamobrem cum dubium non ſit, quin epicuræi practici errores iſtos avide amplectantur, cum ad ſopiendam conſcientiam, qua animus ſubinde adhuc inquietari poterat, faciant, & recte agendi opinio ipſis tranquillitatem offerat, voluptate autem qualibet promiſcue fruendi libido capitalis peſtis ſit, omnium malorum mater, eaque tanto periculoſior & inſanabilior, quod boni imitatrix eſt (*not.* §. 107.), genus humanum non habet hoſtes magis timendos, quam epicuræos materialiſtas atque atheos, vel deiſtas, opiniones ſuas divulgantes. Et ipſis omnino ſe aſſociant, qui ſcripta iſtorum autorum in alias lingvas vertunt, ut nocentiſſimi errores magis diſſeminentur. Equidem materialiſtæ athei, vel deiſtæ dum epicuræiſmum commendant, ad mores ſuos provocant, quos legibus ſocialitatis & ſocietatis civilis conformes prædicant; aſt ſi liberales ſimus ipſisque demus, quod volunt, conformitatem iſtam perperam acceptam ferunt hypotheſibus ſuis, ſi quid in iis eſt, quod laudari poteſt, id in totum tribuendum partim benignitati naturæ, partim educationi, quæ inſinuavit menti ipſorum notiones hypotheſibus iſtis contrarias, tacite influentes in ipſorum actiones, ut deficiente attentione ac inprimis acumine ad obſervationes pſychologicas ſufficiente influxum iſtum minime animadvertant. Quodſi vero ponamus, a prima ætate mores formari juxta illas

illas hypotheſes; quin perverſis moribus imbuantur homines, nec Resp. bonos habere poſſit cives, ecquis eſt qui dubitet, ſi hypotheſium iſtarum efficientiam perſpicit, non admittens, niſi quæ neceſſario inde conſequuntur, ſepoſitis iis, in quibus caſus naturam juvat & defectus educationis ſupplet; Sed ab hoc quoque non multum adjumenti ſperandum foret, ſi quis educaretur inter homines mores ſuos ad hypotheſes illas tanquam ad normam componentes. Agnoſcant ablepſiam ſuam, qui Argo oculatiores videri volunt, quod ipſorum acumini ſe ſubducant contradictiones morum cum hypotheſibus ſuis & quod Philoſophis objiciunt, eos aliter loqui, aliter vivere, id ſibi objiciant, quando laude quadam digni ſibi videntur.

§. 120.

Quoniam dilectioni ſui obſtat promiſcuus voluptatum *Impedimen-*
uſus (§. 98.), ad eum vero ducit epicuræiſmus (§. 117.), *tum maxi-*
tanto difficilius eradicandus, ſi ad eum materialiſmus cum *mum dile-*
atheiſmo, vel deiſmo accedat (§. 118.); *qui ſeipſum diligere* *ctionis ſui*
vult, omnium maxime ſibi caveat ab epicuræiſmo materialiſtarum, *quomodo*
quem fovet atheiſmus, vel deiſmus, & qui diligit genus humanum *tollatur.*
omni animi contentione id agat, ut peſti huic ingruenti, quantum
poteſt, obſtet, quo minus invaleſcat.

Qui ſeipſum diligit, omni ſtudio id agit, ut ſit felix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem etiam removenda ſunt omnia impedimenta, quæ obſtant quo minus felicitatem veram conſequamur. Quoniam itaque epicuræiſmus præſertim materialiſtarum, qui atheiſmo, vel deiſmo fovetur, omnium maxime viam ad veram felicitatem præcludit; ideo quoque qui ſeipſum diligit, nihil magis curæ habere debet, quam ne hiſce erroribus inficiatur mens ipſius. Verendum autem non eſt, ne iisdem ſubſcribat, ſi in operibus noſtris fuerit verſatus, in quibus abunde demonſtramus, non modo in quonam vera felicitas conſiſtat, & quænam ſit via tutiſſima,

quæ ad eandem ducit, verum etiam errores iſtos profligamus, a quibus nihil metuendum eſt ei, qui veritatis convictus fuerit.

§. 121.

Antidotum contra epicuræiſmum.

Ne epicuræiſmus nobis ſe commendet, probe perpendendum eſt, quod, dum ad felicitatem contendimus, ad infelicitatem properemus. Epicuræus voluptatibus promiſcue indulget (§. 117.), conſequenter nocuas ab innocuis minime diſcernit. Quamobrem cum voluptates, quæ ſenſus hilarant, vividius percipiantur, quam quæ mentem demulcent (§. 102.), has potiſſimum ſectatur. Et quoniam exiſtimat, licere ſibi actiones ſuas determinare ex ſuo arbitratu, niſi quatenus lege civili prohibetur (§. 718. *part. 2. Theol. nat.*); nulla ipſi reverentia eſt legis naturæ, immo nec legis civilis, contra quam delinquere religioni ſibi minime ducit, modo ſecurus ſit ſe pœnam evitare poſſe, aut ſibi perſuadeat, ſe impune alterum lædere, vel defraudare poſſe. Itaque aliter fieri nequit, quam ut animum a virtute alienum quavis vitiorum ſorde inquinet. Cum vero ſine virtute nemo felix eſſe poſſit (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitia vero hominem infelicem reddant (§. 403. *part. 1. Phil. pract. univ.*); epicuræus felicitatem veram nunquam conſequetur. Enimvero cum per naturam ſuam appetat felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad eum ſtatum tendit, in quo voluptate conſtanter fruitur (§. 636. *Pſych. empir.*), ad quam tamen voluptas apparens, quam vitia procreant, nihil conferre poteſt (§. 638. *Pſych. empir.*); evidens omnino eſt, quod epicuræiſmus nos ducat ad infelicitatem, dum ad felicitatem contendimus, conſequenter quod utamur mediis, quibus finem non conſequi poſſumus, ſed potius a via, quæ

ad

ad eundem ducit, detorquemur. Quoniam itaque nemo ſanus uti voluerit mediis, quæ talia eſſe agnoſcit, ut eorum uſu finem minime conſequi poſſit, ſed potius ſine excidens in malum incidat, quod maxime averſatur; ne epicuræismus ſe commendet, probe perpendendum eſt, quod dum ad felicitatem contendimus, ad infelicitatem properemus.

Nemo eſt, qui neſciat, quantum in animis hominum valeat libertatis opinio & quam exoſum ipſis ſit, quicquid libertati adverſum putatur. Epicuræiſmus libertatem in licentiam convertit, quam nonniſi obligatione civili reſtringit, quæ & ipſa per ſe exoſa eſt, nec parit obſequium niſi cum moleſtia conjunctum, vivide percipiendam, quamprimum eandem obſtare deprehendit epicuræus, quo minus voluptati, quam inhiat, indulgere poſſit animi ſui deſideria expleturus. Itaque ipſa civilis ſpectatur tanquam cauſa infelicitatis. Mallet igitur epicuræus etiam ſolutus eſſe legibus civilibus: quod cum fieri non poſſit, obligationem civilem ſpectat tanquam malum neceſſarium, quod evitare non poteſt, ideoque lætatur quod ſublata obligatione naturali, quæ longe rigidius obſequium poſtulat multoque latius extenditur, genio ſuo adhuc abunde indulgere poſſit. Vivendi igitur licentia epicuræiſmus ſeſe commendat. Porro a prima infantia nobis ingignitur notio hæc boni, quod bonum illud ſit, ex quo voluptatem percipimus, & quicquid a moleſtia nos liberat (§. 5. *part.* 2. *Eth.*), nec appetitus in quicquam fertur, niſi quatenus voluptatem inde percipimus (§. 156. *part.* 2. *Eth.*). Quamobrem cum epicuræiſmus quodvis voluptatis genus promiſcue licitum faciat (§. 117.), appetitum vero non magis ſatiare ſibi videantur homines, quam ſi voluptate quacunque pro lubitu frui poſſint, quamdiu ratione non regitur appetitus; hoc ipſo quoque epicuræiſmus ſeſe ipſis commendat. Quodſi ergo epicuræiſmum averſari debeant, demendus eſt uterque error, ut agnoſcatur, vivendi licentiam

tiam non esse medium consequendi felicitatem & fugandi infelicitatem, nec nos felices reddi, nec infelicitatem a nobis depelli promiscuo voluptatum usu. Observandum quoque hic est, epicuræos potissimum sectari voluptates corporis, voluptates autem animi parum curare. Quo fine considerandа sunt, quæ supra inculcavimus, ne voluptatibus transitoriis nimium statuatur pretium (§. 101.). Equidem ad avertendum animum ab exiguitate pretii delectatio quæritur in varietate, ita ut *Xerxes* præmium proposuerit ei, qui novum voluptatis genus invenisset: attamen nisi quis cœcutire malit in luce meridiana, ex hoc ipso videt, quam parvi fieri debeant voluptates, quarum usu se putat esse felicem.

§. 122.

Quod hic plurimum valeant exempla.

Quoniam ut præcaveamus, nec epicuræismus nobis se commendet, perpendendum est, quod, dum ad felicitatem contendimus, ad infelicitatem properemus (§. 121.), homines autem se reddere infelices experimur, si ob actiones suas molestiis torquent animum, a quibus liberi esse potuissent, nisi eas patrassent (§. 639. *Psych. empir.*) & veritatum moralium convincimur exemplis (§. 269. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ uno obtutu comprehendenda exhibent, non nisi multis demonstrationibus evincenda pluribusque regulis præcipienda (§. 297. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *si præcavere volueris, ne in voluptates corporis sensumque quomodocunque hilarantes propendens in epicuræismum se det, vel etiam epicuræum aberrationis a recta ad felicitatem via convincere, exemplis docendum est, in quænam mala homines inciderint, quod voluptatibus corporis indulgerent, & quot molestiis voluptates transitorias luere coacti fuerint.*

Qui in voluptates corporis & eas, quæ sensum quomodocunque hilarant propendent, aut in epicuræismum jam sese

ſeſe dederunt; bonum non æſtimant niſi ex eo, quod ſenſum hilarat, ideoque ſenſum hilarantia appetunt, quorum vero eſt moleſtus ſenſus, ea averſantur. Quamobrnm cum ſenſus ipſis norma ſit, ad quam veritatem exigunt, non ratio, ideoque difficile ſit rationis lumine mentem ipſorum colluſtrare, in quo caligant; quæ rationi conformia ſunt ad ſenſum reducenda. Neceſſe igitur eſt, ut ſenſui addictorum oculi convertantur in exempla, & ſi quidem vix quidem propriis oculis confidunt, quamdiu exceptiunculis quibusdam ea, quæ clariſſima ſunt, ſe obſcurare poſſe ſibi videntur, ut vel certiſſima in dubitationem adducantur, aſſenſu ipſorum ab appetitu pendente, ex ſuo caſu ſapere doceantur, qui ex alieno ſapere nolunt. Quodſi ne ſic quidem ſapere velint, morbo deſperato fruſtra medelam afferre conaris. Tenenda hæc ſunt in omni caſu alio, in quo opiniones falſæ ex animo evellendæ: id quod maximam difficultatem habet, quando iisdem appetitus fuerit corruptus & habitus pravus jam altas in animo egit radices. Ultro igitur largior, medelam, quam epicuræiſmo afferre hic ſuademus, magis conducere ad eum præcavendum, quam eradicandum. Omnis vitiorum eradicatio difficillima eſt & non una de cauſa prorſus impoſſibilis. Aſt cum nec voluntatem, nec aſſenſum alterius cogere nobis detur, & nimis multa intus in homine lateant, quæ nunc in determinationem aſſenſus influunt, præteritis nimirum, quorum maxima eſt hac in re efficientia, in eandem influentibus, quæ autem nobis minime perſpecta ſunt; nemo remedia malorum a philoſopho deſideret, quæ in hominis nullius poteſtate ſunt. Media virtutum & remedia vitiorum ſupponunt hominem rationi obſequentem, cui ſi quis obſequi vel non poſſit, vel nolit, corrigere idem eſt ac æthiopem lavare. Vidimus ante, in epicuræiſmum influere atheiſmum & materialiſmum & tunc eundem vim acquirere majorem. Quamobrem ſi jam in pugnam deſcendere velis contra epicuræiſmum, in pugnam quoque procurrendum adverſus atheiſmum & materialiſmum,

immo ſubinde quoque debellanda ſunt alia, quæ aluntur, monſtra. Et propterea nonnulla adhuc ſuperaddemus, quæ a præſenti ſcopo videri poterant quodammodo aliena.

§. 123.

Num experientia conſtet, quod cogitationes vi mechaniſmi corporis producantur.

Materialiſta falſo ſibi perſuadet, experientia conſtare, quod cogitationes vi mechaniſmi corporis producantur. Experimur nimirum, quod ad perceptiones noſtras attenti cognoſcimus (§. 664. *Log.*). Quodſi ergo experientia conſtare debet, quod cogitationes vi mechaniſmi corporis producantur; neceſſe eſt, ut ad ea, quæ percipimus, dum ſentimus, attenti cognoſcamus, quod vi mechaniſmi corporis producantur cogitationes, ſeu actus apperceptionis, vi cujus ſenſibilis in organa ſenſoria agentis nobis conſcii ſumus. Enimvero ſi attente conſideremus ea, quæ ſenſu percipi a nobis poſſunt de actione ſenſibilis in organa ſenſoria, & etiam admittamus ea, quæ inde neceſſario conſequi intelligimus, quamvis accurate loquendo eadem non experiamur, ſed potius ex iis, quæ experimur, colligamus; non tamen cognoſcemus, actum apperceptionis, quem diximus, vi mechaniſmi corporis produci. Non provoco jam ad experientiam omnium hominum communem, unde alias intulimus, nullam obſervari actionem corporis in animam, quando ſentimus (§. 948. 949. *Pſych. empir.*); ſed ſuppono experientiam ampliorem, qualis eſt eorum, qui ex anatomia ſtructuram corporis humani perſpectam habent. His utique exploratum eſt, quando v. gr. ab objecto viſibili lumen in oculum immittitur, non modo imaginem in fundo oculi delineari, verum etiam motum imprimi fibrillis nerveis eumque ad cerebrum usque propagari (§. 111. *Pſych. rat.*), quamvis ſi accurate ſingula quoad modum cognoſcendi a ſe invicem diſcer-

diſcernere volueris, expertis miſceantur, quæ inde a nobis colliguntur. Nihil itaque experientia conſtat, quam dari motum ſive fibrillarum nervearum, ex quibus ſubſtantia cerebri contexta eſt, aut fluidi cujusdam ſubtilis in eodem contenti: in præſenti nobis perinde eſt, utrum horum eligas, an vero utrumque ſimul ſumas. Dum vero motum illum imaginaris, neque enim ſenſui patet; nullam notionem habes apperceptionis, vi cujus objecti ſenſibilis tanquam extra te poſiti tibi conſcius es, ut jam non dicam, nec motum iſtum eſſe ſimilem perceptioni, qua ſenſibile tanquam extra te poſitum repræſentatur. Cujus vero notionem nullam habemus, id nec cognoſcimus (§. 51. *Pſych. empir.*). Materialiſta igitur falſo ſibi perſuadet, experientia conſtare, quod cogitationes vi mechaniſmi corporis producantur.

Materialiſtæ ultro confitentur, ſe a priori demonſtrare non poſſe, quomodo vi mechaniſmi corporis producantur cogitationes, veluti undenam ſit, ut motui fibrillarum tenerrimarum, vel materiæ cujusdam ſubtilis inſit vis ſenſibilia extra ſe ſibi repræſentandi & hujus repræſentationis conſcientiam habendi, ut cum *Carteſio* loquamur, vel ſenſibilia percipiendi & perceptiones ſuas appercipiendi. Immo ignorantiam homini naturalem, ideoque invincibilem defendunt, ut equidem nobis conſcii ſimus quod cogitemus, non vero quomodo cogitemus. Nos ignorare, quid ſit materia, conſequenter nec definire poſſe, utrum potentia cogitandi ipſi inſit, aut an non a Deo eadem indita eidem ſit. Ad experientiam igitur tanquam ad ſacram anchoram confugiunt. Hac igitur conſtare & ſibi perſuadent, & aliis perſuadere conantur, cogitationes vi mechaniſmi corporis humani produci, cumque vi Anatomiæ, ex qua innoteſcit ſtructura corporis humani, in quantum ſenſui patet, aliud in corpore detegi nequeat, quando ſentimus, præter motum fibrillarum

nervearum, aut materiæ cujusdam ſubtilis, in eo cogitationes conſiſtere contendunt. Enimvero ecquis non videt, quod tanta confidentia affirmant, non experientiæ tribuendum eſſe, ſed ex iis, quæ experientia ipſis innotuerunt, nulla conſequentia inferri, cum in motu, quem ne ipſum quidem vident, ſed omnino ex aliis, quæ per obſervationem patent, colligunt, nihil ſenſu percipiant, aut alio quocunque, quem fingas, modo, quod affinitatem quandam cum perceptionibus habet, quarum ſibi conſcii ſunt. Quantumcunque igitur ſenſui in rerum cognitione tribuant, ſine ſenſuum tamen teſtimonio fingunt, quod nec a priori, nec a poſteriori probare poſſunt. Quamobrem patet, materialiſtarum hypotheſin nullo fundamento niti, ſed precario ab iisdem ſumi. Condonandum hoc foret imbecillitati intellectus ipſorum, niſi tantopere gloriarentur acumine ſuo, ut ſe ſolos philoſophos profiteantur, eadem vero non ſentientes vulgo imperito accenſeant. Nolumus in præſenti notare falſa principia, quæ ſupponunt, cum inſtitutum præſens non ſit retundere inſcitiam materialiſtarum, ſed ſaltem oſtendere, hypotheſin ipſorum eſſe mere precariam, falſumque eſſe, quod affirmant, eam ſcilicet experientia comprobari. Equidem non ignoro, *Cowardum*, Medicum Anglum, aliosque materialiſtas, ſubſtantiam immaterialem pro impoſſibili habere, immo pro impoſtura philoſophica venditare, quod nullam ſubſtantiam concipere poſſimus ſine extenſione, materiale autem ſit, quod extenſum eſt; non tamen opus eſt, ut ipſorum argumento refutando multum immoremur: ſumitur enim, quod probare neſciunt, non eſſe poſſibile ens aliud, niſi quod imaginari poſſumus & per conſequens ſenſu perceptibile eſt, modo magnitudo ejus organo ſenſorio proportionata ſit. Aſt operæ pretium non eſt, ut expendamus rationes, quibus hypotheſin gratis ſumtam defendere conantur, cum ejus impoſſibilitas ſatis manifeſta ſit, ſuo loco a nobis demonſtrata (§. 44. 46. *Pſych. rat.*).

§. 124.

§. 124.

Si materialiſmus cum atheiſmo combinatur, atheiſmus felicitati hominum magis nocet. Materialiſta enim cum hominem in machinam vertat, niſi quidlibet fingendi pro lubitu licentiam ſibi arroget, animæ omnem in agendo libertatem denegare tenetur, ut, quicquid demum agat, id ipſi imputari minime poſſit (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec pro illicita habere poteſt vivendi licentiam, ideoque epicuræiſmum improbare nequit (§. 718. *part. 2. Theol. nat.*). Enimvero quamvis atheus eventus rerum naturalium abſolute neceſſarios eſſe putet (§. 454. *part. 2. Theol. nat.*), non tamen ideo libertatem animæ negare tenetur (§. 456. *part. 2. Theol. nat.*), cumque in ipſius hypotheſi ſubſiſtat lex naturæ (§. 245. *part. 1. Phil. nat.*), nec per eandem virtus tollitur (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec fundamentum veræ felicitatis ſubvertitur (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque atheus, ſi in errorem materialiſmi incidit, ut hunc atheiſmo miſceat, epicuræiſmum felicitati hominis adverſum probat, *per demonſtrata;* ſi materialiſmus cum atheiſmo combinatur, atheiſmus felicitati hominum magis nocet.

De materialiſmi & atheiſmi combinatione.

Atheiſmus nocet felicitati hominis, quatenus tollit officia erga Deum, quorum maximum momentum eſt in felicitate hominum, quemadmodum ex iis patet, quæ paſſim demonſtrata ſunt in parte tertia Ethicæ. Quoniam tamen non totum felicitatis noſtræ fundamentum ſubvertit, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis liquet; non tam periculoſa eſt ipſius hypotheſis, quam ſi cum materialiſmo combinetur, a quo epicuræiſmus inſeparabilis. Hoſtem igitur majorem habere nequit genus humanum, quam materialiſtam atheum. Equidem non nego, fieri quoque poſſe, ut atheus neget libertatem animæ, &, quando hic error

ror hypotheſi impiæ miſcetur, eodem modo ſubverti omne felicitatis veræ fundamentum, quam ſi hypotheſi impiæ materialiſmus accedit: id tamen non præjudicat veritati propoſitionis præſentis. Inſtituti vero noſtri ratio jam requirebat, ut oſtenderemus, quantum nocentior fiat atheiſmus, ſi ad materialiſmum accedit. Atheus qua talis epicuræus non eſt: aſt materialiſta, qui ſe nonniſi machinam eſſe putat, epicuræus fiat neceſſe eſt, ſi hypotheſi ſuæ convenienter vivere velit. Non eſt, quod objicias atheos practicos, cum quibus in præſenti nobis nihil negotii eſt: hi enim atheiſmum affectant, ut epicuræiſmo, cui dediti ſunt, fœnerentur patrocinium.

§. 125.

Errorum ſimul defenſorum differentia.

Errores, quorum unus ex altero neceſſario ſequitur, dicuntur *connexi*; iis autem oppoſiti, *inconnexi*. Quodſi inconnexorum unus alteri repugnat, ut ſcilicet uno poſito tollatur alter, *contradictorii* ſunt: in caſu oppoſito vocantur *combinabiles*. Quoniam non omnes videre poſſunt, quid uno poſito ſimul ponatur, aut quænam ſibi mutuo contradicant; ideo *contingit, ut, qui errorem connexorum unum amplectitur, non tamen aſſentiatur alteri, & ut ex adverſo errores contradictorios foveat*, conſequenter *nemini recte imputatur error, quem expreſſe rejicit, quamvis ex alio, quem defendit, neceſſario fluat.*

Errores connexos dari, vulgo agnoſcitur. Inde eſt, quod dicatur, dato abſurdo uno ſequuntur plura. Ideo non minus dantur errorum ſyſtemata, quam ſyſtema veritatis, quod nonniſi unicum eſt. Quamvis enim veritates varient pro varietate objectorum, ut ideo diverſæ conſtitutæ ſint diſciplinæ; veritates tamen in qualibet contentæ partem ſyſtematis unius faciunt, ſi inter ſe connexæ proponantur. Quando in diſciplinis de erroribus agitur, quænam ex errore uno ſumto neceſſario conſequantur demonſtratur, non vero quæritur, num

num qui errorem ſumtum amplectitur defendat quoque ceteros, qui inde neceſſario conſequuntur. Quodſi inde ſequatur error, quem alter agnoſcit; connexio errorum facit ad errorem refutandum. Atque hinc enata eſt methodus demonſtrandi indirecta, quæ etiam reductio ad abſurdum dicitur (§. 1039. *Log.*), qua vulgo abutuntur conſequentiarii, qui argumento ab invidia ducto delectantur (§. 1049. *Log.*). Quoniam vero non omnes eorum neceſſarium nexum, neque etiam eorum contradictionem agnoſcunt; haud infrequens eſt, ut tam errores contradictorii combinentur, quam connexi dividantur. Sed demus exempla errorum, quos in certas ſpecies diviſimus. Atheiſmus & abſoluta neceſſitas eventuum in hoc univerſo ſunt errores connexi; atheiſmus vero & negatio libertatis voluntatis humanæ ſunt errores inconnexi, iidemque combinabiles. Similiter materialiſmus & error, quo homo in machinam convertitur, itemque negatio libertatis animæ ſunt errores connexi; atheiſmus vero & materialiſmus errores inconnexi, ſed combinabiles. Qui ſtatuit, mundum eſſe ens a ſe, eundemque caſu puro ortum defendit, errores contradictorios fovet; quod enim a ſe eſt, oriri nequit, ſed non minus eſſentia, quam exiſtentia ejus abſolute neceſſaria eſt. Nihil autem frequentius eſt, quam ut errores miſceantur veritate, ut ideo in evolutione notionum falſarum quod verum eſt a falſo ſit ſeparandum, ac propterea aliorum error nos ducere poſſit ad veri cognitionem. Errores autem tacite combinari & veris miſceri ſolent, quatenus in aſſenſum influunt, de quibus in præſenti non cogitatur. Atque hoc tanto facilius contingit, quod pauci admodum intellectum ſyſtematicum curæ habeant, de quo dixi in Horis ſubſeciſivis Marburgenſibus A. 1729. trimbrum. n. 3.

§. 126.

Si homines non magis ad ſimilitudinem aliorum & moribus conſuetudine præſertim in prima pueritia & adoleſcentia contractis, quam pravi non inſti-

Cur errores

tantum nocent, quantum potuerant.

inſtituto viverent; errores actiones malas ſuadentes magis nocerent. Quodſi enim inſtituto viverent, ea facerent, quæ ſuadent errores, quos defendunt. Quodſi ergo errores ſuaderent actiones malas, eas committerent, conſequenter legi naturæ contrarias actiones committerent (§. 153. *part. 1. Phil pract. univ.*), quæ nimirum tendunt ad imperfectionem ſui & aliorum ſtatusque ſui & aliorum (§. 152. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nocerent itaque tam ſibi, quam aliis. Enimvero ſi magis vivunt ad ſimilitudinem aliorum, qui errores iſtos non fovent, & moribus conſuetudine contractis, qui ab erroribus iſtis abhorrent; errorum, quos defendunt, nulla eſt efficientia in actiones ipſorum, ſed perinde eſt, ac ſi mens ipſorum iisdem non eſſet imbuta, conſequenter errores non nocent, quamdiu in determinationem actionum non influunt. Cumque ſatis exploratum ſit, conſuetudinem, quam in prima pueritia & adoleſcentia nanciſcimur, quaſi in naturam degenerare, ut expulſio ſi non prorſus impoſſibilis, ſaltem longe difficillima exiſtat; influxui errorum in determinationem actionum ea tanto fortius reſiſtit. Patet itaque, ſi homines non magis ad ſimilitudinem aliorum & moribus conſuetudine præſertim in prima pueritia & adoleſcentia contractis, quam inſtituto viverent; errores actiones malas ſuadentes magis nocerent.

Præſens propoſitio probe notanda eſt, ut de nocumento errorum recte ſtatuamus, nec quod poſſibile eſt cum actuali confundamus. Quod ſi omnes viverent, quemadmodum docent, & dogmata ſua moribus ſuis exprimerent; nullus quoque daretur error improbus, qui non in perverſos mores foventem traheret. Aſt quisquis eſt, qui neſciat, antiquiſſimis jam temporibus objectum eſſe, philoſophis, quod aliter loquantur, aliter vivant? Ecquis ignorat, frequentes eſſe querelas de Theologis, quod fortius loquantur, quam vivant? Quamvis vero

vero non negemus, per maligniſſima capita optimo cuique hæc objecta fuiſſe, hodienumque objici; nemo tamen in dubium quoque vocare poteſt, quod non omnes erroribus ſuis trahantur in ſcelera, quæ per eos licita intelliguntur, nec errores ſuos ſtatuant normam actionum ſuarum. Hæc non eo fine a nobis in medium adducuntur, ut erroribus pravas cupidines inſpirantibus honeſtatique inimicis patrocinium quæramus; ſed ut intelligamus, quænam ſit ratio, cur errores pravi ſubinde minus noceant, quam nocituri videbantur. Aliud nimirum eſt non nocere, aliud non tantum nocere, quantum quid per ſe nocere poterat. Noſſe rationem, cur id fiat, utile eſt. Caſum, qui utilitatem loquitur, vidimus jam ſuperius (*not.* §. 119.), ac providentiæ divinæ tribuendum, ne pravorum errorum fabri non magis ſibi noceant atque aliis (§. 927. *part.* 1. *Theol. nat.*).

§. 127.

Errores efficiuntur nocentiores, ſi cum iisdem combinentur alii cum eodem per ſe minime connexi. Quoniam hic ſupponuntur errores, qui appetitum in vitia trahunt; ſi duo errores, qui per ſe inconnexi ſunt, combinantur, aut appetitum in idem vitium trahunt, aut in diverſum. Quamobrem ſi duo errores ſimul appetitum in idem vitium trahunt; facilius omnino nos ad vitium impellunt, quam ſi appetitus nonniſi ab uno moveretur. Si vero ſinguli appetitum ad diverſa vitia trahunt, cum non appetamus, niſi id, ex quo voluptatem quandam percipimus (§. 156. *part.* 2. *Eth.*); utroque vitio delectabimur, cum ſine errorum combinatione nonniſi alterutro delectaremur. Enimvero quia vitia hominem infelicem reddunt (§. 403. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), atque imperfectionem ipſius, vel ſtatus ejusdem promovent (§. 322. 152. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ideoque errores nocentio-

De nocumento ex errorum inconnexorum combinatione.

centiores ſunt, quo fortius nos ad vitia impellunt, vel ſi ad plura ſimul nos ſtimulant; errores efficiuntur nocentiores, ſi cum iisdem combinentur, cum quibus per ſe connexi non ſunt.

Vidimus hoc jam ſuperius in caſu particulari, quando nimirum ad epicuræiſmum accedit materialiſmus, quem alit atheiſmus vel Deiſmus (§. 118.). Quoniam etiam tacite combinari poſſunt cum errore quodam alii, de quibus non cogitamus eo tempore, quo ille movet appetitum (*not.* §. 125.); vi propoſitionis præſentis intelligitur, quantum interſit ut conſtet, quinam error cum eo, qui appetitum movet, combinetur, ut in ejus determinationem una influat. Quodſi exiſtimes, ſi errores, quos quis una fovet, vel quorum unum alteri miſcet, ad diverſa vitia appetitum incitent, hanc combinationem nihil facere ad rem præſentem, cum præterea error unus non efficiatur nocentior, ſed ſaltem uterque per ſe noceat; tenendum eſt dari caſus, in quibus plura vitia influunt in eandem actionem, tunceque utrumque ſimul influere in appetitus determinationem, immo ſubinde fugare pugnam, quæ oriri poterat, ut taceam determinationibus quoque appetitus per errores ineſſe generalia, quæ cum communia ſint, efficiunt ut tacite quoque influat error quidam in determinationem per errorem quendam alium, ut determinatio jam fiat facilior, & agendi conſuetudo firmior. Qui in latebras & receſſus in animis hominum non infelici prorſus ſucceſſu inquiſivit principiis pſychologicis inſtructus & recto intellectus uſu pollens, ut non ignoret, quid valeant in appetitum, quæ in perceptionibus confuſis involuta ſunt; facile hoc capient. Diſertius vero de his dicere non eſt præſentis inſtituti.

§. 128.

De agnitione errorum connexorum.

Quoniam perinde eſt, ſive errores nocentes per ſe inconnexi combinentur, ſive quis agnoſcat errores cum alio quo-

quodam, quem fovet, connexos, error autem efficitur magis nocens, ſi cum alio nocente, ſed per ſe cum ipſo minime connexo combinatur (§. 127.); *error* quoque *efficitur nocentior, ſi quis agnoſcit errores nocentes cum eo, quem fovet, connexos.*

Poterat idem eodem modo demonſtrari, quo propoſitio præcedens, niſi ex eadem per modum corollarii inferre maluiſſemus, legibus methodi, qua utimur, convenienter.

§. 129.

De cuſtodia conſcientiæ ad dilectionem ſui requiſita.

Qui ſeipſum diligit, conſcientiam ſuam cuſtodit. Qui enim ſe diligit, omni ſtudio id agit, ut ſit felix, nec fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum excuſatio conſcientiæ ſumma voluptate hominem perfundat (§. 468. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque felicitatem noſtram promoveat (§. 637. *Pſych. empir.*), accuſatio autem conſcientiæ & morſus ejusdem hominem infelicem reddant (§. 493. *part. 1. Phil. Pract. univ.*); qui ſeipſum diligit, omni animi contentione id agit, ut conſcientia ſe ſemper excuſet, accuſatio autem conſcientiæ & morſus ejusdem vitentur. Quoniam itaque conſcientia noſtra nos excuſat, ſi ſecundum rectam atque certam agamus (§. 464. *part. 1. Phil. pract. univ.*), minime autem accuſare poteſt (§. 473. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ab accuſatione conſcientiæ omnium maxime liberi ſumus, ſi agamus ſecundum rectam & certam liberam (§. 481. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), neque morſus conſcientiæ metuendi ſunt, quamdiu ſecundum conſcientiam rectam & certam agimus (§. 497. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſcientiam vero cuſtodimus, ſi nobis rectitudo, certitudo & libertas conſcientiæ curæ ſit (§. 519. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui ſeipſum diligit, conſcientiam ſuam cuſtodit.

Digitized by Google

Quæ de cuſtodia conſcientiæ tenenda ſunt, dudum demonſtravimus (§. 597. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), ut in præſenti de modo conſcientiam ſuam cuſtodiendi non ſit dicendum. Se parum diligunt, qui omnem dant operam, ut conſcientia dormitet (§. 499. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & conſuetudine agendi ſecundum conſcientiam ſervam contracta in ſomnum conſcientiæ incidant (§. 500. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Conſcientia dormitans evigilare poteſt nobis inconſultis, quando omnium minime cogitabamus, nimirum ſi experimur mala ex actione neceſſario conſequentia (§. 502. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Decipiunt igitur ſe atque alios, ſi ſibi aliisque perſuadent, conſcientiam prorſus deleri poſſe. Et quando alios docere volunt, quomodo conſuetudo male agendi repetitis actionibus ſit contrahenda, ut conſcientia ſomno profundo immergatur, oppido falluntur, dum ſibi mirifice gratulantur de arte conſcientiam delendi, cum hæc ars, ſi qua eſt, dudum exercita fuerit ab hominibus ſceleratis.

§. 130.

An epicuræiſmus conſcientiam tollere & impedire poſſit, quo minus morſus conſcientiæ ſentiantur.

Epicuræiſmus tollere nequit conſcientiam, nec impedire, quo minus morſus conſcientiæ ſentiantur. Quamvis enim epicuræus exiſtimet licere homini actiones ſuas determinare ex ſuo arbitratu, niſi quatenus lege civili prohibentur (§. 718. *part 2. Theol. nat.*), conſequenter licitam faciat voluptatem omnem nullo facto diſcrimine inter nocuas & innocuas; hoc tamen opinione ſua efficere nequit, ne ex actionibus certis conſequantur mala, quæ moleſtiam creant, & ne agnoſcat, ſe ſua culpa in hæc mala incidiſſe, quæ evitare potuiſſet, vel etiam ne careat bonis, quæ conſequi potuiſſet, niſi actiones quasdam omiſiſſet, conſequenter ne judicet, ſe male feciſſe. Quoniam itaque judicandi de actionibus noſtris facultas, utrum bonæ, an malæ ſint, num committi a nobis debuerint, an potius omittendæ fuiſſent, conſcientia eſt

(§. 417.

Digitized by Google

(§. 417. *part. 1. Phil. pract. univ.*); epicuræiſmus tollere nequit conſcientiam. *Quod erat unum.*

Quoniam porro opinione epicuræi, quod omne voluptatum genus licitum ſit, ideoque homo promiſcue iisdem indulgere poſſit, prouti ab iis trahitur, effici nequit, ne ſentiat moleſtias, quibus torquetur animus ob actiones patratas, quas earundem cauſas agnoſcit, nec ſibi conſcius ſit affectuum moleſtorum, qui conſideratione actionum perpetratarum excitantur vi definitionum geneticarum, quas in Pſychologia empirica de affectibus tradidimus, in hiſce autem tædiis cum affectibus moleſtis, quæ conſcientiam conſequentem accuſantem *per demonſtrata n. 1.* conſequuntur, morſus conſcientiæ conſiſtunt (§. 488. *part. 1. Phil. pract. univ.*); epicuræiſmus impedire nequit, quo minus morſus conſcientiæ ſentiantur. *Quod erat alterum.*

Verum omnino eſt, nos habere conſcientiam, quatenus actiones bonas a malis diſcernere valemus & ſic ab educatione pendere, quatenus bonorum & malorum diſcretio debetur educationi. Quodſi ergo ponamus a prima pueritia perſuaderi homini, omnem actionem eſſe licitam & indulgendum eſſe omnibus voluptatibus, quibus ſe trahi ſentit; omnis quoque ceſſabit conſcientia antecedens, omnis etiam conſequens, quamdiu malum, quod ex actione conſequetur, nondum adeſt, aut, quando ingruit, non agnoſcitur, quod ex actione conſequatur (§. 422. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec male agens metuet malum venturum (§. 822. *Pſych. empir.*), nec facti eum pœnitebit (§. 759. *Pſych. empir.*), cumque verecundia ipſi nulla ſit, a pudore quoque liber erit (§. 779. *Pſych. empir.*). Et hactenus ipſi nullas moleſtias creant actiones vel patrandæ, vel patratæ, conſequenter conſcientia ipſius animum non perturbat, nec inquietum reddit, neque ullos conſcientiæ morſus ſentit (§. 499. *part. 1.*

Phil. pract. univ.). Enimvero opinione tua nihil immutatur in actionibus noſtris & natura rerum, ne exinde ſequantur, quæ neceſſario conſequuntur, absque iis autem conſecuta non fuiſſent, conſequenter nec opinione tua voluptas, quæ ſive in ſe nocua eſt, ſive actione tua efficitur nocua, vertetur in innocuam: id quod nemo ſanus ſibi perſvadebit, aut aliis temere perſuadere audebit. Neque etiam porro efficere poteris, ut non agnoſcatur, mala, quæ ex actionibus tuis propullulant, ex iisdem promanare, ſi vel maxime contendas abſoluta quadam neceſſitate omnia fieri, nec quicquam eorum, quæ homini contingunt, evitari poſſe, niſi hominem amentem efficias cum uſu facultatum cognoſcendi omnem rationis uſum auferens. Quando vero agnoſcit, ex actione ſua provenire hæc mala, quæ animum affligunt, & ex fruitione voluptatis moleſtias præſentes; actiones a ſe patratas eſſe malas & voluptatem, qua fruitus eſt, nocuam eſſe actu agnoſcit, ſive illam malam, hanc nocuam appellare velit, an nolit, atque morſus conſcientiæ actu ſentit, ſive eos hoc nomine appellare malit, an nolit: neque enim de nomine lis eſt, ſed de re, quæ eodem ſignificatur. Res ipſa talis manet, qualis in ſe eſt, ſive eam certo nomine ſignificare velis, ſive nullo: impoſitio nominis minime facit, ut ſit quod eſt. Non ideo intellectus nullus datur, ratio nulla eſt, quia uſus intellectus & rationis educationi & conſuetudini cum hominibus intellectu & ratione utentibus acceptus ferendus: ita etiam conſcientia propterea nulla eſt, morſus conſcientiæ nulli ſunt, quod educationi debeatur, ut illa ſe exerat, utpote ab uſu intellectus atque rationis pendens. Intellectus & per conſequens ratio, quæ uſum illius ſupponit, per modum potentiæ natura homini ineſt & educatione a potentia ad actum perducitur, ut eadem uti poſſimus & rationales actu efficiamur. Quamprimum vero uſum facultatum cognoſcendi & cum eo ſimul uſum rationis conſecuti ſumus; conſcientia quidem aliquandiu dormitare poteſt, quatenus præjudicatis opinionibus occœcatam poſſidemus mentem, non tamen

tamen impediri, quo minus evigilet, nec, quando evigilat, quo minus agnoſcamus, quales ſint actiones malæ, quænam voluptates nocuæ, niſi nobis ipſis contradicere velimus. Nullus equidem dubito fore, ut epicuræi materialiſtæ pertinaciter defendant ſuum de conſcientiæ ac morſuum ejus nullitate errorem, cum faſtus eorum non permittat, ut eundem confiteantur & ad ſaniorem mentem redeant; ſed non minus certus ſum, quæcunque tandem fundant tela, ea fore imbellia, haud difficulter confringenda, immo longe fortius in ſuccubituros retorquenda. Quid ſit natura humana ignorant, qui conſcientiam ab eo ſeparant, indivulſo nexu ipſi cohærentem.

§. 131.

Perceptio jucunda & moleſta quid ſit.

Perceptio jucunda dicitur, cum qua voluptas una apperципitur: ex adverſo autem *moleſta*, cum qua moleſtia apperципitur.

Definimus hic perceptionem jucundam & moleſtam, ubi ſpuriam felicitatis notionem a genuina diſtingvi opus eſt, ne illa dilectioni ſui officiat. Qui notionem felicitatis ſpuriam habent, genuina deſtituuntur, ſenſu agnoſcere volunt, quod intellectu comprehendendum. Quamobrem in notionibus confuſis acquieſcentes terminos non ſatis explicant, & vocabula in communi ſermone recepta in vago quodam ſignificatu adhibent. Veram igitur dilectionem ſui ſtabilituri cum falſam felicitatis notionem rejicere debeamus; terminis diſtincta explicatis, ut determinatus ſit eorum ſignificatus, definienda, non tam verbis eorum, qui falſam de felicitate opinionem fovent, quam aliis, quibus in ſyſtemate noſtro determinatæ notiones reſpondent, & quibus notiones confuſæ errantium ad diſtinctas revocantur, ut error manifeſtior fiat. Senſum, quatenus facultatem quandam animæ denotat, diſtinximus a ſenſatione (§. 65. 67. *Pſych. empir.*), & perceptionem latius extendimus quam ad ſenſationem (§. 24. 92. *Pſych.*

Pſych. empir.), apperceptionem autem diviſimus a perceptione (§. 25. *Pſych. empir.*). Dicitur vero etiam anima appercipere modificationes ſuas, aut, ſi mavis actus, qui in eadem producuntur, quatenus per eos ſeipſam quaſi ſibi repræſentat, dum fit objectum congnitionis ſui. Ea igitur de cauſa perceptionem dicere maluimus, quod notionis felicitatis ſpuriæ fabri forſan ſenſum, vel ſenſationem dicerent, quemadmodum idiomate patrio **angenehme Empfindungen** vocant, quod hic perceptionem jucundam appellamus. Sive igitur illud, cujus nobis dum ſumus conſcii, ſit quidpiam ad animam noſtram pertinens, ſive aliud ab eadem diverſum, quando nobis ſimul ſumus conſcii voluptatis, cujus illud tanquam cauſa ſpectatur, perceptionem dicimus jucundam. Jucunda igitur eſt perceptio tam ſi dulcedinem ſachari percipimus, quam ſi ad actus ex habitu proficiſcentes animum attendimus. Quod de perceptione jucunda diximus, idem transferendum ad perceptionem moleſtam. Loquimur equidem ſubinde cum vulgo, ſi mens noſtra ex contextu & ſubſtrata materia facile intelligi poteſt; in demonſtrationibus vero terminis demenda eſt omnis ambiguitas, ſignificatum ipſis reſpondentem ad notiones determinatas revocando. Si quis vero malit ſenſum jucundum appellare, quam nos perceptionem jucundam dicimus, & notione confuſa contentus eſſe, quam experientia menti inſinuat; per nos abundet ſenſu ſuo. Sæpius enim jam inculcavimus, nos cum nemine cum verbis litigaturos, modo rem teneat, quibuscunque tandem verbis eandem ſignificare voluerit.

§. 132.

Dilectionis ſui impedimentum felicitatis ex perceptioni-

Si quis felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimat quid ſit felicitas ignorat, dilectioni ſui maxime adverſatur, & perperam hominem pro animali omnium miſerrimo habet. Cum enim perceptio jucunda ſit, cum qua voluptas una appercepitur (§. 131.); qui felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis

dis æſtimat, is eum ſtatum pro felicitate habet, in quo voluptate fruitur, nullo facto diſcrimine inter voluptatem veram & apparentem, nocuam atque innocuam. Quoniam itaque hic ſtatus jucundus ſtatus eſt (§. 105. *part. 2. Eth.*), ſtatus autem jucundus a felicitate differt (§. 106. *part. 2. Eth.*); ſi quis felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimat, quid ſit felicitas ignorat. *Quod erat primum.* *bus jucundis æſtimatio.*

Qui ſe ipſum diligit, omni ſtudio id agit ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter neceſſe eſt ut norit quid ſit felicitas, ne, cum felicitatem conſequi ſtudet, ab eadem eo longius recedat, quo citatius ad illam fertur. Enimvero qui felicitatem ex perceptionibus jucundis æſtimat, quid ſit felicitas ignorat, *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem cum ignorantia veræ felicitatis dilectionis ſui impedimentum ſit (§. 87.); dilectioni ſui maxime adverſatur, qui felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimat. *Quod erat ſecundum.*

Qui felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimat, cum perceptiones jucundæ illæ ſint, cum quibus voluptas una appercipitur (§. 131.), intenſitatem voluptatis ex vivacitate illarum æſtimat, ideoque fieri nequit, quin voluptates, quæ ſenſus hilarant, majores ipſi videantur illis, quæ mentem demulcent (§. 102.), conſequenter voluptatibus corporis maximam in felicitate hominis partem tribuat, niſi forſan vitia in appetitum ſenſitivum tacite influentia voluptatibus animi miſceant voluptates nocuas, ut, quæ ipſarum eſt vivacitas, ad illas trahatur. Quamobrem ubi videt, ea, quæ ſenſum hilarant, non eſſe in poteſtate ſua, nec eorum adeptionem votis noſtris reſpondere, ut triſte potius deſiderium poſt ſe relinquant, eas eſſe tranſitorias & nimis

frequente earum uſu ſenſim ſenſimque vileſcere, ut tandem ipſarum nos pertædeat, immo præſentiſſimum nocumentum nonnullarum uſum valde reſtringat, ex adverſo vero indies contingant, quorum moleſta eſt perceptio, non ſine moleſtia, quæ animum inquietat, appercipienda (§. 140.); cum miſer exiſtimetur homo, qui malo affligitur (§. 329. *part. 2. Eth.*), miſeriam vitæ humanæ felicitatem, qua frui datur, longe ſuperare ſibi perſuadet. Enimvero cum ignoret, quid ſit felicitas, qui eam ex perceptionibus jucundis æſtimat, *per demonſtrata n. 1.* &, ſi curatius in cauſas moleſtiarum inquiramus, ſimulque perpendamus, miſerum tunc demum eſſe infelicem, ſi malo ſuo affligitur (§. 329. *part. 2. Eth*), ipſe moleſtiarum, quibus torquetur, faber ſit; perperam hominem pro animali omnium miſerrimo habet. *Quod erat tertium.*

Æſtimatio felicitatis ex perceptionibus jucundis vulgo probatur, quem eſſe peſſimum veritatis interpretem dudum agnoverunt ſapientiores. Vulgus quoque continuas parit querelas de miſerie humana, quæ protinus ceſſarent, ſi felicitatem ſuo modulo metiri didiciſſent. Fluit hæc æſtimatio ex notione boni a prima infantia animo ingenita (§. 5. *part. 2. Eth.*), quæ cum ſeductrix evadat, quando voluptas nocua ab innocua non diſcernitur (§. 6. *part. 2. Eth.*), recto intellectus uſu corrigenda, ne voluntas & noluntas corrumpatur (§. 15. *part. 2. Eth.*). Quoniam hæc correctio negligitur, turba, quam ſenſus, non ratio regit, inhiat promiſcue voluptates, quæ ſenſum hilarant, ſeu perceptiones quaslibet jucundas, dum ad felicitatem contendit, nubem pro Junone amplectens. Sicuti autem iſta felicitatis æſtimatio maxime dedecet hominem, qui philoſophus audire vult; ita quoque dilectioni ſui maxime adverſatur, quam corrumpit, ut turbam ſecutus perceptiones plures experiatur moleſtas, quam jucundas, nec jucundæ ſatiare poſſint animum. Hæc dum animad-

animadvertit, conſcius ſibi, ſe cum vulgo ſentire, in rationem perceptionum moleſtarum inquirere debebat, ut intelligeret, cur jam moleſta percipiat, & cur ea, quæ caſu quodam infelici accidunt, moleſtiis torqueant animum, miſeriæ ſuæ fontem in ſe deprehenſurus (§. 329. *part. 2. Eth.*), ut ex caſu ſuo ſapiens a deviis in viam rectam reducatur. Enimvero cum caligare malit, quam præjudicatas opiniones in prima infantia & pueritia hauſtas, turbæ probatas, a qua ſe ſeparare non vult, miſſas facere, culpam ſuam in fatum inexorabile conjiciens mœſtas expromit mente querelas, quas nullo modo compeſcere novit. Idem hoc omnino eſt ac putare, quod homo ſit felicitatis incapax, præcluſa ad eandem via, appetitu felicitatis non alio fine dato, quam ut ſit miſerior, & miſeriam ſuam eo magis ſentiat. Videmus itaque, quantum æſtimatio felicitatis ex perceptionibus jucundis obſtet dilectioni ſui, voluntati conſtanti ac perpetuæ promovendi felicitatem ſuam (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*), & quod totum philoſophiæ moralis fundamentum ſubvertatur, ſi eidem philoſophiam moralem ſuperſtruere tentemus.

§. 133.

Quoniam felicitatis ex perceptionibus jucundis æſtimatio dilectioni ſui maxime adverſatur, & caligantes querelis de miſeria hominis immedicabili incendit (§. 132.), ut errore ſuo non agnito maneant infelices; *Qui ſeipſum diligit, nec in Numen ſævum*, quod longe benigniſſimum (§. 699. *part. 1. Theol. nat.*), hominem felicem eſſe vult (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), *injuſtas effundere vult querelas, verum bonum*, ex quo vera naſcitur voluptas (§. 559. *Pſych. empir.*), *agnoſcere & voluptatem innocuam*, quæ nunquam in moleſtiam degenerat, nec moleſtiam parit (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *a nocua*, moleſtarum perceptionum creatrice (§. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *ſeparare diſcat neceſſe eſt.* *Quomodo impedimentum iſtud tollatur.*

Sufficienter ea expoſuimus, quæ ad agnoſcendum bonum verum & ad ſeparandum voluptatem innocuam a nocua ſcitu neceſſaria ſunt, ut eæ hic repetere non teneamur. Paſſim tradita ſolerter expendenda ſunt, nec amplius verendum erit, ne ſtatum jucundum cum felicitate confundentes felicitatem ex perceptionibus jucundis æſtimemus. Ad hoc ſtudium nos incitat ipſe appetitus felicitatis voluptatibus ſenſum hilarantibus non ſatiandus. Naturæ vocem qui audire non vult, ſed ab ea animum ad querelas convertit; is oſcitantiam ſuam, non vero naturam ejusve autorem Deum ſaltem tacite accuſet, quod miſeriam ſuam infelix fortunæ ſuæ faber indies augeat, ſeque in eandem præcipitem det ſua ſponte, cum evitare poſſet, in medio calamitatum, quas evitare non poterat, felix futurus, modo in providentia divina acquieſcere (§. 438. *part. 3. Eth.*), Deoque confidere didiciſſet (§. 422. 440. *part. 3. Eth.*). Epicuræi ex perceptionibus jucundis felicitatem æſtimant, & ut aures obturent, ne vocem naturæ audiant, arti delendi conſcientiam ſtudent, de qua inventa ſibi gratulantur, quamvis revera nulla detur (§. 130.), rationem ejurare & verecundiam exuere jubent, ne tamen videantur absque ratione defendere contradictorii ingenii homines, quod nulla ratione defendi poteſt, epicuræiſmo materialiſmum & atheiſmum, aut ſaltem deiſmum miſcent. Horum enim fiducia ſibi videntur inveniſſe miſeriæ humanæ remedium, ut ſibimet ipſis manus violentas inferendo miſeriæ finem faciant ejus pertæſi, ne, cum opinione ſua felices eſſe nequeant, inviti ſint infelices. Dari homines tam alienatæ mentis noſtro ævo dubitari nequit, quo latere nolunt, ſed in publicum prodeunt, quamvis quidam eorum nondum ſint adeo perfrictæ frontis, ut omnem prorſus pudorem exuerint & impietate glorientur. Qui genus humanum diligunt, quemadmodum ſeipſos & ſalutem Reip. curæ habent, errores iſtos nocentiſſimos abominantur, & hominum a dilectione ſui tam procul remotorum miſerentur. Et amor nobis ſuadet, ut veram ad felicitatem viam monſtrantes, errores ipſo-

ipſorum atro carbone notemus eorundemque fontem candide aperiamus, ut, ſi vel ipſi, qui tam perverſæ mentis ſunt, ad ſaniorem reduci nequeant, non tamen alios pravis dogmatis in errores adeo nocentes trahant.

CAPUT III.

De Cura animæ.

§. 134.

Per *Curam animæ* intelligimus eam, quam conferre debemus in perfectionem animæ accidentalem. Idiomate patrio dicitur die Vorſorge vor die Seele. *Cura animæ quænam ſit.*

Perfectio eſſentialis cum ab eſſentia animæ in ſe immutabili (§. 300. *Ontol.*) dependeat (§. 528. *Ontol.*), ideoque homini naturalis eſt, poteſtati noſtræ minime ſubeſt (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Nullus hominum alias ſibi dare poteſt dotes naturales, quam natura ipſi conceſſit, cum per eſſentiam ejus aliæ non ſint poſſibiles, quam quas habet. Quamobrem cum iis contentus eſſe teneatur quilibet, ſive velit, ſive nolit, ſupervacanea quoque eſt omnis cura, ſi quam in perfectionem eſſentialem conferre velit. Omnis itaque cura, quam in perfectionem animæ conferre valemus, accidentalem reſpicit. Et quamvis conſervatio eſſentialis videatur poteſtati noſtræ non prorſus ſubducta, in quantum ea a corpore dependet, veluti dum læſo organo ſenſorio læditur facultas ſentiendi, aut dum in morbis imaginatio corrumpitur; hæc tamen non tam ad curam animæ, quam corporis ſpectat, de qua in capite ſequente agemus.

§. 135.

Quoniam perfectio animæ accidentalis conſiſtit in conſenſu omnium uſuum facultatum animæ tam ſuperiorum, *Quænam ad curam*

animæ requirantur.

quam inferiorum (§. 201. 202. *part. 1. Jur. nat.*), uſus vero facultatum in eliciendis actibus (§. 198. *part. 1. Jur. nat.*), acquirendus quoad facultates ſuperiores (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*), naturalis quoad inferiores (§. 200. *part. 1. Jur. nat.*), quamvis & hic quoad miniſterium intellectus perfici poſſit (§. 17. 65. 69. *part. 1. Eth.*), nec minus appetitus ſenſitivus una cum averſatione ſenſitiva perfici queat, quatenus in conſenſum cum rationali reducendus (§. 270. *part. 1. Jur. nat.*), ut de facultatibus cognoſcendi intermediis, attentione & reflexione, quarum miniſterio itidem utitur intellectus (§. 14. *part. 1. Eth.*), jam nihil dicamus (§. 15. *part. 1. Eth.*), conſequenter ad perfectionem animæ accidentalem requiruntur habitus iisdem utendi & habitus mediantibus ipſis acquirendi, cura autem animæ verſatur circa perfectionem ejus accidentalem (§. 134.); *qui curam animæ habere vult, operam dare debet, ut habitus utendi facultatibus animæ & habitus harum uſu ulterius comparabiles acquirat atque acquiſitos conſervet ac ulterius indies perficiat.* Quoniam itaque in parte prima & ſecunda Ethicæ oſtendimus, quomodo intellectus cum ceteris facultatibus, quarum miniſterio utitur, perficiatur & habitus intellectus acquirantur, & quomodo voluntas & noluntas bona efficiatur, perficiatur & emendetur, nec non in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtravimus, quæ ad animum perficiendum & emendandum faciunt; *quæ in parte prima Ethicæ de intellectu perficiendo & virtutibus intellectualibus tam formalibus, quam materialibus demonſtrata ſunt, nec non in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis de praxi morali in genere docentur, ea omnia curam animæ reſpiciunt.* Et, quod ex modo dictis facile intelligitur, *curam* quoque *animæ reſpiciunt omnia, quæ in ceteris Ethicæ partibus demonſtrantur & inculcantur.*

Patet

Patet itaque, quam multa requirantur ad curam animæ, ſi quidem nihil deſiderari debet, quamvis vulgo nulla habeatur, quaſi in totum fortunæ ſit committenda, niſi quatenus mores ad eandem ducunt: id quod tamen vix ultra educationem extenditur, utut etiam in hac maxima pars eorum, quæ facienda erant, fortunæ relinquatur. Anima præcipua hominis pars eſt: ea enim diſtinguitur a rebus mere materialibus & in quantum uſu facultatum cognoſcendi rationis uſum acquirit, ut actiones ſuas eidem convenienter dirigere poſſit, a brutis differt, & recta actionum directione felicitatis compos fit, qua brutis frui minime datur. Quamobrem homini quoque potiſſimum incumbere debebat cura animæ & cura corporis propter animam. Male igitur perſonam hominis gerunt, qui vel curam corporis & animæ ſimul abjiciunt, vel ſolam corporis curam habent. Diſcimus quoque ex iis, quæ in propoſitione præſente dicta ſunt, a cura animæ nunquam eſſe deſiſtendum, non modo ea de cauſa, ne habitus acquiſiti amittantur, verum etiam ut ulterius perficiantur. Abſit enim, ut exiſtimes, habitus ſingulos, circa quos verſatur cura animæ, ad eum perfectionis gradum evehi poſſe, ut ulterius perfici nequeant. Recte enim jam dudum inculcatum eſt, quod ſubſiſtere hic idem ſit ac recedere. Obiter quoque obſervamus, quod felicitatem hominis ex perceptionibus jucundis æſtimantes fingant quandam felicitatem ſibi cum brutis communem, ut propterea non ſit quod miremur, ſi bruta feliciora pronuncient hominibus, quia non tot moleſtas perceptiones habent, quot homines, & intellectu deſtituta rationisque uſu minime pollentia mala ſua non perinde ſentiant, quemadmodum homines. Huc etiam referunt, quod conſcientia careant, quam pro carnifice hominis habent, ac tandem in eam dementiam prolabuntur, ut ſibi perſuadeant, ad ſimilitudinem brutorum eſſe vivendum, ſi felices eſſe velimus.

§. 136.

§. 136.

Quænam hic de eodem tradenda.

Quia omnia, quæ de intellectu & voluntate ac noluntate perficiendis & de virtutibus intellectualibus & moralibus in Ethica & philoſophia practica univerſali demonſtrantur, ad curam animæ ſpectant (§. 135.); *in præſenti de cura animæ ea ſaltem tradenda ſunt, quæ in genere de eadem tenenda, ceteris ad exercitium hujus curæ ſpectantibus.*

Nimirum qui operam dare debet, ut ea faciat, quæ de perficiendis facultatibus animæ in uſum virtutum intellectualium & moralium & de cultura earum præcipiuntur, & de fuga vitiorum inculcantur; ad ea facienda, iisdem oppoſita fugienda voluntatem & noluntatem ad conſtantiam & perpetuitatem ante determinare debet in genere, quam eandem ſibi promittere poteſt quoad ſingulas virtutes ipſisque oppoſita vitia, ne a vero tramite deflectat, ſed omnem vitam ad normam rationis componat. Quamobrem haud difficulter patet, ſingularem quandam dari curam, ut mens ſana conſervetur. Et de hac in præſenti nobis eſt dicendum.

§. 137.

An cura animæ virtus ſit.

Cura animæ virtus eſt. Cura enim animæ confertur in acquirendos, conſervandos & perficiendos habitus utendi facultatibus animæ atque habitus uſu earundem comparandos (§. 135.), ſeu perfectionem animæ accidentalem (§. 134.). Quoniam itaque lege naturali præcipitur, ut actiones noſtras omnes dirigamus ad perfectionem noſtram, minime autem ad imperfectionem (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & eadem obligamur ad conſequendum habitum omnem facultatis cujuslibet animæ acquiſitu nobis poſſibilem (§. 211. *part. 1. Jur. nat.*) atque conſenſum uſus earundem (§. 204. *part. 1. Jur. nat.*); cura animæ legi naturæ conformis eſt. Quamobrem

obrem cum omnis habitus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi virtus ſit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cura animæ virtus eſt.

Nemo negat, curandum eſſe, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Hoc ipſo autem præcepto cura animæ & corporis continetur, quamvis cura corporis latius extendenda videatur: de quo in capite ſequente disquiremus. Quemadmodum ſanitas corporis eum denotat ſtatum, quo ſingulæ ipſius partes munere ſuo rite funguntur (§. 345. *part. 1. Jur. nat.*); ita mens ſana dicitur, quando ſingulæ facultates impenduntur in eum uſum, quem habere debent. Quamobrem ſicuti peculiaris datur cura in ſanitatem corporis conferenda; ita etiam cura quædam peculiaris eſt, quam mentis ſanitas exigit, ut ſcilicet ſemper faciamus rectum facultatum animæ uſum, vitemusque abuſum & non uſum. Atque hinc apparet curam animæ potiſſimum verſari circa exercitium virtutum & fugam vitiorum vitationemque omnis culpæ, atque nos incitare ad tollendam imperfectionem nobis adhuc inhærentem, quæ recto facultatum uſui & vitando non uſui obſtat. Sed hæc omnia ex ſequentibus luculentius eluceſcent. Non igitur fingimus virtutem, quæ non datur, nec præter neceſſitatem a virtutibus ceteris ſeparamus inutiliter, quæ ipſis communia ſunt, ſit ita quod cura animæ ceteris virtutibus quaſi immerſa vulgo conſideretur, quemadmodum etiam pietati & obedientiæ erga Deum accidit, quæ tamen hoc non obſtante tanquam peculiares virtutes conſiderandas eſſe abunde patet ex iis, quæ in parte tertia Ethicæ de utraque demonſtravimus. Quamvis enim in praxi ad exercitium unius virtutis concurrant etiam aliæ, immo ſine hoc concurſu illa omnibus numeris abſoluta eſſe nequeat; hoc tamen non obſtante de ſingulis ſigillatim agendum, ut ante acquirantur, quam ad exercitium reliquarum concurrere poſſunt. Quoniam in Ethica docendum eſt, quomodo habitus actiones noſtras juxta legem naturæ determinandi acquirere debeamus,

hi vero habitus virtutes ſunt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in virtutibus quoque diſcernendis non ſequimur autoritatem aliorum, qui eas in certas ſpecies diſtinxerunt & peculiaria iisdem nomina impoſuerunt, multo minus acquieſcimus in acumine vulgi, quod, prouti occaſio tulit, certis nominibus quæ diverſa ipſi videbantur diſcrevit, ſed ipſa lege naturæ duce utimur, ad cujus obſervantiam alios perducere intendimus monſtraturi iter, quod faciendum, ut conſequamur aptitudinem vivendi vitam hominis. Cum enim homo iis gaudeat facultatibus, quarum recto uſu efficitur rationalis; naturæ ejus maxime convenit, ut ratione dirigat actiones ſuas. Alias nimirum non vitam hominis vivere dicendus. Nemo igitur miretur, quod in tractanda Ethica a more communi diſcedamus.

§. 138.

Quamnam ſollicitudinem cura animæ exigat.

Qui curam animæ habet, ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocunque promovendam facit. Cura enim animæ confertur in perfectionem ipſius accidentalem (§. 134.), conſequenter in eam, quæ a nobis acquirenda, non vero per naturam actu ineſt (§. 202. *part. Jur. nat.*). Quamobrem cum omnis cura animæ ad perfectionem ejus acquiſitu poſſibilem tanquam ad ſcopum tendat, conſequenter fieri nequeat, ut curam animæ habeat, cui non firmum propoſitum eſt animum ſuum quantum fieri poteſt perficiendi, perfectionem vero acquiſitam conſervandi & ad majorem gradum evehendi; qui curam animæ habet ſollicitus omnino eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocunque promovendam facit.

Sollicitudo hæc præcipuam partem ejus curæ facit, quam de anima habere debemus, tantum abeſt, ut ab ea ſeparari poſſit.

poſſit. Dicitur cura in genere ſollicitudo de re quadam, quatenus ejus acquiſitio, vel conſervatio dubia videtur, in quam fertur appetitus, vel etiam eventus poſſibilis, quem averſamur. Quamobrem ſollicitudo iſta ſtimulus eſt ad omnia facienda, ut id, quod appetimus, acquiramus, vel cujus jacturam averſamur, conſervemus, aut malum, quod metuimus, avertamus, in quantum in poteſtate noſtra eſt. Si quid enim in poteſtate noſtra non eſt, agnita impotentia noſtra ſubſiſtimus in voluntate inefficaci, aut in votis. Cura igitur animæ requirit ſollicitudinem, ne forſan non uſu facultatum noſtrarum omittatur, quod ad perfectionem acquirendam, vel conſervandam & augendam fieri poterat, vel illarum abuſu committatur, quod obſtare poterat, quo minus eandem conſequamur, aut jam acquiſitam augeamus, vel etiam periculo eam amittendi nos exponere poterat. Atque hinc intelligitur qualis ſit animus ejus, quem cura animæ occupat.

§. 139.

Quoniam qui curam animæ habet ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocunque promovendam facit (§. 138.), diligentia vero conſiſtit in commiſſione eorum omnium, quæ certo fine fieri debent (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Qui curam animæ habet, in promovenda perfectione ejus omnem diligentiam adhibet.*

Diligentia promovendæ perfectionem animæ a cura animæ dependet.

Naſcitur diligentia ex ſollicitudine, ſine qua cura animæ non concipitur. Multi ſunt actus animæ, quorum unus ab altero dependet, quique ſimul adeſſe debent, ſiquidem curam animæ habere dicendus es, quemadmodum quoque in ceteris contingit, acute a ſe invicem diſtinguendi, quamvis vulgo hoc negligatur. Sane niſi hoc facias, diſtinctam curæ, quæ animæ cauſa habenda, notionem non conſequeris, ſaltem non

quantum ſatis eſt. Facile autem fieri poterat, ut non ſufficientem curam in perfectionem animæ vel adipiſcendam, vel ad gradum ſublimiorem evehendam conferas, niſi ſatis diſtinctam, &, quantum ſufficere poterat, adæquatam ejus notionem habeas. Quodſi hoc monitum ubivis obſerves, facile videbis, nos nullibi affectare ſubtilitates inanes oſtentationis magis, quam utilitatis gratia: a quo puerili more dudum alieni ſumus, qui jam ſæpius profeſſi ſumus nos non ad pompam, ſed ad utilitatem generis humani philoſophari, quem finem nobis in omni labore noſtro conſtituimus, utiles nos præbere volumus aliis, ut ipſis inſerviendo conſumamur, quippe dudum convicti, neminem hominum ſibi ſoli vivere.

§. 140.

Circumſpecte agendi morem cura animæ gignit.

Similiter quia curam animæ habens ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ promovendam quomodocunque facit (§. 138.), ideoque neceſſe eſt, ut actiones noſtras tam poſitivas, quam privativas probe expendamus, ne quid faciamus, quod erat omittendum, vel omittamus, quod erat faciendum, niſi aliquid in cura animæ deſiderari debeat; *Qui curam animæ habet, non modo ad actionem ſuam quamcunque animum attendere, verum etiam expendere debet, cur eandem committat, vel omittat, ad quemnam habitum vel acquirendum, vel conſervandum, vel ulterius perficiendum faciat, & num facultatibus omnibus decenter utatur*, ideoque *quicquid agat, certus eſſe ſtudeat opus eſt, ſe ne latum quidem unguem a lege naturæ*, actionum humanarum norma immutabili (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *dijcedere*, conſequenter *ut circumſpecte agat.*

Alia longe ratio eſt ſanitatis animæ, quam corporis. In corpore ſano actiones naturales omnes recte ſe habent, quamdiu

diu ſtructura organorum illæſa perſiſtit, nec error quidam externus, ut cum *Galeno* loquamur, contingit, ut actio organi impediatur, ad quam producendum ipſum in ſe ſpectatum aptum eſt. Enimvero ſi mens ſana eſſe debet, uſus facultatum ſtudio noſtro acquirendus & in agendo liberæ deinceps voluntati ſubjicitur, ita ut ratione regendus ſit. Quamobrem actiones liberæ requirunt circumſpectionem, quam nobis inſinuat cura animæ. Perpendendum vero eſt, quomodo actiones noſtræ tendant ad perfectionem animæ atque ſtatus ejusdem, ut qualis circumſpectio adhibenda ſit ſatis intelligatur. Nimirum actiones non modo tendunt ad perfectionem noſtram, ſi pertinent ad exercitium, quo habitus acquiritur (§. 430. *Pſych. empir.*), verum etiam quælibet actio ex habitu proficiſcens facit ad ejus conſervationem & perfectionem (§. 431. *Pſych. empir.*). Præterea quoque fieri poteſt, ut circumſtantiæ ſingulares caſus emergentis uſum facultatis cujusdam alterent, ut actio alias bona a rectitudine ſua deflectens labe inficiatur, facile deinceps in ipſum habitum derivanda, niſi cautio adhibeatur. Actiones autem ad perfectionem ſtatus tendunt, quatenus ſunt cauſa voluptatum & moleſtias arcent.

§. 141.

Cura animæ ſtudium virtutis conſervat & virtuti voluntatis conſtantiam & perpetuitatem conciliat. Qui enim curam animæ habet, omnem diligentiam adhibet in promovenda perfectione animæ (§. 139.). Quamobrem cum perfectio animæ acquiſita in virtutibus intellectualibus & moralibus conſiſtat (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*); virtutibus intellectualibus & moralibus indefeſſam operam navat. Cura igitur animæ ſtudium virtutis conſervat. *Quod erat unum.*

Cura animæ ſtudii virtutis conſervatrix & conſtantiæ ac perpetuitatis voluntatis creatrix.

Qui curam animæ habet ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocun-

docunque promovendam facit (§. 138.) & actiones ſuas omnes expendit, ad quemnam habitum acquirendum, vel conſervandum, aut perficiendum faciant, certusque eſſe ſtudet, ne latum quidem ungvem a lege naturæ diſcedat (§. 140.). Quoniam itaque perfectio animæ in virtutibus intellectualibus & moralibus, qui ſunt habitus intellectus & voluntatis atque noluntatis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), conſiſtit (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), virtutes autem ſunt habitus actiones ſuas legi naturæ conformiter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui curam animæ habet, a virtutis tramite nullo modo ſe abduci patitur, ſed in eodem ſemper manet. Quamobrem cum conſtantia voluntatis conſiſtat in immutabilitate in caſu præſenti, & perpetuitas in identitate in eodem caſu recurrente, quo ſcilicet idem agendum eſt, quod antea fuerat actum (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), & utraque ad virtutem requiratur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cura animæ virturi conſtantiam & perpetuitatem voluntatis conciliat. *Quod erat alterum.*

Cura animæ tota conſiſtit in eo, ut virtutes morales acquiramus, conſervemus ac indies, quantum datur, perficiamus, virtutes autem intellectuales, in quantum ſine iis virtutes morales ſubſiſtere, vel incrementum capere, aut ad gradum ſublimiorem evehi nequeunt. Etenim virtutes intellectuales non per ſe appetuntur, ſed propter morales. Intellectus regere debet appetendi & averſandi facultatem, ac inprimis rationalem, ſeu voluntatem & noluntatem, ut homo recte agendo felicitatem conſequatur, in quam naturaliter fertur appetitus ejus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum itaque Rector civitatis eſt propter populum, non vero populus propter ipſum; ita quoque intellectus propter voluntatem & noluntatem, non vero voluntas & noluntas propter intellectum homini competere cenſendus eſt.

Et

Digitized by Google

Et idem in genere intelligitur de facultatibus cognoſcendi & appetendi atque averſandi. Ordinem igitur naturæ pervertunt, qui felicitatem ex perceptionibus jucundis æſtimant, quaſi facultates cognoſcendi habeat homo propter appetitum & averſationem, ut is perceptiones jucundas procuret, hæc moleſtas abigat, quemadmodum ordinem Reip. pervertunt, qui populum propter Rectorem civitatis eſſe fingunt, ut is in omnium eorum, quæ ipſum delectant, abundantia vivat. Ac ideo contingit, ut felicitate cadant qui ordinem naturæ pervertunt in uſu facultatum animæ, ſeu earum a ſe invicem dependentia, ſicuti ſalus Reip. perit, ſi ordo Reip. quoad mutuam dependentiam Rectoris civitatis & ſubditorum pervertitur. Qui curam animæ habet, naturæ ordinem ſequi, non pervertere debet. Quamprimum vero quis curam animæ abjicit, voluntas conſtans & perpetua eſſe nequit, qua fervet virtutis cultura. Cum enim actiones ſuas non amplius referat ad perfectionem ſuam, ut inde deſumantur motiva agendi, quæ in omni caſu eadem ſunt, ſed motiva potius aliunde petita admittit, quæ pro varietate circumſtantiarum variant, a ſuo propoſito ſe dimoveri patitur, nec idem ſemper agit in eodem caſu recurrente, non ſemper ſibi ſimilis. Deeſt igitur voluntatis conſtantia & perpetuitas (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), quam virtus requirit (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§ 142.

Quoniam cura animæ ſtudium virtutis conſervat atque virtuti conſtantiam & perpetuitatem voluntatis ac noluntatis conciliat (§. 141.), ſine virtute autem nemo felix eſſe poteſt, nec felicitas a virtute ſejungi poteſt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *cura animæ felicitatem hominis promovet, tum qua acquirendam, tum qua conſervandam*, conſequenter *qui felix eſſe vult, curam animæ ſemper habere, nunquam abjicere debet.* *Motivum curæ animæ.*

Feli-

Digitized by Google

Ἔτειλε, ἐφη, ὁ Κῦρος τοῦτον τὸν ἄνδρα ἐπὶ τὸν Ἀβραδάτην, ἐπειδὴ ἐκεῖνος ἐπεμνήσθη τῆς φιλίας τῆς πρὸς τὸν Κῦρον, καὶ ἐκέλευσε τὸν Ἀβραδάτην ἐλθεῖν παρὰ σέ. ἐκεῖνος δὲ ἐπεὶ ἀφίκετο, ἐπεμνήσθη τῆς φιλίας καὶ ἔφη ἐθέλειν ἐλθεῖν παρὰ σέ. ἐπεὶ δὲ ἐγὼ ἐπυθόμην ταῦτα, ἐκέλευσα τὸν Ἀβραδάτην ἐλθεῖν παρ' ἐμέ. ἐπεὶ δὲ ἀφίκετο, ἐγὼ ἐπεμνήσθην τῆς φιλίας τῆς πρὸς τὸν Κῦρον καὶ ἔφην

una abjiciat timorem Dei: quod cum hypotheſi repugnet, cum qui timorem Dei abjicit eum timere dicendus non ſit, timens Deum curam animæ abjicere nequit. *Quod erat alterum.*

Equidem timor Dei virtus eſt (§. 319. *part. 3. Eth.*), ideoque ad ea pertinet, quorum rationem habere debet, qui curam animæ habet; hoc tamen non obſtante in curam quoque animæ influit, ut ad eandem nos non modo incitet, verum etiam eandem conſervet atque indies acriorem reddat. Memini, me jam antea monuiſſe, virtutem unam influere in virtutem alteram, ita ut hæc illi cum fœnore reddat, quod ab ea accepit. Ponamus te de cura animæ nondum cogitantem adduci ad timorem Dei, id quod fieri poſſe extra omne dubium eſt (§. 318. 218. 228. *part. 3. Eth.*). Dubium non eſt, quin timor Dei menti tuæ inſinuet curam animæ (§. 140. *h.* §. 1176. *part. 1. Jur. nat. &* §. 278. *part. 1. Phil. præct. univ.*). Enimvero ubi agnoſcis, timorem Dei eſſe virtutem (§. 319. *part. 3. Eth.*), cum cura animæ virtutis ſtudium conſervet (§. 141.); ſi curam habes animæ, Deum quoque ut timeas operam dabis. Ponamus ex adverſo, te curam animæ habere, ad quam nondum præſuppoſito timore Dei te adduci poſſe manifeſtum eſt, quatenus felicitas eam tibi commendat (§. 142.). Quodſi jam porro agnoſcis, timorem Dei non modo eſſe in numero virtutum (§. 319. *part. 3. Eth.*), quarum ſtudium cura animæ conſervatur (§. 141.), verum etiam in omnes virtutes reliquas influere (§. 339. *part. 3. Eth.*), cura animæ ad timorem Dei te adducet, ipſi curæ animæ mox ſuppetias laturum. Patet itaque, quomodo cura animæ & timor Dei ſororio vinculo cohæreant, ut ſe mutuo ad ſe invicem trahant. Accidit hoc quoque in virtutibus ceteris, quarum omnium indivulſus quidam nexus eſt, quem facile perſpicit, qui ſingulas intimius cognitas atque perſpectas habet. Atque hunc nexum tanto facilius videmus, ſi virtutum ſcientiam ex ſyſtemate haurimus, in quo per concatenatas demonſtra-

tiones mutua illarum a ſe invicem dependentia ſit manifeſta. Opus vero eſt, ut huc animum advertamus, ſi ad virtutis cujusdam ſtudium nos, vel alios adducere velimus, ne per ambages conſequi ſtudeamus, quod facilius obtinere poteramus, nec præter neceſſitatem ſtudium virtutis reddamus moleſtius. Timor Dei ac cura animæ ad eundem ſcopum tendunt. Timens enim Deum ſollicitus eſt, ne quicquam committat, quod voluntati Numinis adverſum (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); curam animæ habens ſollicitus eſt, ne latum ungvem a lege naturæ recedat (§. 140.): Deus autem aliud non vult, quam ut actiones noſtras legi naturæ conformiter determinemus (§. 278 *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ne latum ungvem a lege naturæ recedamus.

§. 144.

Qualis voluntas ad curam animæ requiratur.

Ut curam pro anima gerere velis, voluntas & noluntas bona prærequiritur; ut vero eam recte geras, voluntas & noluntas perfecta ſit neceſſe eſt. Qui enim curam pro anima gerere vult, ſollicitus eſſe tenetur, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ promovendam facit (§. 138.), conſequenter cum lex naturæ urgeat, ut omnes actiones noſtras dirigamus ad noſtram perfectionem (§. 152. *part. 1. Phil pract. univ.*), ut non faciamus, niſi quod legi naturæ convenit, ideoque voluntas ejus determinata eſſe debet generaliter ad actiones legi naturæ conformes committendas, noluntas vero ad actiones eidem contrarias committendas. Enimvero voluntas bona eſt, ſi generaliter determinata fuerit ad actiones legi naturæ conformes committendum (§. 121. *part. 2. Eth.*) & noluntas bona eſt, ſi generaliter determinata fuerit ad actiones lege naturali prohibitas non committendum (§. 127. *part. 2. Eth.*). Patet itaque, ut curam pro anima gerere velis, voluntatem & noluntatem bonam requiri. *Quod erat unum.*

Quo-

Quoniam ut quis curam animæ recte gerat non ſufficit, ut velit nullam committere actionem niſi legi naturæ conformem, ſed neceſſe eſt ut eadem quoque ſit conformis, *per demonſtrata*, conſequenter ut cura animæ recte geratur, exacta juris naturæ ſcientia requiritur, voluntas autem perfecta eſt, quæ exactam requirit juris naturæ ſcientiam (§. 133. *part. 2. Eth.*), atque ab eadem per conſequens etiam pendet noluntas perfecta; ut curam animæ recte geras, voluntas & noluntas perfecta ſit neceſſe eſt. *Quod erat alterum.*

Si voluntas bona quidem fuerit, non vero perfecta, cum erroribus in determinationem voluntatis in caſu dato, quando agendum, influentibus committere poſſis actiones legi naturæ contrarias (§. 131. *part. 2. Eth.*); curam animæ quidem habere vis tibique gerere videris, revera autem non geris, ſed falleris. Curam igitur animæ gerere nondum potes, quamvis velis. Perinde nimirum eſt, ac ſi morbo medelam ferre velis, ſed utaris remedio, quod morbo non medetur, ſed periculoſiorem facit. Qui animæ curam gerere vult, addiſcere omnino debet, quomodo eam gerere debeat, ſeu quænam committendæ ſint actiones, quænam omittendæ: id quod aliunde, quam a ſcientia juris naturæ expectari nequit, quæ voluntatem bonam facit perfectam. Pendet nimirum voluntatis & noluntatis determinatio a judicio intellectus, quod ſcientiam juris naturæ ſupponit, ſi actio eidem conformis eſſe debet. Quænam vero ad hoc requirantur, ut voluntas efficiatur bona & indies magis magisque perficiatur, ut corrupta emendetur atque corruptio, quantum fieri poteſt, præcaveatur, quo etiam pertinet reductio appetitus ſenſitivi ad conſenſum cum rationali, ſub qua ſimul continetur regimen affectuum; abunde oſtendimus in parte ſecunda Ethicæ & haud pauca eodem ſpectantia tradidimus in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis.

§. 145.

De cura animæ a dilectione ſui non ſejungenda.

Qui ſeipſum diligit, curam animæ habere debet. Qui enim ſe diligit, omni ſtudio id agere debet, ut ſit felix, ſibique cavere, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui felix eſſe vult, curam animæ ſemper habere, nunquam abjicere debet (§. 142.). Quamobrem qui ſeipſum diligit, curam animæ habere debet.

Fieri non poteſt; ut homo ſeipſum diligat, niſi curam animæ habeat. Facile autem intelligitur, ad dilectionem ſui requiri, ut curam pro anima recte geramus, conſequenter voluntas & noluntas perficiatur (§. 144.). Dilectio ſui veluti mater eſt curæ animæ, modo quis didicerit, quid ſit dilectio ſui: id quod ſufficienter explicavimus in capite præcedente.

§. 146.

Quod curæ animæ a dilectione ſui inſeparabilis ſit.

Qui curam animæ non habet, ſeipſum non diligit. Etenim qui felix eſſe vult, curam animæ ſemper habere, nunquam abjicere debet (§. 142.), conſequenter ſi eandem abjicit, omni ſtudio id minime agit, ut ſit felix, nec ſibi ſufficienter cavet, ne fiat infelix. Quamobrem cum ſe non diligat, qui non omni ſtudio id agit, ut ſit felix, ſibique cavet, ne fiat infelix (§. 606. *part. 1. Jur. nat*); qui curam animæ non habet, ſeipſum quoque non diligit.

Neglectus igitur curæ animæ ſignum eſt deficientis dilectionis ſui. Quamobrem cum negari non poſſit, plerosque homines curam animæ nullam habere; fatendum omnino eſt, paucos etiam ſeipſos diligere. Defectus curæ animæ redundat in dilectionem ſui. Quamvis enim agnoſcas, quænam ad dilectionem ſui requirantur, tibique propoſitum ſit ea facere, quæ dilectio ſui exigit; niſi tamen accedat cura animæ, & nunquam ſeponatur, propoſitum erit inefficax. Quamvis diximus, dilectionem ſui eſſe veluti matrem curæ animæ

(*not.*

(*not.* §. 145.); quis tamen eſt qui neſciat non ſufficere, ut proles naſcatur, ſed neceſſarium quoque eſſe, ut educetur. Quodſi intelligas, quomodo te diligere debeas, vides equidem curam animæ ad dilectionem ſui requiri; non tamen propterea ad actiones ſingulas eam attentionem affers, easdemque ita expendis, quemadmodum facit, qui indefeſſam animæ curam gerit (§. 140.), atque ita ſtudium iſtud langveſcit, tandemque prorſus extingvitur, in quo dilectio ſui conſiſtit (§. 606. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 147.

Cura animæ exigit, ut homo actiones ſuas omnes dirigat ad gloriam Dei Cura enim animæ confertur in perfectionem animæ accidentalem (§. 134.). Quamobrem cum hæc conſiſtat in aptitudine manifeſtandi gloriam Dei (§. 917. 912. *part. 1. Theol. nat.*); cura animæ exigit, ut homo ſtudeat ſeſe aptum efficere ad gloriam Dei manifeſtandam. Enimvero homo per determinationem actionum liberarum gloriam divinam non aliter manifeſtare poteſt, quam ſi motiva earundem ſint attributa divina (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*). Cura igitur animæ exigit, ut homo actiones ſuas determinet per motiva ab attributis divinis deſumta, conſequenter cum ſic verbis & factis teſtetur ſe perfectionem Dei ſummam agnoſcere, easdem ad gloriam Dei dirigere ſtudeat (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*).

Directio actionum ad gloriam Dei requiſita ad curam animæ.

Ad hanc actionum humanarum ad gloriam Dei directionem faciunt non modo ea, quæ de pietate, verum etiam cetera omnia huc ſpectant, quæ de officiis hominis erga Deum reliquis demonſtravimus in parte tertia Ethicæ. Oſtendemus vero etiam in ſequentibus, quomodo in ſpecie hæ, vel iſtæ actiones ad gloriam Dei dirigantur, ut ipſum colamus in omnibus actionibus, quemadmodum lege naturali præcipitur

(§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hinc patet, quo tandem tendat cura animæ.

§. 148.

Quid cura animæ intendi debeat.

Quoniam cura animæ exigit, ut homo actiones ſuas omnes dirigat ad gloriam Dei (§. 147.), homo autem a Deo conditus eſt, ut gloriam ſuam promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*); *cura animæ exigit, ut finem conſequi ſtudeamus, ob quem creati ſumus, ſicque cives mundi dignos nos præſtemus.*

Vide, quæ de hac re uberius expoſuimus, cum de pietate ageremus (*not.* §. 116. *part. 3. Eth.*). Quemadmodum boni civis officium negligit, qui actiones ſuas non ita dirigit, ut ad conſequendum finem civitatis pro virili conferat, quod ab ipſo conferri poteſt, nec civis nomen meretur, indignus qui in civitate vivit atque bonis fruitur, qui ex ſocietate civili in membrum quodcunque redundant (§. 9. *part. 8. Jur. nat.*); ita quoque homo non meretur nomen civis mundi, qui actiones ſuas non dirigit ad gloriam Dei, finem non ſolum, ob quem ipſe creatus eſt (§. 115. *part. 3. Eth.*), ſed & finem totius mundi, quem Deus per ejus creationem intendit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*), indignus, qui in mundo vivit atque iis bonis fruitur, quibus Deus pro bonitate ſua indies cives mundi cumulat (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*). Sane creaturæ omnes ſunt ſpecula perfectionum divinarum (§. 785. *part. 1. Theol. nat.*), eas repræſentantes, quatenus per determinationes ipſis intrinſecas nobis manifeſtantur (§. 784. *part. 1. Theol. nat.*), & propterea dignæ, ut locum obtinuerint in hoc mundo, quem Deus manifeſtandarum perfectionum ſuarum cauſa produxit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*). Hominem itaque maxime dedecet (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*), niſi quoque qua liberum agens perfectionum divinarum ſpeculum fieri velit, cum & ipſe propter determinationes eſſentiales locum in hac ſerie rerum obtinuerit, & civis mundi factus

ctus ſit, ut facultatum ipſi conceſſarum uſu legitimo Deum ex creaturis cereris & ſeipſo agnoſcens (§. 1131. 1135. *part. 1. Jur. nat.*) actionum liberarum directione perfectiones Dei manifeſtet (§. 115. *part. 3. Eth.* & §. 919. *part. 1. Theol. nat.*). Pudeat igitur hominem, quod, cum creaturæ omnes optime locum ſuum in hoc univerſo tueantur, ipſe adeo degener ſit ad tuendum locum, quem per eſſentiam & naturam ſuam in mundo obtinuit. Puto ex hisce ſatis conſtare, quænam præcipua pars ſit illius curæ, quæ pro anima habenda, quamvis vulgo non agnoſcatur, ſaltem non ſatis diſtincte. Nec minus patet, quam parum intelligant quid ſit homo & quænam ipſi perſona impoſita ſit, qui atheiſmo repræſentationem Dei tollunt, & materialiſmo illi juncto perfectionem hominis accidentalem deſtruunt, hominem convertentes in machinam maxime abſurdam, utpote motibus ſibi invicem contrariis obnoxiam.

§. 149.

Quia cura animæ exigit, ut finem conſequi ſtudeamus, ob quem creati ſumus (§. 148.), qui cum fine totius univerſi idem eſt (§. 115. *part. 3. Eth.* & §. 629. *part. 1. Theol. nat.*); *qui curam pro anima gerere vult, ſollicitus eſſe debet, ut Deo ſerviat* (§. 195. *part. 3. Eth.*).

De ſollicitudine ſerviendi Deo.

Servus domino ſervit, quando præſtat operas domino utiles (§. 1080. 1107. *part. 7. Jur. nat.*). Homo ſervus Dei eſt (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*), aſt cum Deus ſit ſibimet ipſi ſufficientiſſimus (§. 428. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque nulla prorſus re extra ſe quomodocunque indigeat (§. 427. *part. 1. Theol. nat.*); operas Deo utiles nullas præſtare poteſt: quoniam tamen vult, ut actiones ſuas dirigat ad finem totius univerſi (§. 918. 629. *part. 1. Theol. nat.*), operæ Deo quaſi utiles in directione actionum ad finem univerſi conſiſtunt. Atque ita ſervit Deo, quando actiones ſuas ad finem totius univerſi, gloriæ nimirum divinæ manifeſtationem

tionem dirigit, conſequenter eam pro anima gerit curam, ut ſit apta ad gloriam Dei promovendam. De hac actionum directione plura diximus, cum de pietate ageremus (§. 118. *& ſeqq. part. 3. Eth.*). Quodſi ea probe perpendamus, tanto luculentius conſtabit, quomodo Deo domino noſtro tanquam ſervi operas quaſi utiles præſtemus. Nimirum dum actiones ad finem totius univerſi dirigimus, qui eſt gloriæ divinæ manifeſtatio (§. 608. *part. 1. Theol. nat.*), eo ipſo easdem dirigimus ad perfectionem totius univerſi (§. 673. *part. 1. Theol. nat.*), quemadmodum Deus vult ut faciamus (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), ſicque homo confert, quod Deus vult, ad perfectionem operis ipſius. Non eſt quod objicias, quaſi Deum dedeceat, ut perfectio operis ſui dependeat a facto hominum, quaſi ipſe eidem omnem perfectionem dare non potuiſſet: perperam enim mundus fingitur ad ſimilitudinem operis arte humana facti, quod manum emendatricem ab alio artifice expectat. Cum enim finis mundi, ob quem is a Deo conditus fuit, talem ſeriem rerum requirat, in qua homines rationis uſu pollentes & libera voluntate gaudentes exiſtunt; fini intento conveniens fuit, ut quidem vellet hominem actiones liberas ſuas dirigere ad finem totius univerſi, permittere tamen debuit, ut libertate abuſus dirigeret aliter, præſertim cum hoc minime obſtaret, quo minus finem a ſe intentum ex aſſe conſequeretur. Legenda ſaltem ſunt, quæ de permiſſione mali prolixe admodum demonſtrata & uberius explicata ſunt in parte prima Theologiæ naturalis, ut dubium hoc, ſi quod eſt, evaneſcat.

§. 150.

Quod cura animæ eo tendat, ut Deo vivamus.

Quoniam cura animæ exigit, ut actiones omnes ad gloriam Dei referamus (§. 147.), atque ſolliciti ſimus, ut eidem ſerviamus (§. 149.); *Qui curam pro anima gerit, non ibi, ſed Deo ſe vivere, conſtanter meminiſſe debet, quicquid agat, omnisque animæ cura eo tendit, ut Deo vivamus.*

Pleri-

Plerique homines putant, ſe ſibi vivere, ſaltem ita actiones ſuas componunt, quaſi ſibi vivendum eſſet, quamvis vulgo dicatur: omnia facta eſſe propter hominem, hominem vero propter Deum. Quoniam vero homo vivere debet Deo, ideo quoque ſuperius oſtendimus, hominem ſeipſum diligere debere propter Deum, ex hoc ipſo, quod actiones ſuas dirigere debeat ad finem totius univerſi, ob quem ipſe quoque conditus fuit (§. 53.), unde in præſenti colligimus, quod vivere Deo debeat, non ſibi. Quodſi ergo nos diligamus propter Deum, curæ pro anima ineſt ſollicitudo, ne nobis, ſed Deo vivamus.

§. 151.

Similiter quia cura animæ exigit, ut actiones omnes ad gloriam Dei referamus (§. 147.), conſequenter eas per motiva ab attributis divinis deſumta determinemus (§. 919. *part. 1. Theol. nat.*), pius autem eſt, qui actiones ſuas per motiva ab attributis divinis deſumta determinat (§. 339. *part. 1. Phil. practic. univ.*); *Qui curam animæ habet, maxime ſollicitus eſt, ne in ſtudio pietatis diligentiam ſuam deſiderari patiatur.* *Sollicitudo de pietate cum cura animæ conjuncta.*

Qui omnia probe perpendit, quæ in ſuperioribus de pietate demonſtravimus, ultro concedet, curæ pro anima maximam partem eſſe in pietatem conferendam, inprimis cum pietas non modo ſtudium omnis virtutis facilitet, verum etiam virtutem quamlibet ad gradum ſublimiorem evehat (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 152.

Qui curam animæ habet, ſollicitus eſt, ut perſonam ſibi impoſitam recte gerat. Qui enim curam animæ habet, ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocunque promovendam facit (§. 138.). *De perſona ſibi impoſita recte gerenda.*

Digitized by Google

Perfectio animæ acquiſita cum conſiſtat in virtutibus intellectualibus & moralibus (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter in habitibus intellectus & voluntatis atque noluntatis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), ad determinationem actionum noſtrarum juxta legem naturæ neceſſariis (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), operam vero dare debemus, ut eam perſonam recte geramus, quam Deus nobis impoſuit (§. 426. *part. 3. Eth.*); habitus recte gerendi perſonam ad perfectionem animæ pertinet. Quamobrem qui curam animæ habet, ſollicitus eſt, ut perſonam ſibi impoſitam recte gerat.

Qui novit, quid ſit recte gerere perſonam ſibi impoſitam, rectam perſonæ ſuæ geſtionem curam animæ omnem complecti animadvertet, modo intelligat, quænam perſona ſibi impoſita ſit. Homo es, cumque per ipſam eſſentiam & naturam tuam in te cadant obligatio naturalis (§. 146. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & cum ea ſimul jura connata (§. 27. *part. 1. Jur. nat.*), perſona autem moralis eſt ſubjectum certarum obligationum atque jurium, quemadmodum idem de homine morali, qui perſonæ moralis certa quædam ſpecies eſt, uberius explicavimus (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*); qua homini tibi jam impoſita eſt certa perſona, quam gerere debes, nimirum ut vivas vitam homine dignam. Conſtat porro te eſſe creaturam Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), mundi civem (*not.* §. 116. *part. 3. Eth.*) atque ſervum Dei (§. 968. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque una cum creaturis ceteris agere debere propter finem eundem ultimum a Deo per creationem mundi intentum (§. 977. 629. *part. 1. Theol. nat.*), Deoque ſervire (§. 195. *part. 3. Eth.* & §. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem quoque tibi per creationem impoſita eſt perſona civis mundi & ſervi Dei, quam gerere debes, nimirum ut civem mundi dignum ſervumque Dei fidelem te præſtes. Vivis in ſocietate civili, vivis forſan in conjugali, paterna, aut herili, aut in domo: tibi igitur impoſita eſt perſona civis, forſan

ſan etiam conjugis, patris aut filii, heri aut ſervi, patrisfamiliàs aut domeſtici, aut in ſocietate quacunque alia perſona ſocii. Sequeris certum vitæ genus, pro quo etiam tibi impoſita eſt certa perſona vi obligationum, quas iſtud vitæ genus poſtulat, ac inde naſcentium jurium. Cura animæ cum exigat ſollicitudinem, ne qua ex parte deſis obligationi tuæ, neve jure tuo abutaris; quam late pateat cura pro geſtione perſonæ tibi impoſitæ facile intelligitur, ſit ita quod vulgo reſtringatur ad eum ſtatum, qui providentia divina nobis obtigit, ſeu ad id vitæ genus, quod ſequimur. Vulgus enim, cujus ingenium non ſatis acutum eſt, nec ſufficiens ad omnia attentio, ſine qua illius nullus eſt uſus, non perſpicit omnem notionum univerſalium amplitudinem, quas reſtringit, quamvis multo latius pateant.

§. 153.

Quoniam qui curam animæ habet, ſollicitus eſſe debet, ut perſonam ſibi impoſitam recte gerat (§. 152.); *Qui ſonæ multicuram pro anima gerere vult, probe cognoſcere debet, quænam ſibi plicis nobis perſonæ impoſitæ ſint, atque id ſemper menti ejus obverſari debet.* *impoſitæ ad*

Quomodo cognoſcere queamus, quænam perſonæ nobis impoſitæ ſint, ex iis intelligi poteſt, quæ modo ad propoſi- *curam animæ neceſſa-*
tionem præcedentem annotavimus. Quodſi vero curam pro *ria.*
anima recte gerere velimus, actiones ſingulas, quarum committendarum, vel omittendarum occaſio offertur, referre tenemur ad eam perſonam, quam reſpicit. Contingit haud raro, ut una eademque actio referri poſſit ad perſonas morales diverſas, & dum ſollicite inquirere adſuetus es, quemnam reſpectum habeat ad perſonam, quæ tibi gerenda, non minus contingit, ut circumſtantiæ præſentes in mentem tibi revocent perſonam, quam quod gerere debeas alias non cogitaſſes. Multum autem utilitatis habet hæc disquiſitio, ut operæ non pœniteat, quam eidem impendimus. Certe a perſona, quam gerere debemus, deſumuntur motiva, quæ

Digitized by Google

non ſolum cetera, quibus accedunt, fortiora faciunt, verum etiam pro circumſtantiis datis efficacia ſunt, quando cetera non ſunt. Reddit quoque disquiſitio iſta nos in agendo magis circumſpectos, ut nobis rectius a culpa caveamus alias facile committenda. Tenendum præterea eſt dari etiam perſonarum moralium in eodem individuo phyſico concurrentium nexum, ut unam recte gerere nequeas, niſi ſimul recte geras alteram. Unde disquiſitione illa inſuper habita in geſtionem perſonæ unius tacite irrepit vitium, quod de altera non cogitaveris. Pertinent talia ad latebras in animis hominum (§. 72. *part. 1. Eth.*), quæ magnum in praxi morali momentum habent, & quarum theoria foret nimis diffuſa, & adhuc in deſideratis eſt. Defectum tamen ſupplet aliorum, quæ in praxi morali hinc inde commendantur, obſervatio, quæ ad eorum cognitionem in caſibus obviis ducit, quamvis eam non intendas, magna arte multaque ſcientia obtinendam, ſi deſtinato comparanda, non ex occaſione ſumenda. Parum ſibi conſulit, qui ex occaſione ſumenda negligit, nec experientia uti vult magiſtra, cujus & rationis perpetuum eſſe debet connubium. Talia non negligerentur, ſi curam animæ haberemus, quemadmodum debemus, & hoc pacto in cura pro anima indies magis magisque proficeremus, ſicque eam perfectionem conſequeremur, quam natura nobis non denegavit. Imminuerentur quoque querelæ de imbecillitate intellectus & infirmitate humana, quam non naturæ imputare, ſed culpæ noſtræ tribuere debebamus, niſi in ipſum Deum naturæ autorem injurii eſſe velimus.

§. 154.

De notitia ſui ad curam animæ requiſita.

Qui curam animæ habere vult, ſeipſum noſcat neceſſe eſt. Qui enim curam animæ habere vult, ſollicitus eſſe debet, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem animæ quomodocunque promovendam facit (§. 138.). Quamobrem noſſe debet, quantum in bono profecerit, quantum adhuc

huc deficiat. Noſſe vero etiam debet, quænam perſona ſibi impoſita ſit (§. 153.). Enimvero notitia ſui hominem docet, quantum in bono profecerit, quantum adhuc deficiat (§. 22.), atque ad eum inprimis requiritur ut cognoſcamus modum perſonam nobis impoſitam recte gerendi (§. 17.) & ſedulo inquiramus, an nobis plura in poteſtate ſint, quam aliis (§. 20.). Qui ergo curam animæ habere vult, ſeipſum noſcat neceſſe eſt.

Studium noſcendi ſeipſum cum cura animæ copulandum, ne hæc deficiat a rectitudine ſua, nec arctius pateat, quam debet, nec inutiliter latius extendatur, ut fiat inanis. Quod hæc omnia expectanda ſint a notitia ſui, nullus dubitabit, qui ea cognita & perſpecta habet, quæ de notitia ſui in capite primo demonſtravimus. Notitia igitur ſui curam pro anima gerendam plurimum perficit & hæc cum illa incrementa capit. Datur vero etiam mutuus quidam notitiæ ſui atque curæ pro anima influxus. Cura animæ incitat hominem ad noſcendum ſeipſum, & ubi cognoſcit, quænam adhuc ſibi deſunt, in id acquirendum curam ſuam convertit, ſi qua in re a rectitudine adhuc deficiunt actiones, vel ſi quibusdam adhuc vitiis ſe laborare deprehendit, aut ſi qua in poteſtate ſua non eſſe cognoſcit, illarum defectum ſupplere, ea emendare ſtudet, horum vero curam abjicit, nec inani animum fatigat. Quo quis magis proficit in notitia ſui, qui curam pro anima habere cœpit, eo magis quoque proficit in cura, quam pro anima habet.

§. 155.

Qui curam pro anima habet, tam ex alieno caſu, quam ex proprio ſapere conatur. Qui enim curam pro anima habet, ſollicitus eſt, ne quicquam eorum prætermittat, quod ad perfectionem ſuam promovendam quomodocunque facere poteſt

De ſtudio ſapiendi ex caſu proprio & alieno.

quod [illegible] and [illegible] appellatum esset, [illegible] and [illegible] [illegible] [illegible]

ctionis gradum pervenerint alii, qui ad eundem adſpirat, nihil intentatum relinquit, quod ad eundem ducere videtur, &, ubi cognoſcit, quomodo alius ad iſtum perfectionis gradum pervenerit, idem iter ingreditur. Quoniam itaque alterum imitatur, qui eandem perfectionem acquirere ſtudet, quam acquiſivit alius, aut eadem via ad eandem contendit, qua alius eandem conſecutus (§. 204. *part. 2. Phil. Pract. univ.*); qui curam pro anima habet, præclara exempla ſibi imitanda proponit.

Qui curam pro anima habet, perfectionem ſuam ſerio intendit. Omnia igitur media ambabus amplectitur manibus, quam primum ipſi innoteſcunt. Quantum valeat præclarorum exemplorum imitatio in quolibet perfectionis acquirendæ genere, experientia docet abunde, & ratio patet per ea, quæ in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis de efficacia exemplorum fuſius demonſtravimus. Cum cura animæ tendat in quamlibet perfectionem animæ, quæ a nobis acquirenda; me vel tacente patet, diverſas perfectiones, aut, ſi mavis, virtutes ſive intellectuales, ſive morales, diverſa quoque requirere exempla, quoniam non facile reperitur homo, qui omnibus æque excellit, ut in hoc, vel iſto genere non detur alius, qui ipſo ſit ſuperior. Conſulto igitur dixi, curam pro anima gerentem præclara ſibi proponere exempla, quæ imitetur, quamvis nec utilitate ſua deſtituatur, ſi plura ſimul in eodem genere proponantur. Quemadmodum vero in omni caſu alio curandum, ut rationalis ſit imitatio, ita idem in præſenti quoque obſervandum: imitatio enim cœca a cura animæ abducit, dum eidem incumbere tibi videris.

§. 157.

Qui virtutem amat, curam pro anima gerit. Et ex adverſo *qui curam pro anima gerit, virtutem amat.* Cum enim amor virtu- *De nexu amoris virtu-*

virtu-

tis & curæ animæ.

virtutis pertineat ad amorem rerum inanimatarum, quod per ſe patet, amor vero rerum inanimatarum tendat ad eas conſervandas &, ſi perfici poſſit, perficiendas (§. 294. *part. 2. Eth.*); qui virtutem amat, virtutem, quam poſſidet, conſervare atque perficere, conſequenter etiam nondum acquiſitam acquirere ſtudet. Enimvero cura animæ ſtudium virtutis conſervat & virtuti voluntatis conſtantiam atque perpetuitatem conciliat (§. 141.). Quamobrem qui virtutem amat, curam pro anima gerit. *Quod erat unum.*

Quodſi quis curam pro anima gerit, in perfectione animæ promovenda, conſequenter virtutibus omnibus acquirendis & perficiendis (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), omnem diligentiam adhibet (§. 139.), ideoque appetitus ejus in virtutem fertur. Quamobrem cum nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*); quin voluptatem ex virtute percipiat dubitandum non eſt. Enimvero virtutem amat, cujus animus diſpoſitus eſt ad voluptatem ex ea percipiendam (§. 657. *Pſych. empir.*). Curam ergo pro anima qui gerit, virtutem amat. *Quod erat alterum.*

Quod virtutem amet, qui curam pro anima gerit, facile quivis concedet, cum omnis cura animæ eo tendat, ut in virtute continuo proficiamus. Aſt forſan nonnulli adhuc ſubdubitabunt, utrum cum amore virtutis indivulſo nexu cohæreat geſtio curæ pro anima, nec ne. Sunt enim haud pauci, quibus virtus placet, non tamen propterea eidem ſtudent. Laudant eam in aliis, haud quaquam tamen curæ habent, ut ipſimet eandem conſequantur. Inde omnino eſt, quod vulgo dicatur: Virtus laudatur & alget. Enimvero ſi cui ſcrupulus hic injectus eſt, facile eximitur. Nimirum non quævis voluptas, quæ ex virtute percipitur, ad amorem ejus ſufficit, cum affectus jucundi exigant voluptatis gradum magnum

Digitized by Google

gnum (§. 608. *Pſych. empir.*). Neque voluptas illa tranſitoria eſſe debet, ut cum ea ſtatim evaneſcat amor. Neque adeſſe debent, quæ animum in contrarium agunt & amori virtutis efficaciam detrahunt, ut virtutem probans, eam tamen non ſequatur, ſed potius vitia eidem adverſa. Quodſi amor ſupponatur ſincerus, ut appetitus in virtutem trahatur, nec ulla adſint impedimenta, quæ reſiſtunt; nulla ſane ratio eſt, cur cura animæ ab amore virtutis abeſſe debeat, nec eo feramur, quo amor virtutis tendit. Quando amori virtutis jungitur cura pro anima; amor virtutis ipſe ſpectatur, qualis eſt, & ſupponitur amanti conſtare, quid conferat cura pro anima gerenda ad id obtinendum, ad quod tendit amor. Qui vero vult finem, niſi ſibimetipſi contrarius ſit, vult etiam media ad finem ducentia (§. 941. *Ontol.*). Niſi hæc obſerventur, in moralibus tollitur omnis certitudo. Neque vero hoc ullam difficultatem facit in praxi morali. Quando enim non ſequi videtur experientiam conſulentibus, quod ex ſumto colligitur, inquirendum eſt in cauſas præſentes, quæ obſtant, quo minus ſequatur. Et ne ratio & experientia ſibi mutuo contrariari videantur; fac ut fias compos ejus, quod ſumitur, veluti in præſenti amoris virtutis, & in reipſo experieris, ex eo ſequi, quod inde infertur, veluti in præſenti, te curam quoque pro anima geſturum. Neque etiam hoc negligendum eſt, ut perpendatur, num virtutem amemus reſpectu noſtri, an ſaltem reſpectu aliorum. Sunt omnino, qui virtutem amant in aliis, non una de cauſa, non vero eandem in ſe amant. Quando vero hic de amore virtutis ſermo eſt, eam amamus, quatenus vel in nobis eſt, vel ſaltem reſpectu noſtri conſideratur & tanquam acquiſitu poſſibilis ſpectatur. Quæ enim poteſtati noſtræ ſubjecta non eſſe, ſed extra eam poſita intelliguntur; de iis quoque acquirendis minime cogitamus.

§. 158.

Qui curam pro anima gerit, ſummum bonum conſequi ſtudet: & De nexu

& ſtudii ſummum bonum conſequendi.

ex adverſo *qui ſummum bonum conſequi ſtudet, curam pro anima gerit.* Qui enim curam pro anima gerit, omnem diligentiam in promovenda perfectione animæ adhibet (§. 139.), conſequenter nihil eorum prætermittit, quod facere poteſt, ut ad majores continuo perfectiones progrediatur (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in non impedito progreſſu ad majores continuo perfectiones ſummum bonum conſiſtat (§. 374. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui curam pro anima gerit, ſummum bonum conſequi ſtudet. *Quod erat unum.*

Et adverſo qui ſummum bonum conſequi ſtudet, is omnem dat operam, ut continuo ad majores perfectiones progrediatur (§. 374. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter curam omnem, quantum in poteſtate ipſius eſt, in perfectionem ſui confert. Quoniam itaque cura, quæ in perfectionem animæ confertur, cura animæ eſt (§. 134.); qui ſummum bonum conſequi ſtudet, curam pro anima gerit. *Quod erat alterum.*

Nemo eſt qui neſciat, quam diverſæ fuerint philoſophorum de ſummo bono opiniones, & quanta animorum contentione de eodem agitatæ fuerint controverſiæ, quodque a felicitate non fuerit diſtinctum. Nos vero terminum hic ſuminus in eo ſignificatu, quem ipſi tribuimus in Philoſophia practica univerſali. Quodſi ergo quis vocabulum in alio ſignificatu ſumat, is ſibi caveat, ne de veritate propoſitionis præſentis ex notione ſibi familiari ſtatuat, nonniſi ex ea, quam nos habemus, dijudicanda.

§. 159.

Modus conſequendi

Quoniam qui curam pro anima gerit, ſummum bonum conſequi ſtudet (§. 158.); *Quæ de modo conſequendi ſummum bonum*

bonum demonſtravimus integro capite in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis, *ad gerendam pro anima curam quoque faciunt.*

ſummum bonum ad curam animæ pertinet.

Qui ſummum bonum conſequi vult, in omnibus ſuis actionibus perfectionem ſui aliorumque intendere debet (§. 214. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Aptitudo autem perfectionem aliorum promovendi, perinde ac aptitudo perficiendi corpus & ſtatum externum noſtrum animæ perfectio eſt, ſine qua actus externi non ſunt poſſibiles. Anima curam gerit pro corpore, pro ſtatu externo, pro aliorum perfectione. Quæ igitur demonſtrantur de modo conſequendi ſummum bonum, habent ſe per modum medii perfectionem animæ conſequendi. Cura animæ confertur in perfectionem ejus (§. 134.). Eam igitur qui habere vult, adhibere debet media ſeſe indies magis magisque perficiendi atque impedimenta, quæ offeruntur, removendi. Quamobrem cura animæ conſiſtit in ſollicitudine ea obſervandi, quæ ad ſummum bonum conſequendum neceſſaria ſunt (§. 138.). Et quoniam omnia, quæ de virtutibus in ſpecie traduntur, non aliter ſpectanda ſunt, quam regulæ, quibus modus animam perficiendi continetur (§. 548. *part.* 1. *Jur. nat.*); ad curam pro anima gerendam pertinet ſollicita obſervatio eorum, quæ de praxi morali in Ethica in univerſum demonſtrantur. In Ethica nimirum non aliud nobis propoſitum eſt, quam ut oſtendatur, quomodo cura pro anima ſit habenda. Ut curam pro anima geras, non ſufficit, ut eam gerere velis, ſed noſſe quoque debes, quænam ſit illa perfectio, ad quam adſpirandum, & quænam facienda, quænam non facienda, ut ejus compos fias. Prius ex Jure naturæ, poſterius ex Ethica diſcendum. Curæ autem animæ relictum eſt, ut ad id, quod Jus naturæ nos docet, adſpiremus, & quod Ethica inculcat, circumſpecte ac ſedulo in uſum noſtrum convertamus. Atque ita videmus, quomodo omnia inter ſe cohæreant, nec diverſa confunduntur, nec acute diſcreta præter neceſſitatem

distingvi putantur, quasi eadem sub diversis nominibus inculcentur. Conveniunt quæ diximus naturæ animæ: id quod facile perspicitur, si ad dependentiam usus facultatum a se invicem attentio sufficiens afferatur.

§. 160.

De cura animæ ad vitam perfectam requisita.

Sine cura animæ ad vitam perfectam adspirare non licet. Quo magis enim actiones nostras legi naturæ conformamus, eo propius ad vitam perfectam accedimus (§. 18. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quo magis vero actiones nostræ legi naturæ difformes sunt, eo majori imperfectioni vita nostra obnoxia est (§. 20. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui vitam perfectam vivere vult, eam ad actiones suas afferre debet attentionem atque circumspectionem, ut certus sit, se ne latum quidem ungvem a lege naturæ recedere. Quoniam itaque hæc attentio & circumspectio ea est, quam cura animæ exigit (§. 140.); sine cura animæ ad vitam perfectam adspirare non licet.

Vita moralis est complexus actionum liberarum, quæ a nobis eduntur (§. 7. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & perfectio ejus consistit in consensu actionum liberarum omnium inter se & cum naturalibus (§. 9. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ut vita hominis perfecta sit, vix sperandum: suos enim quilibet patitur manes. Nimis multa sunt, quæ huic perfectioni obstant, neque omnium remotio a potestate nostra dependet. De eo minime dubitabit, qui vel ad solam educationem animum attendit, ut alia taceamus, quorum disquisitio nos nimis longe a scopo nostro abduceret. Ad eam tamen adspirare debemus, & ne quicquam a nobis prætermittatur, quod a nobis fieri poterat; cura animæ opus est, cui omnino facem præferunt, quæ de vita perfecta demonstravimus (§. 9. *& seqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Ut talia moneamus, plurimum refert, ut constet, quemnam facere debeamus eorum

eorum uſum, quæ alibi demonſtrata ſunt, ſicque pateat, quomodo curam animæ actu gerere debeamus, ne in voluntate inefficaci ſubſiſtamus, neve minus recte eam gerendo nobis imponamus.

§. 161.

Qui curam pro anima gerit, perfectionem ſuam aliorumque ita intendit, ut, ſi præterea nihil intenderet, propter eam ſolam ageret; ſi quid præterea intendit, id nonniſi juxta eandem intendit, nec præterea quicquam intendit, niſi quod cum eadem conſiſtere poteſt, nec aliter, niſi quatenus cum eadem conſiſtit. Cura enim pro anima ea eſt, quæ in perfectionem animæ confertur (§. 134.), ad quam quod ſpectet aptitudo perfectionem corporis ſui atque ſtatus ſui, itidemque perfectionem aliorum promovendi, extra omne dubium eſt §. 548. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero perfectionem noſtram aliorumque in omnibus actionibus noſtris ita intendere debemus, ut, ſi præterea nihil intenderemus, propter eam ſolam ageremus, &, ſi quid præterea intendimus, nonniſi juxta eandem intendere debemus, nec præterea quicquam intendere licet, niſi quod cum eadem conſiſtere poteſt, nec aliter, niſi quatenus cum eadem conſiſtit (§. 38. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui curam pro anima gerit, perfectionem ſuam aliorumque ita intendit, ut, ſi præterea nihil intenderet, præter eam ſolam ageret, ſi quid vero præterea intendit, id nonniſi juxta eandem intendit, nec præterea quicquam intendit, niſi quod cum eadem conſiſtere poteſt, nec aliter intendit, niſi quatenus cum eadem conſiſtit.

Qualis ſit intentio cura animæ gerentis.

Plurimum valet in moralibus intentio, quæ niſi recte ſe habeat, actionem alias in ſe bonam vitiat. Quamobrem ſi cura animæ recte ſeſe habere debeat, recta quoque ad eandem requiritur intentio. Rectitudo intentionis æſtimanda eſt

ex fine, qui intenditur (§. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*): finem autem præſcribit lex naturæ, in ſe indiſpenſabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & hac ipſa lege ſatis cavetur, ne intentio labem contrahat, quatenus ejus directioni ſubducitur.

§. 162.

Quænam de iſta intentione obſervanda.

Quoniam cura animæ exigit, ut in omnibus actionibus noſtris perfectionem noſtram ita intendamus, ut propter eam ſolam ageremus, etiamſi nihil præterea intenderemus, &, ſi quid præterea intendimus, id nonniſi juxta eandem intendamus, ideoque ſolum non intenderemus, & ut id ipſum cum eo, quod primario intendimus, conſiſtere poſſit, nec aliter intendamus, niſi quatenus cum eo conſiſtere poteſt (§. 161.); *Quicquid curam pro anima gerens intendit, vel eſt perfectio quædam animæ, aut ſeſe habet per modum medii ad perfectionem conſequendam, aut conſervandam, aut etiam ulterius promovendam, vel eſt neceſſarium conſequens perfectionis, vel denique eandem comitatur.*

Ita ſi virtuti cuidam operam navamus, perfectionem animæ per ſe intendimus, eandemque primario, ut operam ipſi acquirendæ impendamus, etiamſi præterea nihil aliud intendamus, quam ut eadem gaudeamus. Si ſtudio Juris naturæ intendimus ſcientiam boni & mali, ea ſeſe habet ad perfectionem voluntatis & noluntatis per modum medii. Si felicitatem intendimus, ea ſpectatur tanquam neceſſarium conſequens perfectionis animæ. Si capiendo cibum juxta ſanitatem intendimus ſaporis grati perceptionem, hic conſideratur tanquam comes perfectionis primario intentæ. Ne intentio ulla parte deficiat, finium requiritur ſubordinatio & coordinatio. Utraque patet per ea, ad quæ conſequenda aut conſervanda obligamur. Finium ſubordinatio & coordinatio ad ſapien-

Digitized by Google

ſapientiam ſpectat (§. 678. *Pſych. rat.*). Patet itaque, quomodo ſapientia in curam animæ influat.

§. 163.

Curam animæ negligunt, qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt. Etenim qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, ea faciunt, quæ facere vident alios, facta ſua aliorum exemplo tueri ſoliti. Quamobrem parum ſolliciti ſunt, num actiones ſuas dirigant ad perfectionem animæ, an minus. Quoniam itaque perfectio animæ ipſis curæ cordique non eſt, curam vero animæ negligit, qui curam nullam in perfectionem animæ confert (§. 134. *h.* & §. 750. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt, curam animæ negligunt. *De iis, qui ad ſimilitudinem aliorum vivunt.*

Pleraque pars hominum ad ſimilitudinem aliorum vivit. Quamobrem nec eſt, quod miremur, tam paucos eſſe, qui curam pro anima gerunt, præſertim cum hæc non ratio unica ſit, cur cura animæ abjiciatur, ſed dentur adhuc aliæ, de quibus mox dicetur. Diximus in ſuperioribus, qui curam pro anima habet, præclara exempla ſibi imitanda proponere debere (§. 156.), conſequenter curam animæ ad imitationem aliorum reduximus. Vivere autem ad ſimilitudinem aliorum eſt imitari alios (§. 204. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero plurimum differt, præclara exempla ſibi imitanda proponere & ad ſimilitudinem aliorum vivere. Illa imitatio rationalis eſt, ut alios non imitemur niſi in bono & aliorum exemplo juvetur cura pro anima gerenda; aſt hæc imitatio cæca eſt, ut alios tam in bono, quam in malo imitemur, prouti caſus tulerit, atque cura animæ omnis abjiciatur. Supponit illa imitatio agnitionem boni, quo alii excellunt, & ardorem in bono proficiendi; hæc vero omnem de bono cogitationem excludit, nec dependet niſi a voluptate, qua quis trahitur. Illa imitatio medium eſt curam pro anima diligentius

tius gerendi; hæc neglectum curæ gignit, quemadmodum per demonſtrationem patet.

§. 164.

Remedium. Quoniam curam animæ negligit, qui ad ſimilitudinem aliorum vivit (§. 163.), per ſe autem patet, neglectum non tolli, niſi ſublata voluntate ad ſimilitudinem aliorum vivendi, ut autem quis ad ſimilitudinem aliorum vivere nolit, neceſſe eſt ut agnoſcat periculum, cui ſe exponit, vel etiam damnum, quod actu incurrit, & ex adverſo utilitatem, quam præſtat cura animæ; *ſi quis ad ſimilitudinem aliorum vivit ad curam pro anima habenda adducendus, non modo convincendus, aut ad veritatem perſuadendus eſt, felicem eſſe non poſſe, qui curam animæ abjicit* (142.), *verum etiam ex circumſtantiis ſingularibus docendus, quantum ſibi noceat, quod hoc, vel illud faciat, quod facere videt alios.*

Qui ad ſimilitudinem aliorum vivere adſueverunt, craſſa adhuc ignorantia laborant veritatum moralium, aut vitiis imbuti ſunt, quæ aliorum mores ipſis commendant. Quamobrem non adeo facile eſt neglectui curæ pro anima medelam afferre. In priori caſu multa doceri debent, & haud raro præjudicatæ opiniones eradicandæ, ut rectius ſentire diſcant; in caſu poſteriori vitiis medendum, quæ curæ animæ obſtant. Quamobrem non ſufficit excitare voluntatem habendi curam animæ, ſublata conſuetudine vivendi ad aliorum ſimilitudinem; ſed & voluntas conſtans & perpetua efficienda. Conſultum igitur eſt, ut præcaveatur, ne ad ſimilitudinem aliorum vivere adſueſcamus, aut ut ad ſimilitudinem aliorum vivendi conſuetudinem ad imitationem rationalem revocemus, & rite emendatam ad bonum & licitum reſtringamus.

§. 165.

Digitized by Google

§. 165.

Curam animæ negligunt, qui non agnoſcunt peculiarem quandam curam pro anima eſſe habendam, aut eam prorſus ſuperfluam eſſe exiſtimant. Qui enim non agnoſcunt, peculiarem quandam curam pro anima habendam eſſe, de ea quoque non cogitant. Quamobrem cum incognitum non appetamus (§. 148. *part. 2. Eth.*), fieri quoque non poteſt, ut curam pro anima gerant, conſequenter nec ullam diligentiam in promovenda perfectione animæ adhibent, ſed eam in totum caſui permittunt, aut, ſi mavis, fortunæ poteſtati ſubjiciunt. Quoniam itaque curam animæ negligit, qui ea facere omittit, quæ ad promovendam perfectionem animæ facere debebat ac poterat (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 134. *h.*); qui non agnoſcunt peculiarem quandam curam pro anima eſſe habendam, curam animæ negligunt. *Quod erat unum.*

De iis, qui curam animæ habendam eſſe ignorant, aut pro ſuperflua habent.

Quodſi quis exiſtimet curam animæ prorſus ſuperfluam eſſe, nulla ſane ratio eſt, cur eam habere velit, conſequenter nec ullam in promovenda perfectione animæ diligentiam adhibet (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet igitur ut ante, quod curam animæ negligat, qui eam ſuperfluam eſſe exiſtimat. *Quod erat alterum.*

Maxima pars hominum eſt, qui non agnoſcunt peculiarem quandam curam pro anima habendam eſſe. Ignorantia hæc non ſolum tenet vulgus, verum etiam eruditos. Inde enim eſt, ut, dum in literis proficiunt, in moribus deficiant, & inconditis utantur moribus, perſonam ſuam ad infimæ plebis ſimilitudinem fingentes, immo ut ipſum ſtudium in literis proficiendi alatur vitiis, veluti faſtu & ambitione, aut lucri etiam cupidine, quæ in vitia alia, prouti fert occaſio, eos trahit. Quodſi agnoſcerent non minus operam navandam eſſe culturæ virtutis, quam ſtudiis literariis, atque pro

certo haberent, tantum unumquemque gloria excellere, quantum virtute (morali ſcilicet) præſtat, aut ſtudia litteraria ſine virtute neminem facere felicem (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nulli dubitamus fore, ut non minorem curam in virtutem, quam in ſtudia litteraria conferrent. Aſt manebunt eruditi perverſis moribus prædiți, a virtute infucata procul remoti, quamdiu curam animæ negligunt. Quamvis enim ponamus ipſum vitium, quod urget ſtudium litterarium, diſſuadere mores prorſus inconditos, quibus vulgus eruditorum inficitur, aut ipſum ſeculum moderatiores ſuadere, ut ad eos effingere ſtudeant ſuos; perſpicaciores tamen animadvertent labem, quam a vitio intus latente contrahunt. Immo ſubinde quoque continget, ut vitium, quod intus latet, prodant, quando caſus quidam emergens vires eidem largitur. Poteramus fidem facere dictis non uno exemplo: ſed noſtrum jam non eſt inquirere in vitia occulta eorum, qui laude alias ſua defraudandi non ſunt. Ex caſu alieno ſapimus, abſtrahendo a factis ea, quæ vitare debemus, perſonas vero, quorum ſunt facta, intactas relinquendo. Sed de eo mentem noſtram ſuo loco uberius declaraturi ſumus. Cur non deſint, qui ſibi perſuadent, quaſi cura pro anima habenda ſit ſuperflua, rationes complures ſunt, ſed quod facile patet per ea, quæ demonſtravimus, totæ conſiſtunt in opinionibus falſis. Nobis ſufficit, experientia conſtare, quod dentur, qui curam pro anima habendam tanquam ſuperfluam abjiciunt, & ex circumſtantiis datis haud difficulter colligi rationes, cur ita ſentiant. Quamobrem non conſultum eſſe videtur, ut iis recenſendis jam immoremur.

§. 166.

Remedium. Quoniam curam animæ negligunt, qui non agnoſcunt peculiarem quandam curam pro anima eſſe habendam, aut eam prorſus ſuperfluam eſſe exiſtimant (§. 165.), illos autem ad ſaniorem mentem reducere non datur, niſi ipſis neceſſita-

ceſſitatem & utilitatem curæ pro anima habendæ perſuadeas, hosce vero, niſi rationes, quibus ſuperfluitatem defendunt, ſolide refutando erroris ſui convincas; *ſi ad curam pro anima habendam adducere velis eos, qui non agnoſcunt, peculiarem pro eadem curam eſſe habendam, ea inculcanda ſunt, quæ in anterioribus de hac cura demonſtravimus, in ſubſidium vocatis iis, quæ in demonſtrationibus ſupponuntur, quantum pro datis circumſtantiis opus fuerit; quodſi vero neglectui curæ pro anima medelam afferre velis, quando ſuperflua putatur, inquirendum eſt in rationes, ob quas ſuperflua putatur, dandaque opera, ut erroris ſui convincas eum, qui rationibus parum firmis nimium confidit.*

Facile patet, nos in utroque caſu ſupponere, quod, qui curam animæ negligit, non habeat animum a virtute alienum: alias enim non ignorantia, aut falſa opinio erit cauſa neglectus, quæ tollenda, ut tollatur morbus animi, cui medela offerenda. Fieri nimirum poteſt, ut in utroque caſu quis amet virtutem, immo ardore in ea proficiendi flagret, hoc tamen non obſtante curam animæ negligat. Ut, quæ facti ſunt, cognoſcamus, ſeduli tantummodo eſſe debemus eorum, quæ fiunt, ſpectatores.

§. 166.

De influxu atheiſmi in curam animæ.

Atheiſmus curam pro anima omnem non tollit: quodſi tamen ad eum accedat error de indifferentiſmo morali, aut epicuræiſmus, curam animæ in cautionem pœnarum civilium vertit. Quamvis enim atheus neget dari Deum (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), ex ipſius tamen hypotheſi non ſequitur, animam non eſſe liberam (§. 456. *part. 2. Theol. nat.*), nec dari in actionibus hominum liberis ullum boni atque mali diſcrimen (§. 500. *part. 2. Theol. nat.*). Quoniam itaque ſtante atheiſmo, niſi aliunde alius error accedat, admittere tenetur, dari legem naturæ (§. 245.

part. 1. Phil. pract. univ.), ideoque etiam virtutem (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ſine hac hominem poſſe eſſe felicem (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter id conſequi poſſe, in quod naturaliter propendet appetitus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), multo minus autem in dubium vocare poteſt, habitus acquiri aliter non poſſe niſi exercitio (§. 430. *Pſych. empir.*), nec conſervari ac perfici aliter, niſi continuo ejus uſu (§. 431. *Pſych. empir.*); atheus ſtante ſua hypotheſi, quamdiu alios errores eidem non admiſcet, concedere tenetur, omnem diligentiam in culturam virtutis, conſequenter perfectionem animæ eſſe conferendam (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum in diligentia, quæ adhibetur in perfectione animæ promovenda, cura animæ conſiſtat (§. 139.), atheus vero pietatem (§. 125. *part. 3. Eth.*) & religionem, qui in modo colendi Deum conſiſtit (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*), pro figmento habet (§. 516. *part. 2. Theol. nat.*); atheiſmus quidem curam pro anima non omnem tollit, eandem tamen præcipua ſua parte defraudat (§. 151.). *Quod erat primum.*

Quodſi ad atheiſmum accedat error de indifferentiſmo morali, nimirum ut actiones demum fiant bonæ, ſi a ſuperiore præcipiantur, malæ, ſi ab eodem prohibeantur, cum Deum exiſtere neget (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), non alium agnoſcit ſuperiorem, qui ad quædam facienda, ad quædam non facienda nos obligare poſſit, quam Rectorem civitatis, cui ſubjectus eſt, ſanctione pœnali obligationem introducentem (§. 291. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem homini concedit omnem vivendi licentiam, modo ſibi caveat a delictis, quæ pœnis coërcentur a ſuperiore. Patet itaque, quod non aliam curam animæ agnoſcat, quam quæ hominem

nem tutum præſtat a pœna civili. Atheus igitur, ſi cum atheiſmo conjungit errorem de indifferentiſmo morali, curam animæ in cautionem pœnarum civilium vertit. *Quod erat ſecundum.*

Epicuræus ſimiliter exiſtimat licere homini actiones ſuas determinare ex ſuo arbitratu, niſi quatenus lege civili prohibetur (§. 718. *part. 2. Theol. nat.*). Et revera atheus fit epicuræus, quamprimum atheiſmo jungit errorem de indifferentiſmo morali, ut nullam agnoſcat obligationem, niſi quæ ſanctione pœnali introducitur a ſuperiore (§. 717. *part. 2. Theol. nat.*). Patet igitur ut ante *n. 2.* ſi ad atheiſmum accedat epicuræiſmus, curam animæ in cautionem pœnarum civilium converti. *Quod erat tertium.*

Qui ea perpendit, quæ de pietate ac officiis ceteris erga Deum demonſtrata ſunt, clariſſime perſpiciet, ſublatis pietate atque officiis erga Deum virtuti detrahi maximum decus, quod habet, & maximam efficaciam ad felicitatem veram, qua homo in his terris frui poteſt. Unde porro liquet, quantum differat cura animæ, quam atheus ab aliis erroribus immunis pro anima gerere poteſt, ab ea, quæ in anterioribus demonſtrata fuit. Interim tamen negari non poteſt, quod curæ animæ multo magis noceat atheiſmus, ſi cum errore de indifferentia morali actionum humanarum conjungatur, ut atheus ſimul fiat epicuræus. Plerumque vero epicuræi atheiſmum amplectuntur, cum in eo præſidium adverſus conſcientiam reperiſſe ſibi videantur, ut tanto audacius in vitia ruentes conſuetudine agendi contracta ſuper actionibus ſuis reflectere deſuefcant. Quoniam tamen atheus non omnem virtutem tollit, ideoque nec omnem curam animæ abjicit, niſi ſimul cum epicuræis licentiam vivendi affectet; facilius ad veram animæ curam adducitur, quam atheus epicuræus.

§. 167.

Remedium. Quoniam atheiſmus curam pro anima omnem non tollit, quodſi vero ad eum accedat error de indifferentiſmo morali, aut epicuræiſmus, curam animæ in cautionem pœnarum civilium vertit (§. 166.); *ſi atheum ab errore de indifferentiſmo morali immunem ad curam animæ plenariam*, a qua ſcilicet removet curam pro pietate & cultu divino habendam, *perducere volueris, oſtendendum ipſi eſt, quantum ad pietatem præſidium ſit pietas* (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & *quid officia erga Deum*, in quibus verus cultus Numinis conſiſtit (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), *ad felicitatem, qua frui nobis datur in his terris, conferat*, vi eorum, quæ de officiis erga Deum demonſtravimus in parte tertia Ethicæ, &, cum jam facilius præbeat aurem atheiſmum refutaturo, *lubrica atheiſmi fundamenta ſunt oſtendenda* (§. 494. *part. 2. Theol. nat.* & §. 82. & *ſeqq. part. 3. Eth.*): *ſi vero accedat error de indifferentiſmo morali, non modo atheiſmus evertendus* (§. §. *cit.*), *verum etiam intrinſecæ actionum humanarum bonitatis & malitiæ* (§. 62. 63. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & *obligationis naturalis*, quæ ponitur poſita eſſentia & natura hominis (§. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *convincendus* (§. 127. & *ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), & *deinceps*, epicuræiſmo everſo, ſeu errore de indifferentiſmo morali agnito, *utendum eſt remedio anteriori.*

Morbus admodum deſperatus eſt neglectus curæ pro anima gerendæ, qui ex atheiſmo cum errore de indifferentiſmo morali aut cum epicuræiſmo conjungitur. Quamvis enim atheiſmus per ſe non tollat omnem curam pro anima, cum tamen primaria parte deficiat, quæ adhuc ſubſiſtit; antequam cura pro anima locum habere poſſit, tollendus quoque atheiſmus eſt, nec ſufficit evellere errorem de indifferentiſmo morali, aut profligare epicuræiſmum. Quam vero difficile ſit

Digitized by Google

ſit convincere negligentem in cura animæ habenda illorum errorum ultro concedet, qui novit, quibusnam argumentis extorquendus ſit aſſenſus, & quomodo iſta urgenda, ne efficacia iisdem detrahatur. Accedit, quod vitia errores commendent, pro diverſitate circumſtantiarum varia, quibus ſubſiſtentibus non ſperanda convictio, aut ad aſſenſum ſufficiens perſuaſio. Morbo igitur complicato non ſufficit remedium, quod alias ſatis efficax foret. Quid quod etiam circumſtantiæ extrinſecæ dentur, quæ obſtant, quo minus quis errorem, quo imbutus eſt, miſſum facere nolit? Atque hæc non ſolum notanda ſunt in caſu præſenti: intelliguntur quoque de remediis vitiorum aliorum. Efficacia remedii non modo dependet ab ipſius virtute, verum etiam a modo adhibendi & a conditione ſubjecti, quod pati debet remedium. Morbos animi curare multo difficilius eſt, quam morbos corporis, nec qui iſtis laborant remedium adeo facile patiuntur, quemadmodum qui his affliguntur, fidei medici ſe totos committentes. Remediorum itaque moralium uſus magis præſervativus eſt, quam curativus. Ceterum eorundem notitia hunc quoque habet uſum, ut agnoſcatur ratio, cur in dato caſu immedicabile ſit malum: quod noſſe non uno in caſu proderit. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, in Ethica doceri remedia vitiorum, ea fiducia, quaſi homines promiſcue omnes, qui vitiis dediti ſunt, in aliam formam iisdem ſint transfundendi; ſed ut appareat, quænam immutanda ſint, ſiquidem vitium depelli debeat. Inde conjectare poteris ſucceſſum, ſi eo uti volueris. Quemadmodum vero remedium non patitur æger, qui opem medici non deſiderat; ita quoque remedia vitiorum adhibere fruſtra tentabis, niſi jam adſit voluntas emendationis, quæ ſupponit, cognita eſſe damna, quæ vitio deditus incurrit.

§. 168.

Curæ pro anima gerendæ maxime adverſatur epicuræiſmus. E- picuræus enim exiſtimat licere homini actiones ſuas determinare

De epicuræiſmo curæ

pro anima maxime adverſo.

minare ex ſuo arbitratu, niſi quatenus lege civili prohibentur (§. 718. *part. 2. Theol. nat.*), ideoque ſequitur inclinationem potiſſimum naturalem, qua ad certa appetenda generaliter determinatus eſt appetitus (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter ſi fuerit voluptuoſus, in ea propendet, quæ ſenſum hilarant (§. 166. *part. 2. Eth.*), ſi lucri cupidus, in ea, quibus redditur locupletior (§. 173. *part. 2. Eth.*), ſi honoris cupidus, in ea, quæ honorem ac laudem pariunt (§. 178. *part. 3. Eth.*), ac propterea ille tanquam finem ultimum intendit delectationes ſenſuales, is lucrum, hic honorem atque laudem, & quilibet eorum ad finem a ſe intentum refert actiones ſuas. Huc igitur cum convertat omnes curas ſuas, de ſe perficiendo minime cogitat, ideoque omnis cura animæ abeſt (§. 134.). Et per ea, quæ de cura animæ demonſtravimus patet, quod cura epicuræi prorſus diverſa ſit ab ea, quam pro anima gerere debemus, nec cum eadem conſiſtere poſſit. Quamobrem patet, curæ pro anima gerendæ maxime adverſari epicuræiſmum.

Non modo ex demonſtratione propoſitionis præſentis, verum etiam ex definitione epicuræiſmi, quam alias dedimus (§. 717. *part. 2. Theol. nat.*), liquet, nos epicuræiſmum latius extendere, quam vulgo fieri ſolet. Nemo enim eſt, qui neſciat, epicuræos vulgo dici, qui voluptatibus corporis ſeſe ingurgitant, quaſi in his ſummum hominis bonum conſiſtat. Nos vero epicuræiſmum extendimus ad omnem vivendi licentiam, qua quis bonum æſtimat ea voluptate, qua trahitur inclinationi ſuæ convenienter. Non aliam igitur admittit theoriam, quam indifferentiſmum moralem, per quem licitum unicuique intelligitur, quod libet. Quemadmodum itaque non omnibus eadem placent, ideo quoque vivendi licentia non omnibus easdem actiones commendat, propter diverſos nimirum fines agentibus. Atque ideo diverſæ dantur Epicuræorum

curæorum ſpecies, quas forſan ſectas appellare malis. Sed cuicunque tandem ſectæ nomen dederit epicuræus, quod eam pro anima non gerat, nec ſtante hypotheſi ſua gerere poſſit curam, quam gerendam eſſe in anterioribus demonſtravimus, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt. Quamobrem epicuræiſmus in omni ſua latitudine ſumtus impedimentum eſt curæ animæ, quamvis hanc in philoſophia morali non extendamus ultra ea, quæ ex principiis rationis demonſtrantur. Quilibet autem, cui principia religionis revelatæ, quam Chriſtianam dicimus, perſpecta ſunt, per ſe videt, quæcunque impedimenta ſunt curæ animæ, quam ratio commendat, ea quoque impedimenta eſſe illius curæ, quam revelatio injungit. Neque enim hæc illi contradicit, ſed ſaltem alia ſuperaddit; quæ cum illa conſiſtere poſſunt ac copulari debent.

§. 169.

Quoniam epicuræiſmus curæ pro anima gerendæ maximе adverſatur (§. 168.), falſa autem hypotheſi nititur (§. 722. *part. 2. Theol. nat.*), quaſi ſcilicet non detur intrinſeca actionum honeſtas & turpitudo, nec obligatio divina ad alias actiones committendas, alias vero omittendas (§. 717. *part. 2. Theol. nat.*); *ſi epicuræo cura animæ perſuadenda, oſtendendum ipſi eſt, dari omnino intrinſecam actionum honeſtatem ac turpitudinem* (§. 62. 63. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *quarum illæ lege naturæ præcipiuntur, hæ prohibentur* (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *& quod nos Deus ad illas committendas, has vero non committendas obliget* (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quamvis hæc ſufficiant, ut curæ pro anima habendæ neceſſitas & utilitas agnoſcatur, quoniam tamen nondum ſufficiunt, ut licentioſa vivendi conſuetudo mutetur, *animus purgandus eſt a vitiis, quæ curæ pro anima habendæ obſtant.* *Remedium.*

Cum diverſæ ſint epicuræorum ſpecies, non omnibus vivendi licentia eadem vitia ſuadet. Quamobrem nec neglectui curæ pro anima habendæ eadem medela afferenda. Quoniam vero omnis diverſitas huc redit, ut certa vitia extirpentur, quæ pro conditione perſonarum variant, de remediis autem vitiorum agendum eſt ſuo loco, ubi nimirum de fuga eorum ex inſtituto agitur; ſpecialia de hisce in præſenti non tradenda. Cum epicuræiſmus hic conſideretur tanquam hypotheſis, quæ curæ pro anima gerendæ obſtat; impedimentum ſublatum intelligitur, ſi quis falſitatem hypotheſeos agnoſcit. Quodſi vero jam licentioſa vivendi conſuetudo non permittat, ut quis neceſſitate ac utilitate curæ pro anima habendæ agnita ad eandem adducatur; non amplius theoria epicuræi, ſed conſuetudo iſta impedimentum ejus erit: quod adeo eodem modo tollendum, ac ſi quis alia quacunque de cauſa in vitia, quibus obnoxius eſt, ſeſe ingurgitaſſet.

§. 170.

De neglectu curæ animæ ob defectum otii.

Curam animæ negligunt, qui tempus negotiis ſuis impendendum vix ſufficere arbitrantur. Etenim qui ſibi perſuadent, tempus vix ſufficere, quod negotiis ſuis impendere tenentur; illi quoque in ea ſunt opinione, quaſi negotiis ſuis ſolis vacare poſſint, ideoque ad alia agenda non ſuppetat otium. Quamobrem fieri nequit, ut de cura pro anima habenda mentem ſubeat cogitatio, aut ſi qua forſan ſubit, negotiorum, quibus obruuntur, molem non permittere exiſtimant, ut curam iſtam pro anima habeant, eam in tempus commodius differentes, quo ſibi magis vacare licebit, mora tandem omne propoſitum irritum reddente. Qui ergo arbitrantur tempus negotiis ſuis impendendum vix ſufficere, curam animæ negligunt (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Qui ob negotiorum multitudinem curam animæ negligunt, non quidem ſemper de hac cogitant, ac tempus omne negotia

tia ſua ſibi vindicare expreſſe judicant; tacite tamen ineſt hæc opinio neglectui curæ pro anima, quando tempus omne negotiis ſuis impenditur, ut de alio agendo non cogitetur, fit ita quod ſubinde aliæ adhuc concurrant rationes, ob quas de cura pro anima habenda mentem nulla ſubit cogitatio, nec ſola negotia eam ab illa avertant. Negotiorum vero, quæ vitæ genus poſtulat, multitudinem magnam hominum partem a cura animæ abſtrahere, indies experimur. Qui eruditionem in multa lectione conſiſtere ſibi perſuadent, & magnum in excerptis præſidium ad erudite ſcribendum ſe inveniſſe gaudent; cum tanta ſit librorum copia, quibus perlegendis nullius hominis ætas ſufficit, tempus omne lectioni librorum & excerptis conficiendis impendunt, ut nullum ipſis ſuppetat otium de cura animæ cogitandi. Quamvis itaque eos de eadem admoneas, aut ſurdis fabulam narrabis, aut neglectum nunc hac, nunc alia ratione excuſari audies. Memini me aliquando audiviſſe a quodam multorum prædiorum conductore, qui multas divitias curis ac operis œconomiæ rurali impenſis acquirebat, cum bonæ eſſet mentis & curam pro anima ab homine chriſtiano gerendam agnoſceret, multas querelas, quod ipſi ob negotiorum multitudinem nullum relinqueretur tempus, quod curæ pro anima impendere poſſet, eundemque optaſſe, ut ante finem vitæ ſibi ſaltem per annum ſuppeteret otium, quo eidem vacare liceret. Variant vero etiam hic circumſtantiæ, ut nunc neglectus majorem habere videatur excuſationem, quam in caſibus aliis, quamvis revera nunquam excuſari poſſit, quemadmodum ex iis, quæ ſequuntur, ſatis liquet.

§. 171.

Si quis curam animæ negligit, quod tempus negotiis ſuis impendendum vix ſufficere arbitratur; is tenetur 1. *perpendere neceſſitatem atque utilitatem curæ pro anima gerendæ, ob quam curæ alii cuicunque anteponenda,* 2. *conſiderare, num negotiorum moles depen-* Remedium.

deat a poteſtate ſua, ut eandem pro lubitu imminuere poſſit, an vero poteſtati ſuæ non ſubſit, 3. quod cubitum ituro & mane evigilanti non dejit tempus commodum curæ animæ dicandum, 4. quod in agendis negotiis & actionibus quibuscunque aliis, quorum occaſio obvenit, curæ pro anima eſſe poſſit ac debeat locus. Qui enim neceſſitatem atque utilitatem curæ pro anima habendæ agnoſcit, ob quam curæ cuicunque alii anteponenda; is omnino diſpiciet de tempore commodo, quo illi vacare poſſit. Quodſi ergo jam porro conſideret, num negotiorum moles a poteſtate ſua dependeat, ut eandem pro lubitu imminuere poſſit, an vero poteſtati ſuæ non ſubſit; ubi eam poteſtati ſuæ ſubjectam deprehendit, partem temporis negotiis ſuis detrahet, quo illi vacet, ubi vero eam extra poteſtatem ſuam eſſe videt, cum fieri non poſſit, quin ſerio de tempore opportuno cogitanti cubitum ituro & mane evigilanti tempus commodum offerri agnoſcat, dubium non eſt, quin occaſionem ex voto oblatam ambabus, quod dicitur, manibus amplectatur. Et ubi tandem novit, in agendis negotiis ipſis & actionibus quibuscunque aliis, quarum occaſio obvenit, curæ pro anima eſſe poſſe, immo debere locum, eundem quoque facere ſtudebit. Quoniam itaque hoc pacto nihil eorum prætermittit, quæ curæ pro anima gerendæ cauſa facere poteſt, negligens vero non eſt, qui nihil eorum prætermittit, quæ certo fine facere poteſt (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi ea obſerventur, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur, neglectui curæ pro anima gerendæ ob molem negotiorum medela afferetur.

Homines negotiis pleni, qualiacunque tandem ea ſint, plerumque de cura animæ non cogitant, vel quod eam prorſus ignorent, vel quod ejus neceſſitatem ac utilitatem non agnoſcant. Quamobrem de tempore opportuno curæ pro anima dican-

dicendo ut ante cogitent, quam eandem cognoverint & de neceſſitate ac utilitate ipſius fuerint convicti, vel perſuaſiſſimi, fieri non poteſt (§. 889. *Pſych. empir.*). Qualis vero eſſe debeat cura animæ & quanta ſit ejus neceſſitas atque utilitas, ex iis diſcitur, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt. Quoniam cura animæ felicitatem hominis promovet, ſive tanquam acquirenda, ſive tanquam conſervanda ſpectetur, & qui felix eſſe vult, curam animæ ſemper habere, nunquam abjicere debet (§. 142.), conſequenter ea hoc nomine potiſſimum ſeſe commendat, neceſſitatem & utilitatem curæ pro anima nemini perſuadebis, niſi edoctus fuerit, in quonam vera conſiſtat felicitas, quodque ſine virtute nemo eadem frui poſſit. Atque hic inprimis urgendum, quantum ad virtutem præſidium ſit pietas & quamnam felicitatis partem faciat cum officiis ceteris erga Deum. Cum certus eſſe debeat finis, cur quis negotiis ſuis omne tempus impendit, ut ad alia agenda nullum otium ſuperſit; ut appareat curam animæ curæ, quam negotiis ſuis accommodat, longe anteponendam eſſe, quæ de utilitate curæ pro anima habendæ demonſtrantur, conferenda ſunt cum fine per negotia noſtra obtinendo. Circumſtantiæ autem particulares, ad quas in praxi morali animus ſemper attendendus, ſuppeditabunt rationes, quibus prærogativa curæ animæ præ alia cura luculentius evincetur & efficacius urgebitur. Immo hæ ipſæ quoque circumſtantiæ oſtendent, num & quantum temporis negotiis ſubtrahi poſſit, ut cura animæ propter hæc non ſit prorſus negligenda. Quomodo vero temporis nonnihil curæ animæ impendi poſſit ac debeat, quando cubitum imus, aut mane evigilamus, alias jam inculcavimus (§. 437. & *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Ad curam animæ requiritur ſollicitudo, ut perſonam nobis impoſitam recte geramus (§. 152.). Pendent hinc negotia, quæ vitæ genus, quod ſequimur, nobis imperat. Quamobrem neglecta cura pro anima negotia ſua recte adminiſtrare non poſſumus. Conſultum itaque eſt, ut in caſu dato notentur defectus adminiſtrationis, non tollendi niſi curæ cordique

habeamus, ut medeamur vitiis, vel privationi virtutis, unde illi oriuntur. Quoniam vero ad curam animæ ſpectat, ut circumſpecte agamus, & certi ſimus nos in agendo ne latum quidem ungvem a ege naturæ recedere (§. 140.); ipſum illud tempus, quod negotiis & aliis, quæ occaſio offert, agendis impenditur in curam animæ una conferri poteſt, absque ullo naturæ metu, modo curæ pro anima gerendæ fuerimus adſuet. eodem prorſus modo, quo omnia cum ſenſu officii agim s & in actionibus omnibus Deum colimus. Videntur in praxi morali multa difficilia, immo impoſſibilia, quæ tamen nihil difficultatis habent, modo virtutem amemus ac eidem colendæ operam dare velimus. Anima ſucceſſive perficitur, nec virtutes habitus infuſi ſunt. Ubi vero fuerint acquiſitæ, jam ſine tractu temporis fiunt, quæ ſine iis ab initio fieri non poterant, multaque ſimul, quæ ſigillatim erant facienda.

§. 172.

Limites curæ animæ in philoſophia.

In philoſophia cura animæ non extenditur ultra ſtatum vitæ præſentis. Cum enim in philoſophia ultra ſphæram rationis non progrediamur, quod nemini ignotum eſt, ex principiis autem rationis nemo adhuc demonſtrare potuerit, qualis ſit futurus ſtatus animæ poſt hanc mortem, etſi conſtet eam a morte corporis ſuperſtitem eſſe ſemperque manere (§. 744. *Pſycb. rat.*); ideo quoque fieri non poteſt, ut in perfectione animæ promovenda rationem habeamus ſtatus futuri a morte corporis. Quamobrem cura animæ, quæ in philoſophia inculcatur, non extenditur ultra ſtatum vitæ præſentis.

Theologiæ igitur revelatæ, quam Theologiam ſimpliciter appellare ſolemus, relictum eſt, ut curam pro anima habendam ad ſtatum vitæ futuræ a morte corporis extendat. Neque enim curam pro anima, quæ in philoſophia demonſtratur, tollit; ſed eidem ſaltem ſuperaddit, quod beneficio rationis

tionis cognoſci nequit, ſicque eandem perficit. Cum certo conſilio nobis propoſitum ſit ea in philoſophia tradere, quæ rationis lumine innoteſcunt, conſequenter ſciri poſſunt, non vero cum iisdem commiſcere, quæ ex revelatione divina haurienda ſunt, conſequenter creduntur; noſtrum quoque non eſt docere, quomodo in cura animæ habenda ſit ratio ſtatus futuri animæ a morte corporis. Quodſi objicias, gentiles quoque & inter eos ipſum *Platonem* de ſtatu animæ poſt mortem tradidiſſe, quæ non prorſus abhorrent ab iis, quæ Chriſtus nos docuit; tenendum eſt, eos vel ſua utilitatis cauſa commentos eſſe, vel ob probabiles quasdam rationes conjectaſſe. Rationes autem ad conjecturam ſufficientes non ſufficiunt ad ſcientiam. Neque nos, qui Chriſto nomen dedimus, conjectura opus habemus, cum fides noſtra inconcuſſo fundamento nitatur, quamvis rationes probabiles, quas ratio ſuggerit, faciant ad defendendum ea, quæ credimus, contra antiſcripturarios.

§. 173.

Qui curam animæ non habet, aut neſcit, aut ſaltem non conſi- *Quod curæ*
derat, quid ſit homo, nec vitam hominis vivit. Etenim qui cu- *pro anima*
ram animæ non habet, nullam quoque dat operam, ut per- *neglectus de-*
fectionem animæ accidentalem acquirat (§. 134.), conſe- *deceat ho-*
quenter ut qua agens liberum fiat aptus ad repræſentandum *minem.*
perfectionem Dei ſummam, ſeu manifeſtandum gloriam ipſius (§. 917. 912. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum homo ſit creatura Dei (§. 782. *part. 1. Theol. nat.*), conditus a Deo in eum finem, ut gloriam ſuam promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*), ideoque una cum cereris creaturis agere debeat propter finem eundem ultimum a Deo per creationem mundi intentum (§. 977. 629. *part. 1. Theol. nat.*); qui curam pro anima non habet, qualem tanquam homo habere debet,

debet; aut neſcit quid ſit homo, aut ſaltem non conſiderat. *Quod erat unum.*

Enimvero qui ea non facit, quæ tanquam homo facere debet, vitam hominis minime vivit (§. 7. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum per demonſtrationem partis prioris propoſitionis præſentis pateat, qui curam pro anima non gerit, eum non facere, quod qua homo facere debet; qui curam pro anima non gerit, vitam quoque hominis non vivit. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus in antecedentibus ad curam animæ requiri ſollicitudinem perſonam ſibi impoſitam recte gerendi (§. 152.). Hanc autem perſonam nobis Deus tanquam hominibus per creationem impoſuit, ut ſimus obligati actiones noſtras dirigere ad gloriam ipſius (§. 70. *part. 1. Jur. nat.*). Perſonam igitur hanc recte gerimus, ſi actiones noſtras ad gloriam Dei dirigimus, ideoque cura recte gerendi perſonam hominis redit ad ſollicitudinem de aptitudine gloriam Dei promovendi conſequenda. Vide, quæ jam ſupra annotavimus (*not.* §. 152.). Si quibus nimis durum videatur, quod affirmemus, vitam hominis non vivi, niſi actiones noſtras dirigamus ad gloriam Dei, & perfectionem hominis ad aptitudinem manifeſtandi gloriam Dei revocemus, quatenus tanquam agens liberum conſideratur, cum tamen negari non poſſit, eum naturæ ſuæ convenienter vivere, ſi actiones ſuas dirigat ad ſui aliorumque perfectionem, quemadmodum lege naturæ præcipitur (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamvis contingat, cum negligere pietatem ac cetera erga Deum officia particularia, de quibus egimus in parte tertia Ethicæ; tenendum eſt, quando vitam hominis moralem, de qua hic ſermo eſt, ſimpliciter dicimus, cum denotet complexum omnium actionum, ad quas homo lege naturali obligatur (§. 7. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nos non intelligere vitam aliqua parte deficientem, ſed eam, quæ obligationi, qua tanquam homo

homo tenetur, ex aſſe ſatisfacit, ſicuti non corpus humanum mutilum intelligimus, quando idem ſimpliciter dicimus. Nec quenquam offendere debet, quod inde ſequatur, ſe vitam hominis perfectam nondum vivere, ſi in numero actionum liberarum, quas committit, ſint multæ, quæ obligationi ipſius, qua tanquam homo tenetur, adverſantur. Qui vitam hominis nondum vivit, qualem in rigore ſuo exigit lex naturæ, propterea non dicendus eſt vivere vitam brutorum. Vita enim hominis alia perfecta eſt, alia imperfecta, & hujus multi dantur gradus, qui omnes hominem a brutorum conſortio eximunt. Ad vitam perfectam adſpirare debemus & cura pro anima gerenda, ut ad eam tam prope accedamus, quantum nobis datur, atque inde naſcitur continuus progreſſus ad majores indies perfectiones, in quo ſummum bonnm terminatur, quod in his terris conſequi poſſumus. Quemadmodum vero virtus theologica, ſeu chriſtiana differt a philoſophica (§. 338. 340. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita etiam vita chriſtiana differt a philoſophica ſimiliterque cura pro anima habenda. Non tamen ſibi mutuo contradicunt, ſed ſororio vinculo copulandæ. Superaddit Theologus, quæ ex principiis rationis demonſtrare nequit philoſophus, & Theologi intereſt noſſe rigorem legis naturalis non modo ad defendendum ea, quæ ſuperaddit, adverſus antiſcripturarios, verum etiam ad perſpiciendum eorundem rationes.

§. 174.

Quoniam qui curam animæ non habet, aut neſcit quid ſit homo, aut non conſiderat, nec vitam hominis vivit (§. 173.), hominem autem decet, cujus aliqua ratio continetur in iis, quæ ipſi per naturam inſunt, cur potius id velle debeat, quam aliud (§. 332. *part. 1. Theol. nat.*); *cura animæ hominem maxime decet.*

Quod cura animæ hominem maxime deceat.

Cura animæ eo tendit, ut fiamus homines adulti. Homo conſtat ex anima atque corpore. Quamvis itaque corpus adolevit,

levit; nondum tamen homo adultus eſt, adoleſcere quoque debet anima. Alia vero longe ratio eſt animæ, quam corporis. Illa numquam ita adoleſcit, ut ulterioris incrementi non amplius capax ſit. Lex autem naturalis, quæ urget perfectionem animæ, oſtendit metam, ad quam contendendum. Quamvis enim eam attingere non valeamus, continuo tamen ad eandem propius accedere poſſumus. Ac ideo cura pro anima gerenda, quæ non modo tendit ad conſervandum, quod jam habes, verum etiam ad adipiſcendum, quod tibi adhuc deeſt. Sequitur hinc omnino, ut homo continuo magis magisque fiat homo, quo magis animam perficit. Quamvis vero hoc nimis paradoxum videtur, non tamen prorſus abhorret a notionibus communibus. Nonne enim gentes barbaras dicimus, quæ virtutes intellectuales parum colunt, ideoque animum doctrina non excolentes moribus incultis utuntur (§. 52. *Jur. Gent.*), conſequenter animam perficere negligunt (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*)? Ecquis vero homines barbaros atque incultos & doctos atque cultis moribus utentes pariter cenſebit, ut non ultro concedat, his potiore quodam jure nomen hominis convenire, quam illis, ſiquidem agnoſcit rationem potiſſimum eſſe, quæ facit hominem? Multa videntur paradoxa, quæ talia non apparent, quamprimum luce notionum diſtinctarum colluſtrantur. Incitat nos, quod modo diximus, ad diligentiam in cura animæ adhibendam, ut nomine hominis nos continuo magis magisque dignos faciamus. Requiritur hæc diligentia ad perſonam ſuam recte gerendam & eam, qui ſapiunt, in gerenda perſona, quæ vitæ genus ipſis impoſuit, adhibere ſolent. Eſt vero etiam homo, quatenus ſpectatur tanquam ſubjectum obligationis naturalis & jurium connatorum inde manantium, perſona nobis impoſita (*not.* §. 152.), quam recte gerere debemus, & cujus recte gerendæ ſollicitudinem continet cura animæ (§. *cit.*).

§. 175.

§. 175.

Quoniam cura animæ hominem maxime decet (§. 174.), ideoque neglectus ejus maxime dedecet (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*), pudere autem hominem debet facti, de quo ſiniſtre judicant boni ac periti (§. 374. *part. 2. Eth.*); *neglectus curæ pro anima gerendæ hominem pudere debet*, conſequenter cum cura animæ in perfectionem ejus (§. 143.), ideoque in virtutes intellectuales & morales conferatur (548. *part. 1. Jur. nat.*), *hominem pudere debet, ſi nullam curam in virtutes intellectuales & morales, vel ſaltem aliquam in intellectuales, non vero in morales, aut in aliquas ſaltem intellectuales, non vero in omnes atque morales ſimul conferat.*

debeat neglectus curæ pro anima.

Pudeat ſane eruditos, qui curam omnem in quandam eruditionis, vel ſcientiam quandam conferunt, virtutis autem ſtudium negligunt, immo prudentiam quoque inſuper habent. Equidem non advertunt vitia occulta, quæ in ſinu fovent, & inſcie ac imprudenter produnt; non tamen id ullam excuſationem habet. Ita nimirum produnt neglectum curæ pro anima habendæ, qui non ſolum ipſis pudorem imponit, verum etiam notam ignominiæ, quam imprudentia & improvidentia & vitia, quibus turget animus, pariunt (§. 820. 822. *part. 1. Jur. nat.*). Non magis hoc hominum genus neglectui huic pœnas dat, quam in controverſiis tractandis & in aliis cenſendis, vel ſi quis inventis ſuis ad nominis gloriam contendit docturus alios, quo modulo ea metiri debeant. Utile ſubinde foret, ſi faſtus iſtiusmodi hominum retunderetur oſtenſis vitiis, quibus ſeipſos diffamant improvidi, dum gloriam ſtolide inhiant, ut tam alii ex eorum caſu diſcant, non eſſe negligendam curam animæ, quam ne ipſi noceant aliis. Non addimus exempla alia facile obſervanda ab eo, qui Ethicæ non imperitus eſt.

§. 176.

Quorumnam librorum lectio curæ pro anima nocet.

Curæ pro anima gerendæ nocet lectio librorum profanorum & obſcœnorum, atque eorum omnium, quæ vitiorum illecebras & cupiditatum lenocinia legentis animo tacite inſinuant. Cum enim libri profani contineant opiniones veræ de Deo doctrinæ ac religioni omni adverſas; qui iſtiusmodi libros legit, ei ſcrupuli & dubitationes injiciuntur, niſi veritatis eorum, quæ de Deo & religione didicit, fuerit plenarie convictus, ut immotus perſtet aſſenſus: id quod tamen ob difficultatem ac raritatem convictionis in pauciſſimis ſupponendum, cum plerumque non niſi perſuaſio ſit, qua aſſenſus nititur, cui ſubinde pertinacia defendendi opinionem firmitatem addit. Quoniam itaque certitudo efficit cognitionem vivam (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut ſit motivum voluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*), pius autem actiones legi naturæ conformare ſtudet vi motivorum ab attributis divinis & providentia divina deſumtorum (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ſine agnitione Dei nullum officium Deo debitum præſtari poteſt (§. 1. *part. 3. Eth.*), conſequenter nec cultus Dei ſubſiſtit (§. 1234. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), in quo religio conſiſtit (§. 512. *part. 2. Theol. nat.*); quin pietas & religio frigeſcat, fieri non poteſt. Et quoniam plerique homines actiones lege naturali præſcriptas non aliter ſpectant, quam ideo committandas, vel omittendas, quia Deus vult, ut eas committamus, vel omittamus, langveſcente obedientia erga Deum (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), omne virtutis ſtudium friget (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque parum curatur virtus, conſequenter facile committuntur actiones, ad quas quemque trahit ſua voluptas (§. 156. *part. 2. Eth.*). Atque ita cum obedientia erga Deum omnis virtutis cura ſenſim ſenſimque evaneſcet. Quamobrem cum cura

animæ

animæ in perfectionem animæ (§. 134.), ideoque in virtutes conferatur (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), & requirat ſollicitudinem ne latum quidem ungvem diſcedendi a lege naturæ (§. 140.), ac indefeſſum pietatis ſtudium (§. 151.); curæ pro anima gerendæ nocet lectio librorum profanorum. *Quod erat primum.*

Quia libros obſcœnos non legit, niſi qui eorum lectione delectatur (§. 156. *part. 2. Eth.*); res ipſæ obſcœnæ ſeſe ſenſim commendant legenti & appetitum in ſe trahunt (§. *cit.*), ſicque voluntas corrumpitur (§. 10. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum ſic actiones ex voluptate, quam nobis pariunt, æſtimare adſueſcamus, cura vero animæ requirat, ut easdem ex convenientia cum lege naturæ (§. 140.), vel voluntate Dei dijudicemus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*); cum iſta voluntatis corruptione cura animæ conſiſtere nequit. Curæ igitur animæ nocet lectio librorum obſcœnorum. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi lectione librorum vitiorum illecebræ & cupiditatum lenocinia legentis animo tacite ſeſe inſinuant, *per hyp.* fieri non poteſt quin proclivitatem quandam in iſta vitia lectore non advertente contrahat appetitus, ut ne quidem animadvertantur, ſicuti pravo ſodalitio corrumpuntur boni mores. Quamobrem cum hoc pacto appetitus corrumpatur (§. 10. *part. 2. Eth.*), ut inſcii vitia contrahamus, cura autem animæ ſufficientem ad actiones noſtras attentionem (§. 140.) & indefeſſum virtutis ſtudium requirat (§. 141.); lectio librorum, qua vitiorum illecebræ & cupiditatum lenocinia legentis animo tacite ſeſe inſinuant, curæ pro anima gerendæ nocet. *Quod erat tertium.*

Librorum profanorum lectionem nocere curæ pro anima gerendæ, vulgo agnoſcitur: quam enim ſit peſtifera, experientia dudum comprobavit. Equidem in demonſtratione ſaltem ſuppoſuimus lectorem nondum perverſæ mentis, cum quod de eo demonſtratur tanto facilius admittatur quoque de aliis; dantur tamen etiam homines, qui vitiis jam ſunt dediti, aut in ea propendent, atque hi errores iisdem patrocinantes avide amplectuntur. Hi vero non ſunt, qui de cura animæ cogitant, ideoque ab eadem longius removentur librorum iſtorum lectione, cum ad eandem eſſent adducendi. Profanis autem iſtis libris non ſolum accenſemus eos, quorum autores aperte atheiſmum, aut deiſmum defendunt, quales proh dolor! hodie divulgantur, verum etiam hos, quorum autores cenſuris frivolis religionem in contemtum adducunt, quales ſine numero indies prodeunt. Neque enim amplius obſervatur lex cenſuræ librorum, ut non imprimantur, in quibus continentur religioni adverſa. Poſtquam abuſus libertatis philoſophandi invaluit, ut quilibet tyro, qui vix primis, quod dicitur, labris diſciplinas deguſtavit, eas reformare velit; reformatorum numerus indies quoque creſcit, quorum infelices abortus irreligionariorum cauſæ ſerviunt, ſi vel maxime ipſi directe non intendant religionis atque virtutis contemtum. Dolendum vero eſt, tam multos curioſitate allici ad legendum iſtiusmodi libros, æternæ oblivioni potius damnandos, cum haud pauci curioſitatem jactura curæ pro anima gerendæ luant. Neque enim adeo facile eſt, ut quis adhibeat eam attentionem, ne tacite ſeſe inſinuent opiniones perverſæ, quæ voluntatem in transverſum ſenſim ſenſimque agunt, & ut ea utatur perſpicacia, quæ ad verum a falſo dividendum ſufficit. Non minus dudum agnitum eſt, lectionem librorum obſcœnorum curæ pro anima habendæ adverſari ac bonos mores corrumpere. Ea ſane de cauſa multi improbarunt lectionem poëtarum Latinorum, qui obſcœnitate lectores delectare volunt, ut ideo opus non ſit de hoc librorum genere plura diſertius dicere. Aſt librorum, quorum

rum lectio vitiorum illecebras & cupiditatum lenocinia legentis animo tacite insinuat, longe major numerus est, quam vulgo putatur. Sane cum nondum sit ea seculi nostri felicitas, ut, quantum quis eruditione, aut doctrina excellit, tantum etiam virtute præstet, istiusmodi autem autores tam factis, quam potissimum verbis intus latentia vitia inscie atque improvide prodant, tacite nimirum in verborum suggestionem influentia, ut de factis jam nihil dicam; librorum in hanc classem referendorum numerus longe maximus est. Ac inprimis inter hos non ultimum locum obtinent scripta eristica & quæ hodie perverso aliquatenus sensu dicuntur critica, quorum autores judicum sibi officium arrogant in orbe litterato. Nocent autem tanto magis, si verborum lenociniis ac elegantiori litteratura lectoris animum fascinare studeant autores usum rei per se egregiæ ac suo loco commendandæ in abusum vertentes.

§. 177.

Quoniam curæ pro anima gerendæ nocet lectio librorum profanorum & obscœnorum, atque eorum omnium, qui vitiorum illecebras & cupiditatum lenocinia legentis animo tacite insinuant (§. 176.), in cujuslibet autem potestate sit, ut a lectione librorum, quos sibi nocere posse novit, abstineat; *nisi lectionem urgeat quædam necessitas, solius curiositatis causa libros profanos, obscœnos, aut tacite vitiorum illecebras & cupiditatum lenocinia legentis animo insinuantes nemo legere debet, aut si numeris ratio, vel alia quædam necessitatem legendi imponit, ut sufficiente acumine verum a falso separare & in latentia autoris vitia inquirere norit opus est.* *Præstantissimum* vero *remedium foret, si libri profani ac obscœni non ederentur, reliquorum autem autores verba ponderare addiscerent, ut quomodo in eadem influat appetitus agnoscerent,* ne improvide proderent, quod latere *Remedium.*

tere mallent, ſi ſatis ſaperent: id quod tamen difficillimis annumerandum, non facile ſperandum.

Librorum obſcœnorum lectionem vix quicquam aliud ſuadebit, quam verborum elegantia, ex qua dijudicanda legendi neceſſitas. Librorum profanorum lectio non neceſſaria niſi illis, quorum officium eſt eos refutare & alios contra errores nocentiſſimos munire. Abſit autem, ut refutandi munus in ſe ſuſcipiat, qui tanto negotio impar eſt! Malus enim refutator plus nocet, quam autor profanus. Ne autem autores adeo improvide vitia, quibus turgent, in verborum ſuggeſtionem influere permittant, & alii eadem detegere diſcant, ut ſibi ab iisdem caveant; conſultum foret, ut ex verbis eorum character demonſtraretur. Etenim ne meritis eorum detrahatur, quibus condonanda videtur impotentia animi; tales ſeligendi eſſent autores, qui faſtu nimio ſe extollentes ſupra alios bene meritos partim fumum vendunt, partim vulgaria præter ullam neceſſitatem repetunt, cum inprimis interſit, ut eorum error refutetur & faſtus retundatur. Cautiores vero evadent autores ipſi, ubi mos invaluerit non minus honorem habendi virtutibus moralibus, quam eruditioni ac ſcientiæ, & vitia moralia non inferiori loco, quam ignorantiam & errorem, aut lapſus defectui vel non uſui facultatis cujusdam cognoſcendi tribuendos. Vitium, quo quis caret, non poteſt influere in verborum ſuggeſtionem.

§. 178.

Quamdiu curam animæ gerere debeamus.

Curam animæ per omnem vitam abjicere nunquam debemus. Cura enim animæ confertur in perfectionem animæ noſtræ (§. 134.). Enimvero qui Ethicam didicit, ut ſatis intelligat, quanta requirantur ad perfectionem animæ; is abunde intelliget, ad quamcunque tandem ætatem pervenerit homo & quantamcunque in anima ſua perficienda collocaverit operam; fieri tamen non poſſe, ut ad ſummum perfectionis gradum

dum perveniat: qua ſane de cauſa ſummum hominis bonum, quod in hac vita acquirere poteſt, non conſiſtit niſi in progreſſu non impedito ad majores indies perfectiones, nequaquam vero in perfectione conſummata omnibusque numeris abſoluta (§. 374. *part 1. Phil. pract. univ.*). Accedit quod ad curam animæ quoque pertineat conſervatio perfectionis jam acquiſitæ, quæ continuo exigit illam ad actiones noſtras attentionem, ſine qua cura animæ conſiſtere nequit, ut ſcilicet certi ſimus, nos ne latum quidem ungvem a lege naturæ diſcedere (§. 140.). Neceſſe igitur eſt, ut curam animæ per omnem vitam nunquam abjiciamus.

Nondum novit, quid ſit homo, quid ſint habitus, in quibus virtutes conſiſtunt, qui ſibi perſuadet, ſe ſtudio ac labore ſuo id conſequi poſſe, ut de ſe perficiendo non amplius cogitare teneatur, nec cavere, ne a virtutis tramite deflectat. Si quis notitiæ ſui incumbere voluerit, quemadmodum ſupra docuimus & cura pro anima gerenda requirit (§. 154.), quanta adhuc labe inficiantur actiones, quæ rectiſſimæ videntur, perſpiciet. Et quo magis perficitur anima, eo magis quoque videt, quænam adhuc deficiant. Quemadmodum homines quo ſunt rudiores, eo ſibi videntur acutiores, quo magis vero in recto intellectus uſu proficiunt, eo clarius perſpiciunt, in quibus adhuc is deficit, ut ideo errare humanum dicatur; ita etiam contingit, ut, qui in ſtudio virtutis parum adhuc profecerunt, ſibi videantur, qui non videntur, quo diutius in virtutis ſtudio alacriter progrediuntur.

§. 179.

Ad curam animæ quoque ſpectat ſtudium vitandi culpam. Qui enim curam animæ habet, ad actionem ſuam quamcunque animum attendere debet atque ſollicite diſpicere, num facultatibus omnibus decenter utatur (§. 140.). Quamobrem

De ſtudio vitandi culpam ad curam animæ requiſito.

cum culpa a non uſu facultatum proficiſcatur (§. 641. *part. 2. Phil. pract. univ.*), qui vero culpam vitare vult, omnem facere teneatur facultatum ſuarum uſum, quem habere poſſunt; & ut facere poſſit dare operam (§. 642. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui curam animæ habere vult, omnem quoque operam dare debet, ut culpam vitare diſcat, conſequenter ſtudium vitandi culpam ad curam animæ ſpectat.

Cum multis admodum modis culpa committatur (§. 747. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), cura pro anima gerenda ſtudio vitandi culpam late admodum extenditur. Ut ſtudii hujus amplitudinem intimius perſpiciamus, perpendere tenemur, culpam non modo influere in actiones per ſe licitas, quarum committendarum occaſio offertur, verum etiam in debitas, quæ lege naturali præcipiuntur, ut labem a vitiis contrahant, veluti cum incogitantia, quæ in defectu attentionis conſiſtit (§. 748. *part. 1. Phil. pract. univ.*), animum ab actione avertit, ne perpendatur, cur eam committamus: id quod fieri debet, ſi curam pro anima gerere velimus. Urget lex naturæ actionum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ omnem non uſum facultatum excludit (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*), a quo culpa proficiſcitur (§. 641. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Abſit itaque ut exiſtimes, nos curam pro anima gerendam in nimium extendere. Non ago morum alienorum cenſorem, ut nimis rigidus videar, quaſi infirmitati humanæ ac ſorti nihil dare velim, ſed doctorem, qui nunquam nimis rigidus cenſendus, quando rigorem imperat veritas. Nemo me facilior eſt in excuſandis nævis alienis, qui a cenſendis & perſtringendis aliis animum habeo maxime alienum, nec rigidus ſum cenſor nævorum alienorum, niſi dum mihi ſolus vaco, ut exinde emendem meos, nec conjectura fallax ulli præjudicat. A rigore autem doctrinæ nunquam diſcedendum, ne fallaci opinione nobismetipſis imponamus & a meta recedamus, dum ad eandem contendimus.

§. 180.

by Google

§. 180.

Quoniam ad curam animæ ſpectat ſtudium vitandi culpam (§. 179.); *Qui curam pro anima gerere vult, ea obſervare ſtudio iſto debet, quæ de modo vitandi culpam demonſtravimus* (§. 644. *ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), cumque ſine virtutibus intellectualibus culpa evitari nequeat (§. 163. *part. 1. Eth.*), *operam quoque dare debet, ut uſum facultatum cognoſcendi & virtutes intellectuales conſequatur*, quemadmodum in parte prima Ethicæ demonſtravimus. *Quænam in obſervanda.*

Cum culpa a non uſu facultatum proficiſcatur (§. 641. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quo magis is perficitur & quo majus virtutes intellectuales capiunt incrementum & ad directionem actionum humanarum adhibentur, eo quoque minus verendum, ne culpa quadam noſtra committatur, quod nobis, vel aliis nocere poterat, aut puritati animi officiatur (§. 608. *part. 2. Eth.*), cui ut operam navemus, ipſa lege naturæ obligamur (§. 604. *part. 2. Eth.*), felicitatis noſtræ cauſa, cujus non contemnenda pars eſt animus ab omni culpæ ſenſu vacuus (§. 685. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 181.

Studium vitandi culpam virtus eſt. Quoniam enim culpam quamlibet vitare debemus (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*) & ne culpa quidem agere licet, quæ lege naturali prohibentur (§. 882. *part. 1. Jur. nat.*); qui culpam vitare ſtudet, conſequenter habitum ſibi comparat facultatibus cognoſcendi, quicquid agit, ita utendi, ne culpa quædam committatur, actiones ſuas legi naturæ conformiter dirigit. Quamobrem cum omnis habitus dirigendi actiones legi naturæ conformiter virtus ſit (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſtudium vitandi culpam virtus eſt. *An ſtudium vitandi culpam virtus ſit.*

Eſt nimirum virtus quædam generalis, quæ in virtutes ceteras omnes influit, & quamvis tanquam pars curæ pro anima gerendæ ſpectetur, non tamen abſurdum eſt, ut virtus quædam tanquam pars alterius conſideretur, quæ plurium virtutum complexus eſt. At nobis perinde eſt, ſive habitum vitandi culpam, ſeu indefeſſum vitationis culpæ ſtudium pro virtute peculiari, ſive pro parte curæ pro anima gerendæ habeas, modo agnoſcas, ſi curam pro anima habere velis, te ſollicitum quoque eſſe debere, ut in agendo culpam vites. Quoniam tamen culpam vitare actu nequis, conſequenter ſollicitudo fruſtranea eſt, niſi ante didiceris, quomodo vitari poſſit; habitum vitandi culpam ab ejus exercitio diverſum eſſe, nec ſine ratione diſtingvi facile agnoſces. Studium vero indefeſſum vitandi culpam in habitu iſto acquirendo, conſervando & perficiendo collocatur, ſicuti cura pro anima gerenda eodem utitur & ad eum acquirendum, conſervandum & perficiendum nos impellit. Ceterum ex ipſa demonſtratione intelligitur, in quo ſtudium vitandi culpam conſiſtat. Plurimum autem in eodem debetur experientiæ, qua docemur, quænam culpa noſtra damna ex actionibus noſtris conſequi poſſint. Horum enim notitia requiritur, cum eorum prævisio quamvis ſaltem probabilis culpam ab actionibus noſtris arceat & ut circumſpecte agamus nos impellat. Circumſpectio autem nunquam nimia cenſenda, quamvis ſuperflua videri poſſit. In iis, quorum prævisio certa non eſt, circumſpectio nunquam nocet, ut nullibi magis valeat pervulgatum iſtud: ſuperflua non nocent. Accedit, quod præter omnem neceſſitatem ſollicitudinem ad agendum requiſitam augeat, ſi quis demum inquirere velit, num hic & nunc circumſpectione opus ſit, an vero absque periculo ullo prætermitti poſſit, niſi ſingulares circumſtantiæ hanc deliberationem urgeant.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Cura corporis.

§. 182.

Cura corporis dicitur, quæ confertur in perfectionem corporis tam eſſentialem conſervandam, quam accidentalem acquirendam, conſervandam & perficiendam.

Cura corporis quænam ſit.

Differt in hoc cura corporis a cura animæ, quod etiam conferenda ſit in perfectionem eſſentialem. Perfectio eſſentialis animæ conſervatione nulla indiget, cum anima indeſtructibilis ſit, conſequenter ea, quæ ipſi per eſſentiam & naturam ſuam inſunt, poteſtati noſtræ ſubjecta non ſint. Aliter vero ſeſe res habet in corpore noſtro. Pendet perfectio corporis eſſentialis ab integritate organorum ſingulorum corporis, conſequenter a ſtructura ſingularum partium atque totius corporis, quemadmodum luculenter oſtendimus (§. 317. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*). Ecquis vero eſt, qui neſciat, ſtructuram eſſe deſtructibilem & multos dari caſus, in quibus nunc hujus, nunc illius organi ſtructura vitiari, immo totum corpus deſtrui poſſit? Neque ignotum eſt, caſus iſtos non omnes poteſtati noſtræ ſubduci, ut nobis ſint inevitabiles. Quamobrem cum corporis perfectio conſervetur, quamdiu illæſa manet ſingularum partium totiusque corporis ſtructura; quin in conſervandam perfectionem eſſentialem corporis curam conferre poſſimus ſatis intelligitur.

§. 183.

Quænam ad conſervationem requirantur.

Quoniam cura corporis in conſervationem perfectionis eſſentialis corporis conferenda (§. 182.), ea vero ſubſiſtit, quamdiu corpus vivit (§. 368. *part. 1. Jur. nat.*) & ſanum eſt (§. 391. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque & integritas omnium orga-

organorum corporis illæſa (§. 345. *part. 1. Jur. nat.*), morbus ex adverſo corpus imperfectioni cuidam obnoxium reddit (§. 392. *part. 1. Jur. nat.*); *cura corporis requirit curam vitæ, ſanitatis & integritatis membrorum corporis conſervandorum, morborum præcavendorum & depellendorum.*

Cura corporis potiſſima pars eſt, quæ in conſervationem perfectionis eſſentialis impenditur, & ad curam ſanitatis potiſſimum redit. Cum ſanitate enim corporis vita quoque conſervatur, & qui ſanitatis curam gerit, morbos etiam præcavet, quantum in ſe eſt, & ubi morbum præcavere minime potuit, venienti tamen occurrit eique, quantum in poteſtate eſt, mederi ſtudet. Cura igitur corporis præcipue in cura in ſanitatem conferenda conſiſtit.

§. 184.

Ea porro expenduntur.

Similiter quoniam cura corporis in perfectionem accidentalem quoque conferenda (§. 182.), præter uſus vero facultatis locomotivæ, qui volitionibus & nolitionibus animæ ſolis reſpondent, verum per ſe appetitionibus & averſionibus ſenſitivis ſolis reſpondere nequeunt, cum natura non inſint, ſed demum acquirendi (§. 314. *part. 1. Jur. nat*), non datur in corpore, quod noſtræ poteſtati ſubjectum ſit, ideoque perfectio accidentalis corporis in habitibus facultatis locomotivæ conſiſtit, præſertim iis, qui artibus exercendis inſerviunt (§. 260. *part. 1. Jur. nat.* & §. 483. *part. 1. Eth.*); *cura corporis quoque requirit eam, quæ in artes acquirendas conferenda, quatenus iisdem ad perſonam nobis impoſitam recte gerendam opus habemus* (§. 426. *part. 3. Eth.*), *pro eo ſcilicet, quod ſequimur, vitæ genere.*

Cura, quæ confertur in conſervandam perfectionem eſſentialem, omnium hominum eadem eſt; at quæ confertur in acci-

accidentalem pro diverſo vitæ genere, quod quis ſequitur, variat. Dantur tamen principia generalia, quæ omnibus tenenda, quascunque demum artes colant, quæ manuum, aut aliorum corporis membrorum uſum poſtulant. Et ea nobis tradenda ſunt in philoſophia morali, in qua non aliud agitur, quam ut voluntas determinetur ad ea facienda, quæ artis comparandæ ac perficiendæ cauſa fiunt. Non docentur in ea artes; ſed inculcatur ſtudium, quod in iis addiſcendis & exercendis addiſcendum.

§. 185.

Amor vitæ homini naturalis eſt. Appetitus enim hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem (§. 30. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem inde percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*), ea vero amemus, quæ voluptatem nobis afferunt (§. 654. *Pſych. empir.*); amor vitæ homini naturalis eſt. *De amore vitæ naturali.*

Amor vitæ naturalis plerumque ſepultus latet, quatenus vel in notionibus confuſis involvitur, vel de vita non cogitatur. Propterea tamen in dubium vocari nequit. Sufficit animum hominis eſſe diſpoſitum ad voluptatem ex vita percipiendam, & actu ex ea voluptatem percipi, quando conſideratur, quale ſit bonum (§. 657. *Pſych. empir.*). Amoris iſtius indicium eſt, quod homines vivere malint, quam mori. Et quamvis ſubinde videantur non magni facere vitam, quamdiu nullum periculum vitæ imminet; mentem tamen mutant, quando finem ejus inſtare ſibi perſuadent. Parum me movent illi, quos vitæ pertædet miſeriæ vel præſentis, vel futuræ, quam metuunt, cauſa. Quoniam enim mortem vitæ miſerrimæ præferunt, ex eo ipſo intelligitur, quod vitam ament, quippe quæ non diſplicet per ſe, ſed propter miſeriam, quæ indivulſo quodam nexu cum eadem cohæret. Immo non deſunt, qui malunt cum miſeria conflictare, quam vita privari. Quacunque vero de cauſa id malint, ſemper

per tamen hinc patet, quod vitam ament. Immo amor vitæ non clarius eluceſcit, quam in hoc ipſo caſu. Quicquid contra amorem vitæ naturalem allegaveris, id ipſum erit argumentum pro eodem, modo id diſtincte expendas.

§. 186.

De naturali horrore mortis.

Horror mortis homini naturalis eſt. Facultas enim averſandi naturaliter ad nihil magis, quam ad mortem averſandum determinata eſt (§. 32. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum mortem non adeo vehementer averſemur, niſi quia inter mala deſtructiva omnium maximum (§. 59. *part. 2. Eth.* & §. 893. *Pſych. empir.*), repræſentatione autem mali ingentis horror concitatur (§. 837. *Pſych. empir.*); horror mortis homini naturalis eſt.

Horror mortis in averſatione ſenſitiva reſpondet amori vitæ in appetitu ſenſitivo. Qui vitam amat, mortem horret. Tendit amor vitæ ad vitam conſervandam (§. 294. *part. 2. Eth.*), conſequenter qui vivere cupit, mortem fugit, quæ in privatione vitæ conſiſtit. Ac ideo amori vitæ adhæret horror mortis. Hæc ſatis manifeſta ſunt ex affectuum horum notionibus. Horror mortis utique ſeſe non exerit, niſi conſideretur, quale ſit malum, & tanquam certo adventura ſpectetur. Quodſi vero quidam intrepidi morti imminenti occurrant, rationes peculiares dantur, quæ alios affectus concitant horrorem vincentes, aut ſaltem vim ipſi detrahentes, atque attentionem a morte avocant. Horrorem quoque mortis haud parum minuit, quod certo conſtet hominibus omnibus eſſe moriendum, nec contra mortem ullum dari remedium. Quodſi quorundam hæc eſſet prærogativa, ut mortem ſubire non cogerentur, quemadmodum ceteri; dubium non eſt, quin mortis cogitatio magis moleſta accideret & horror, qui homini naturalis eſt, majores vires acquireret. Accedit, quod homines ſperant, quamdiu ſpirant, & tandem mors finem

finem vitæ imponat, ut ſe mori non ſentiant. Hæc non proferuntur niſi eo fine, ut elidantur objectiones, quæ contra horrorem mortis naturalem moveri poterant. Quemadmodum inclinationes & reclinationes naturales in ſe nihil vitii habent (*not. §. 41. part. 2. Eth.*), ab intellectu tamen regendæ, ut eo dirigantur, quo per naturam tendunt (*§. cit.*); ita quoque amor vitæ naturalis eidemque colrærens horror mortis naturalis in ſe nihil vitii habet, ab intellectu tamen regendus, ut intentioni naturæ, ſeu ejus autoris Dei, convenienter eodem utamur. Atque hoc ipſum eſt, quod in Ethica docendum.

§. 187.

De vitæ conſervatione propter Deum.

Homo vitam ſuam conſervare debet propter Deum. Homo enim a Deo conditus eſt, ut conſideratione mundi eundem agnoſcat (§. 73. *part. 3. Eth.*) & gloriam ipſius promoveat (§. 115. *part. 3. Eth.*). Quamobrem cum hoc fieri non poſſit, niſi vivat, quod per ſe patet; homo vitam ſuam conſervare debet non ſui cauſa, ſed propter Deum.

Vulgo dicitur, hominem factum eſſe propter Deum: aſt qui novit, quid ſit factum eſſe propter Deum, ignorare nequit, quod homo vitam ſuam conſervare debeat propter Deum, nimirum ut eum agnoſcere & gloriam ejus promovere poſſit. Vide, quæ alias annotavimus (*not. §. 115. 116. part. 3. Eth.*).

§. 188.

Quod homo Deo vivere debeat.

Quoniam homo vitam ſuam conſervare debet propter Deum (§. 187.); *non ſibi vivit, ſed Deo vivere debet.*

Plerique homines non perpendunt, cur vivant, nec ad quæſtionem illam, dic cur hic? reſpondere valent. Ipſo autem facto declarant, quod tacite ſaltem foveant hanc opinionem, ſibi eſſe vivendum. Atque inde eſt perverſa vi-

vendi ratio, quæ rationi, qua homo a brutis differt, parum convenit. Nulla ſane creatura ſibi vivit, aut in mundo exiſtit, & exiſtentiam ſuam per quantumcunque temporis tractum continuat, niſi propter Deum. Sunt enim in univerſum omnes ſpecula perfectionum divinarum (§. 785. *part. 1. Theol. nat.*), ut per eas perfectio ſumma Dei manifeſtetur (§. 798. *& ſeqq. part. 1. Theol. nat.*), ideoque gloria Dei promoveatur (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem hoc ſingulare non eſt, quod homo non ſibi, ſed Deo vivere debeat.

§. 189.

Quatenus homo propter alios vivit.

Homo vivit propter alios, ſed non aliter quam propter Deum, & ad conſervationem vitæ aliorum conferre, quantum poteſt, debet propter Deum. Unusquisque enim hominum ad perfectionem alterius per ipſam eſſentiam atque naturam ſuam conferre obligatur, quantum conferre valet (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & ea omittere, quæ tendunt ad imperfectionem alterius (§. 231. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum hoc modo, dum vivit, utilem ſe præſtet aliis; propter alios vivit. *Quod erat unum.*

Enimvero cum perfectio hominis conſiſtat in aptitudine repræſentandi perfectionem Dei ſummam, ſeu gloriam ejus promovendi (§. 917. *part. 1. Theol. nat.*), perfectionem aliorum promoturus operam dare tenetur, ut & ipſi evadant apti, qui gloriam Dei promoveant, conſequenter Deo, non ſibi vivant. Quamobrem cum propter alios vivamus, quatenus eorum perfectionem promovere, imperfectionem avertere debemus, *per demonſtrata n. 1.* homo non aliter vivit propter alios, quam propter Deum. *Quod erat ſecundum.*

Quo-

Quoniam vero aliorum perfectio promoveri nequit, nisi vita ipsorum conservetur, quod per se patet, ad aliorum perfectionem promovendam obligati ad conservationem quoque vitæ eorundem conferre debemus, quantum valemus. Enimvero alios perficere debemus propter Deum, *per demonstrata n. 2.* Quare ad vitæ aliorum conservationem conferre debemus, quantum possumus, propter Deum. *Quod erat tertium.*

Cum nemo hominum sibi vivere debeat, sed Deo (§. 188.); ideo nec aliis vivere potest, nisi propter Deum. Atque ita demum omnia referuntur ad Deum, ut finis obtineatur etiam ex parte hominis, ob quem Deus hoc universum condidit. Ideo nimirum homines obtinent locum in hac rerum serie & in mundo vivunt, quia Deus mundum ideo condidit, ut perfectionem summam manifestaret. Et si homo nec sibi, nec aliis viveret, sed Deo, vitamque suam & aliorum non conservare studeret, nisi propter Deum, felix foret, & appetitus ejus naturaliter ad felicitatem determinatus satiaretur, qui nunquam satiari potest, quamdiu sibi & aliis vivere vult propter se, vel alios, non vero propter Deum: id quod sufficienter intelliget, qui ea intime perspexit, quæ in parte tertia Ethicæ & in anterioribus demonstravimus. Nemo igitur existimet, quasi Ethicam, quam partem Philosophiæ facimus, aliter pertractemus, quam Philosophiæ conveniat: nihil enim statuimus, nisi quod ex principiis rationis demonstratur, prout apparet, si demonstrationum analysin instituere volueris (§. 992. *Log.*). Lætamur consensu philosophiæ cum theologia revelata, aut, si mavis, rationis ac fidei, nec diffido fore, ut philosophiæ, quam profitemur, inde agnoscatur utilitas, nostro præsertim seculo profano.

§. 190.

Homo de vita sua conservanda & impendenda non statuere debet — *Quomodo statuendum*

ſit de vita conſervanda & impendenda.

bet pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei. Etenim homini non competit dominium in vitam ſuam (§. 351. *part. 1. Jur. nat.*); nec ipſi competit jus ſe privandi vita (§. 353. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum dominium in re competere debeat ei, qui de ea atque uſu ejusdem pro ſuo arbitrio diſponere vult (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*); homo de vita ſua conſervanda & impendenda pro lubitu ſuo diſponere nequit. *Quod erat unum.*

Enimvero Deus eſt hominum dominus (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ipſi competit dominium in hominem (§. 964. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter & ipſe de vita hominis conſervanda & impendenda diſponere poteſt, prouti ſibi viſum fuerit (§. 959. *part 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum voluntas Dei homini eſſe debeat loco propriæ voluntatis (§. 971. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter ei permiſſum non ſit, ut jus Deo competens inhiet; de vita conſervanda & impendenda ſtatuere debet ex voluntate Dei. *Quod erat alterum.*

Vita noſtra dicitur, quatenus conſideratur tanquam accidens nobis inhærens, perinde ac color dicitur eſſe floris, aut jus nobis compotens jus noſtrum, non vero quia jus in vitam noſtram habemus, quo ſenſu res, quæ ſunt in dominio noſtro, appellamus noſtras. Qui vocabula, quibus utuntur, per diſtinctas notiones explicare non ſolent, facile diverſa, quæ per eadem vocabula ſignificantur, inter ſe confundunt & quæ de uno norunt perperam ad alterum applicant. Ita contingit, ut, qui vident, nos de rebus, quæ dicuntur noſtræ, pro lubitu diſponere poſſe, ſibi quoque perſuadeant, nos de vita noſtra pro lubitu diſponere poſſe, quaſi nobis idem jus competat in vitam, quod habemus in rem aliam quamcunque noſtram, quam prouti nobis viſum fuerit conſervare, aut deſtruere, aut in uſum quemcunque noſtrum impen-

impendere valemus. Qui enim distincta dominii notione destituuntur, nec perpendunt, unde hoc jus tandem tanquam ex primo fonte derivetur, idem latius extendunt, quam par erat, quasi dispositio de rebus nostris sit prorsus arbitraria, nec ulla obligatione restringatur. Novimus jus tandem omne ex obligatione quadam passiva oriri (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*). Et qui saltem institutiones nostras Juris naturæ ac Gentium perlegit, is ignorare nequit. quomodo omnia jura ex obligatione naturali, quæ rationem sufficientem in essentia & natura humana habet (§. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*), continuo quasi flumine deducantur. Quodsi ergo quis putet, sibi competere jus in vitam suam, vi cujus de ipsa & usu ejus pro lubitu disponere possit; ostendat necesse est, ex quanam obligatione id derivetur. Huc si animum advertissent Stoici, autochiriam instar facti heroici minime celebrassent. Quamvis enim non agnovissent, nos violare jus Dei; nullam tamen esse rationem sufficientem laudandi id, quod nullo jure fit, facile videre potuissent. Non minus autem a vero aberrant, qui sibi persuadent, se pro lubitu vitam impendere ac, quomodo placuerit, conterere posse. Ostendant enim fontem hujus juris, nimirum obligationem, ex qua fluat, aut, si non possint, fateantur necesse est, se nullo jure hoc facere: quod absurdum agnoscere tenentur, nisi omnem obligationem cum jure omni tollere atque libertatem naturalem in licentiam convertere velint. Homines in suis actionibus multa tacite supponunt, de quibus ipsi non cogitant nescientes, quænam in illarum determinationem influunt.

§ 191.

Quoniam homo de vita sua conservanda & impenden- *Quotuplex*
da non statuere debet pro lubitu suo, sed ex voluntate Dei *sit cura vi-*
(§. 190.); ideoque non ab ipsius arbitrio pendet, utrum *te & de*
eam conservare, an destruere, & quomodo eam conterere *termino ejus.*
velit, Deus autem vult, ut vitam nostram conservemus

Digitized by Google

(§. 350. *part. 1. Jur. nat.* & §. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ut unusquisque, cum omnibus sit laborandum (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*), nemini otiandum (§. 515. *part. 1. Jur. nat.*), cum laborem seligat, cui obeundo se parem sentit (§. 528. *part. 1. Jur. nat.*), utiliorem præferens minus utili, cui pares sunt alii multi (§. 529. *part. 1. Jur. nat.*); *cura vitæ duplex est, altera, quomodo vita conservanda, altera quomodo impendenda & conterenda.* Quoniam vero vita nostra a nexu quoque rerum in hoc universo pendet, cum multi dentur casus vitæ nostræ fatales, quos evitare in potestate nostra non est, Deus vero nexum rerum sapientia & bonitate sua constituit (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*) & per eum mundum gubernat (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ipse terminum vitæ constituit, in ipsius autem providentia acquiescere debemus (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*); *si ea fecimus, quæ ad vitæ nostræ conservationem conferre possumus, curam termini vitæ in totum Deo relinquere debemus, &, quando imminet, libenter de vita migrare, quando differtur, moram sine omni ægritudine ferre, quieto scilicet ac tranquillo animo.*

Homo non tantummodo vivit, ut vivat, sed vivit propter finem, ob quem in hac serie rerum locum obtinuit. Atque hinc æstimanda est cura vitæ conservandæ & impendendæ ac conterendæ. Qui de fine vitæ non cogitant, ideoque saltem tacite sibi persuadent se vivere ut vivant, cum ipsa natura, quæ amorem vitæ hominibus instillavit (§. 185.), vitæ conservationem ipsis commendet, vitæ conservationem tanquam finem vitæ intendunt, atque ideo de acquirendis iis tantummodo solliciti sunt, quæ ad vitæ conservationem faciunt. Istiusmodi ergo occupationibus vitam omnem impendunt eamque conterunt, quasi homini de alio non sit cogitandum, quam ut habeat, unde vivat. Hæc autem cura diversimode modificatur pro diversitate vitiorum in ea influentium, de

quibus

quibus poſtea dicemus. Cum vero homini etiam inſitus ſit felicitatis appetitus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & notione boni deceptrice (§. 6. *part. 2. Eth.*), ſtatus jucundus cum felicitate confundatur (§. 105. *part. 2. Eth.*), hunc finem vitæ ſibi conſtituunt voluptuoſi (§. 166. *part. 2. Eth.*) & honoris cupidi (§. 178. *part. 2. Eth.*), conſequenter illi ſe ideo vivere putant, ut ſenſus ſuos hilarent, hi vero non aliud ſibi agendum eſſe exiſtimant, quam ut dignitatem aut gloriam conſequantur, quam opinione vulgi æſtimant de veritate parum ſolliciti. Atque hæc ratio eſt, cur maxima pars hominum vitam aliter conterat, quam ratio jubet atque hominem decet, conſequenter vitam hominis minime vivat, niſi quatenus caſus errori verum miſcet & neceſſitatem agendi, quod agendum erat, imponit, ut præter intentionem agentis fiat, quod in ſe bonum eſt, & ipſi malo inſit quidpiam boni, ſicut erroribus implicatur aliquid veri: id quod divinæ directioni malorum ad bonum finem tribuendum, quæ haud poſtrema pars eſt gubernationis hujus univerſi (§. 904. *part. 1. Theol. nat.*), ſeu providentiæ divinæ (§. 929. *part. 1. Theol. nat.*). Cura igitur vitæ conſervandæ & impendendæ ac conterendæ in Ethica ad rectitudinem revocanda. Quod terminum vitæ attinet, per ſe patet mortem habere ſuam cauſam naturalem, quatenus conſervatio & deſtructio corporis a cauſis externis, non in totum a nobis dependet. Per ſtructuram corporis & conſtitutionem ſingularum partium poſſibile eſt, ſi ſupponatur rectus uſus ſex rerum non naturalium, ut homo certam ætatem vivat. Enimvero prouti variat rerum non naturalium influxus in corpus noſtrum, vel caſus quidam fatales eidem accidunt, nonniſi eam ætatem attingit, quam cauſæ iſtæ permittunt, quibus ad actum perducendum erat, quod fuerat poſſibile. Accedit autem non una de cauſa, ut uſus rerum non naturalium, in quantum conſervationi corporis convenit, in poteſtate noſtra non ſit, caſus vero fatales evitare multo minus in eadem eſt, nec adeo facile eſt, multo minus cujusvis avertere abuſum rerum non naturalium corpori

pori inimicum. Accedit, quod corpus ſenſim ſenſimque ad interitum diſponatur per varias cauſas nobis non advertentibus. Terminus itaque vitæ nobis ignotus eſt, & citatim haud raro ad mortem properamus, dum eam fugere volumus. Enimvero quatenus in nexu rerum cauſæ omnes continentur, qui ſoli Deo perſpectus eſt (§. 156. *part. 1. Theol. nat.*) & eundem conſtituit (§. 200. *part. 1. Theol. nat.*), cum ipſe voluerit hanc ſeriem rerum exiſtere (§. 325. *part. 1. Theol. nat.*), terminum vitæ uniuscujusque hominis conſtituit, ultra quem nemo ætatem provehere poteſt. Sunt in cauſarum iſtarum numero etiam hominum voluntates, in quantum uſus rerum non naturalium & evitatio quorundam caſuum ab iis pendent. Atque hinc intelligitur, quomodo homo abbreviare poſſit vitæ terminum, & in Ethica docendum, quanam cura opus ſit, ne hoc faciat.

§. 192.

Motivum vitæ conſervandæ & recte impendendæ.

Qui vitam conſervare & recte impendere atque conterere vult, perpendere debet, ſe non ſibi vivere, ſed Deo, nec aliter vivere aliis, niſi propter Deum, & de vita conſervanda atque impendenda non ſtatuere debere pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei. Etenim qui perpendit, ſe non ſibi vivere, ſed Deo, nec aliter vivere aliis, niſi propter Deum, cum ſupponatur certam eſſe ipſius cognitionem, ideoque vivam (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut fiat motivum voluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*); is tamdiu vivere volet, quamdiu Deo placuerit, conſequenter nihil eorum omittet, quæ ad conſervationem vitæ ſuæ conferre poteſt, ne terminum vitæ, quem alias attingere poterat, ſua culpa abbreviabit (§. 750. 758. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi agnoſcat, de vita conſervanda ſtatuendum eſſe non pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei, cui obedire tenetur (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*); is multo magis

Digitized by Google

gis ſibi cavebit, ne quicquam committat, quod conſervationi vitæ adverſetur, ſi vel maxime adſint rationes quædam, quæ hoc ipſi ſuadent, & appetitum in id alliciunt, conſequenter voluntas conſervandi vitam efficietur conſtans atque perpetua (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Patet itaque, ſi quis vitam conſervare velit, ei perpendendum eſſe, quod non ſibi vivat, ſed Deo, nec aliter vivat aliis niſi propter Deum, neque pro lubitu ſuo de vita conſervanda ſtatuere debeat, ſed ex voluntate Dei. *Quod erat unum.*

Similiter ſi quis perpendit, ſe non ſibi vivere, ſed Deo, nec aliter aliis, niſi propter Deum, & de vita impendenda non ſtatuere debere pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei, cum perinde ac ante ſupponatur cognitio viva, is minime volet ea facere, quæ ſibi placent, & vitam conterere', prouti ſibi volupe fuerit, quin potius conſtantem ac perpetuam habebit voluntatem vitam ſuam voluntati divinæ conformiter conterendi. Quamobrem patet, qui vitam recte impendere atque conterere vult, ei probe perpendendum eſſe, quod non ſibi vivat, ſed Deo, nec aliis vivat aliter, quam propter Deum, nec de vita impendenda pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei ſtatuendum eſſe. *Quod erat alterum.*

Habemus itaque motivum curæ pro vita gerendæ, cujus pars una reſpicit vitæ conſervationem, altera conſumtionem. Supponitur utique hominem habere voluntatem bonam, quæ generaliter diſpoſita eſt ad agendum, quod Deus vult, & non agendum, quod non vult (§. 121. *part. 2. Eth.*): Quamdiu enim voluntas non fuerit bona, oleum & operam perdis, ſi eam in particulari ad has vel illas actiones committendas determinare velis. Et quamvis forſan contingat ut volitionem elicias momentaneam, vel etiam efficacem pro caſu præſenti; deeſt tamen conſtantia & perpetuitas, nec ipſa actio

labe omni caret tacite influentibus vitiis, quæ motivo pro præſenti efficaciam addunt. Quamobrem in parte ſecunda Ethicæ docuimus, quomodo voluntas bona effici debeat, & in parte prima, quomodo intellectus ſit perficiendus in uſum voluntatis bonæ ac perfectæ. In ceteris itaque partibus ſupponitur, ea jam facta eſſe, quæ ibi præcipiuntur. Atque hæc in genere notanda ſunt de praxi morali, ne quis ſibi perſuadeat, motiva, media & remedia, quæ traduntur, non eſſe ſufficientia.

§. 193.

De dominio Dei agnoſcendo & expendendo.

Quoniam qui vitam conſervare vult, probe perpendere debet, ſe de vita conſervanda non ſtatuere debere pro lubitu ſuo, ſed ex voluntate Dei (§. 192.), Deo autem competit jus ſtatuendi de vita noſtra, quia dominus noſter eſt (§. 966. 959. *part. 1. Theol. nat.*); *ſi quis lubenter facere velit, quæ ad vitæ conſervationem facere poteſt, eaque vitare, quæ eidem nocent, nec vitæ periculo ſe temere objicere, dominium Dei agnoſcere idemque expendere tenetur.*

Conſideratio dominii divini duplicem habet utilitatem, nimirum ut curam vitæ debitam non negligamus & ne cura inani animum defatigemus. Cum enim Deo qua domino competat jus nobis præſcribendi, quid facere debeamus (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*), ut ideo actiones noſtras determinare teneamur, quemadmodum vult Deus (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*), Deus autem velit, ut vitam noſtram conſervemus (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*); qui dominium Dei agnoſcit, ea faciet, quæ ad vitæ conſervationem facere poteſt. Curam igitur vitæ debitam non negliget. Quoniam vero etiam Deo qua domino noſtro competit jus diſponendi de ipſa vita noſtra (§. 970. *part. 1. Theol. nat.*) & qua domino totius univerſi ac naturæ rerum (§. 963. *part. 1. Theol. nat.*) etiam jus

gubernandi hoc universum prouti ipsi visum fuerit (§. 899. *part. 1. Theol. nat.*), ad hanc vero gubernationem utique pertinent casus fatales, quos evitare in potestate hominis non est (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*); qui dominium Dei agnoscit, nec ignorat quomodo hoc jus in gubernatione mundi exerceat (§. 1066. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque se totum ac vitam suam providentiæ divinæ committit & in ea acquiescit, omnem animi sollicitudinem de casibus fatalibus abjicit. Cura igitur inani animum non fatigat. Et huc pertinet, ut animo simus intrepido, quando necessitas nobis imponitur vitæ periculum subeundi. Dicemus autem de hoc differtius suo loco. Ne autem temere nos periculo objiciamus ad partem curæ primam pertinet.

§. 194.

In curam vitæ influit obedientia erga Deum, fiducia & acquiescentia in providentia ipsius. Qui enim curam pro vita gerit, eam conservare studet (§. 191.); Quoniam vero de vita conservanda non pro lubitu suo, sed ex voluntate Dei statuit (§. 190.); vitam suam conservare studet, quia Deus vult, ut eandem conservet, ea vero, quibus vita labefactatur, vel periculum eidem creatur, fugit, quia Deus vult, ut fugiat. Quamobrem cum Deo se præbeat obedientem, qui promptę facit, quod Deus vult, & non facit, quod non vult (§. 1164.) *part. 1. Jur. nat.*); in curam vitæ obedientia erga Deum influit. *Quod erat unum.* *De obedientia erga Deum, fiducia & acquiescentia in providentia divina in curam vitæ influente.*

Enimvero qui curam pro vita gerit, quemadmodum debet, ubi ea fecit, quæ ad vitæ conservationem conferre potest, curam termini vitæ Deo in totum relinquit & quando imminet lubenter de vita migrat, quando differtur, sine ægritudine animo quieto & tranquillo fert (§. 191.). Quamobrem cum Deo confidat, qui se totum resque suas provi-

Digitized by Google

dentiæ divinæ committit, ſperans quod ex parte ſua melius (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), & in providentia divina acquieſcit, qui appetitum & averſationem moderatur ex ſenſu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione hujus univerſi (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*), ut ſibi placeat, quod viſum fuerit Deo; in curam vitæ fiducia erga Deum & acquieſcentia in providentia divina influit. *Quod erat alterum.*

Officia erga Deum influere debent in omnes actiones noſtras, cum Deum in omnibus actionibus colere debeamus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem in Ethica quoque docendum, quænam officia influant in quodlibet actionum genus. Influxus autem officiorum erga Deum maxime convenit curæ pro vita gerendæ, cum vitam conſervare debeamus propter Deum (§. 187.), nec nobis vivere, ſed Deo (§. 188.). Ethica omnino aliam prorſus induit formam, ſi virtutes omnes cum officiis erga Deum ſocientur, per quæ ſingulariter modificantur, ut & ipſæ aliam formam induant, utpote ex modo determinandi voluntatem, & ex ſtatu animæ, qui hanc determinationem comitatur, æſtimandum. Aſt Ethicam tradimus, qualis ex principiis rationis deducitur, quam ducem in philoſophando ſequimur. Homo, cum rationalis ſit, vitam hominis vere non vivit, niſi vivat rationi convenienter. Ratio autem nos docet, Deum in omnibus actionibus eſſe colendum, conſequenter virtutem ad plenitudinem nondum creviſſe, quamdiu ab officiis erga Deum ſejuncta.

§. 195.

Vitam conſervare naturæ convenit, eam lædere naturæ repugnat.

Curam vitæ conſervandæ naturæ humanæ maxime convenit: vitam labefactare, aut ſe eadem privare contra naturam eſt. Etenim corpus noſtrum organis vitalibus inſtructum, quæ vitæ conſervationi deſtinantur (§. 303. 304. *part. 1. Jur. nat.*), &

ob

ob quæ homini tribuitur facultas vitalis (§. 306. *part. 1. Jur. nat.*). Uſus hujus facultatis homini natura ineſt (§. 307. *part. 1. Jur. nat*), & ſingula organa agunt, quod ſuum eſt, anima inſcia & inconſulta (§. 308. *part. 1. Jur. nat.*). Quando itaque homo actiones quoque liberas ita dirigit, ut nihil eorum omittat, quod ad conſervationem corporis conferre poteſt, nec quicquam faciat, quod eidem adverſatur; idem facit, quod ſingula organa vitalia per eſſentiam & naturam ſuam faciunt, & ad quod eum impellit amor vitæ naturalis (§. 185. *b.* & §. 294. *part. 2 Ethic.*). Quamobrem cum cura vitæ conſervandæ in eo conſiſtat, ut ſolliciti ſimus, ne quicquam eorum omittatur, quod ad conſervationem corporis conferre poſſumus, nec committatur, quod eidem adverſatur; cura vitæ conſervandæ naturæ humanæ maxime convenit. *Quod erat unum.*

labefactare, vel eadem ſe privare contra naturam eſt.

Quoniam vitæ conſervandæ cura naturæ humanæ maxime convenit, *per demonſtrata*; quicquid conſervationi vitæ contrariatur, naturæ humanæ contrarium eſt. Quamobrem vitam labefactare, aut ſe eadem privare contra naturam eſt. *Quod erat alterum.*

Tendit natura corporis ad ſui conſervationem, & natura animæ hominem impellit ad conſervationem vitæ. Cura igitur vitæ conſervandæ naturæ conveniens eſt: ideoque actiones eidem oppoſitæ contra naturam ſunt. Atque in hoc conſiſtit honeſtas naturalis curæ pro vita gerendæ, & turpitudo naturalis actionum eidem contrariarum, ac inprimis autochiriæ. Honeſtas & turpitudo naturalis actionum ſunt motiva ad rectitudinem actionis requiſita (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Aſt hæc motiva efficacia non ſunt, niſi voluntas generaliter fuerit determinata ad vitam naturæ ſuæ convenientem atque rationi conformem vivendam. Monuimus jam alias, ſi homines omnes ſufficiente acumine pollerent, nec

[illegible] [illegible] [illegible] [

§. 196.

Qui vita ſeipſum privat, jus Dei violat: autochiria injuria eſt in Deum commiſſa. Qui enim vita ſeipſum privat, de vitæ termino pro lubitu ſuo ſtatuit, non vero Deo relinquit, ut eundem conſtituat. Quamobrem cum Deo tanquam domino noſtro (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), competat jus terminum vitæ conſtituendi (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*); qui ſeipſum vita privat, jus Deo competens ſibi arrogat, conſequenter id violat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.* *De turpitudine autochiriæ.*

Qui vita ſeipſum privat, jus Dei violat, *per demonſtrata n. 1.* Enimvero juris alterius violatio injuria eſt (§. 459. *part. 1. Jur. nat.*). Autochiria igitur, quæ eſt factum, quo quis ſibimetipſi vitam adimit (§. 354. *part. 1. Jur. nat.*), eſt injuria in Deum commiſſa. *Quod erat alterum.*

Patet hinc turpitudo naturalis autochiriæ, a quo parum differt labefactatio vitæ, qua mors acceleratur, veluti ſi quis ingurgitatione, aut libidinibus vitam perdit. Nemo eſt qui non agnoſcat, quam turpe ſit violare jus alterius, cum nemo velit jus ſuum violari ab altero. Quod vero tam parum attendatur violatio juris Deo in creaturas atque in vitam noſtram competentis, ignorantia ejus in cauſa eſt falſaque opinio, quaſi violatio iſtius juris non multum habeat in receſſu. Quodſi ad animum revocaremus majeſtatem divinam & perpenderemus, quanti ſit violari jus Domini ſupremi ab homine ſervo ipſius (§. 967. *part. 1. Theol. nat.*); facile comprehendere poteramus, quanta ſit injuria violatio juris Deo competentis & per conſequens quam infame factum ſit autochiria, ut non immerito ſummis flagitiis accenſeatur, homine maxime indignis. Abſit tamen, ut autochiriam manifeſtam cum illa ſubtili, quæ in occulto latet ac vulgo non agnoſcitur, in eundem cenſum referas. Hæc enim ab illa differt, quemadmodum factum culpoſum a doloſo. Habenda vero hic etiam eſt ratio imputationis.

tationis. Conſtat enim actiones furioſorum, delirantium & melancholicorum imputari non poſſe (§. 567. 574. 576. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 197.

An autochiria aliquam habeat excuſationem.

Quoniam autochiria eſt injuria in Deum commiſſa (§. 196.), & homo terminum vitæ in totum Deo relinquere debet, moram quieto ac tranquillo animo ferens, ſi is differtur (§. 191.); *autochiria voluntaria*, quæ ſcilicet committitur a ſciente atque volente, *nullam habet excuſationem*, ideoque *multo minus licita exiſtimari poteſt.*

Intelligitur hinc, quam inſana ſit eorum philoſophia, qui autochiriam factis heroicis accenſent, quando quis pertæſus miſeriæ hujus vitæ manus violentas ſibi infert. Tanto autem turpius errat, ſi felicitatem ex perceptionibus jucundis æſtimat & ſe miſerum putat, quod iisdem animi ſui deſideria explere nequeat. Atheus, qui exiſtentiam Dei negat (§. 411. *part. 2. Theol. nat.*), nullum quoque agnoſcit jus Dei in vitam hominis: non tamen propterea homini jus in vitam ſuam aſſerere poteſt. Quoniam enim lex naturæ ſubſiſtit in hypotheſi ipſius impoſſibili (§. 245. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nulla ratione negare poteſt, autochiriam eſſe contra naturam (§. 195.), ideoque admittere tenetur naturalem ejus turpitudinem, conſequenter autochiriam laudare nequit: quod ſi fecerit, ſatis apparet, ipſum miſcere errores, quorum unus ab altero minime dependet. Nolumus examinare rationes particulares, quæ hominibus autochiriam perſuadent: cui enim officia erga Deum, erga ſeipſum & erga alios perſpecta ſunt, is in omni caſu perſpiciet, cum quibusnam eorum pugnet, quodque autochiria voluntaria ſemper ex vitio quodam, aut defectu virtutis cujusdam proficiſcatur, quamvis in omni caſu ſpectetur mors tanquam medium liberationis a malo unicum. Qui agnoſcunt dari Deum, iis motivum fortiſ-

Digitized by Google

fortiſſimum eſt abſtinendi ab autochiria injuria in Deum eadem commiſſa, ſi vel maxime non curet pugnam cum natura humana, ut ipſum committere non pudeat, quod hominem maxime dedecet. Ceterum turpitudo naturalis autochiriæ adeo manifeſta eſt, ut mirum videretur, quantum negotii faceſſerit tam defendentibus, quam impugnantibus autochiriam, niſi conſtaret, in quantas ambages incidant, qui extra ſyſtema quæſtiones reſolvere conantur, ideoque non ex genuinis principiis eas decidere ſolont.

§. 198.

Qui vitam conſervare vult, noſſe debet, quomodo ſanitas conſervetur, quomodo morbi, in quos incidit, curentur & quænam ſibi objiciantur vitæ pericula ſibi evitabilia. Etenim ſi ſanitas conſervetur, ſingulæ corporis partes munere ſuo rite fungun- *ſcitu neceſſa-*
tur (§. 345. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum per orga- *ria.*
na vitalia corpus aptum ſit ad ſe conſervandum (§. 303. 304. *part. 1. Jur. nat.*), ſi conſervetur ſanitas, corpus, ideoque vita quoque conſervatur. Quoniam morbus obſtat, quo minus organum unum, vel alterum aptum ſit ad eum uſum, cui deſtinatur (§. 346. *part. 1. Jur. nat.*), ſi morbi ſedes ſit in organo quodam vitali, quod conſervationi corporis deſtinatur, aut tandem in illud ſerpat, facile apparet, niſi morbo ſublato corpus ſanitati reſtituatur, id conſervari minime poſſe. Quamobrem qui vitam conſervare vult, operam dare tenetur, ut morbus curetur. Denique cum etiam contingant caſus, in quibus periculum vitæ objicitur, periculum ſubire non tenemur, ſi evitari poſſit, ideoque non modo ſollicite diſpiciendum, num hic & nunc tale ſit metuendum, & ſi quod vel actu imminet, vel ſaltem prævidetur quodammodo, inquirendum, num id evitari a nobis poſſit, ne temere ſubeamus, quod evitari poteſt. Patet igitur, ſi *Quænam ad vitam conſervandam*

quis vitam conſervare velit, eum noſſe debere, quomodo ſanitas conſervetur, morbi, in quos incidit, curentur, & quænam ſibi objiciantur vitæ pericula ſibi evitabilia.

Vitæ conſervatio non aliter in poteſtate noſtra eſt, quam in quantum conſervatio corporis eidem ſubjicitur, ut ea conferamus, quibus ſanitas conſervatur, aut facto noſtro, vel caſu quodam amiſſa reſtituatur, caſus autem, a quibus periculum vitæ imminet, prævisi vitentur. Unde cura conſervandæ vitæ redit ad ſanitatis conſervationem, morborum curationem & periculorum in caſibus emergentibus vitationem. Cura autem ſanitatis latius extenditur quam ad vitæ conſervationem, quod corpus noſtrum præter organa vitalia ſenſoria quoque & motoria habet, quæ ſalva vita lædi ac deſtrui poſſunt, quatenus ſaltem tollitur eorum uſus, cui deſtinantur, veluti ſi oculus vitium contrahit, quod viſui officit. Læſiones autem & deſtructiones iſtiusmodi in cura vitæ impendendæ magnum momentum habent, ideoque cura corporis conſervandi ad curam vitæ vel conſervandæ, vel impendendæ ſpectat, quam propterea duplicem eſſe oſtendimus (§. 191.), quamvis cura vitæ impendendæ multo latius pateat. Datur mutua quædam organorum vitalium, ſenſoriorum & motoriorum quoad uſum eorundem dependentia, ut unum inſerviat alteri, ac per conſequens conſervatio unius exigat conſervationem alterius. Sicuti in macrocoſmo univerſalis datur rerum omnium nexus, ut unum inſerviat uſibus alterius; ita idem obſervatur in microcoſmo, qui homo dicitur. Aſt utrobique nexus iſte latius patet, quam vulgo putatur, quia non inquirimus in rationes, per quas actualitas eorum, quæ ſunt ac fiunt, determinatur, vel acquieſcentes in cauſa proxima, vel de cauſa omnem cogitationem abjicientes, & ſingula ſaltem in ſe tanquam independentia ab omnibus aliis conſiderantes. Oſcitantia hæc plurimum nocet in negotiis humanis, præſertim in publicis, quemadmodum ſuo loco in Politica oſtenſuri ſumus. Evertit prævisionem even-

eventuum, quæ magnam prudentiæ partem facit. Quodſi hæc perpendamus, ſatis ſuperque intelligemus, quænam ad conſervationem vitæ ſcitu neceſſaria ſint.

§. 199.

Qui ſanitatem conſervare vult, temperanter vivere & diætam obſervare debet. Sanitas enim dependet a recto uſu ſex rerum non naturalium, quæ dicuntur Medicis, nimirum cibi ac potus, aëris, motus & quietis corporis noſtri, ſomni & vigiliarum, excretorum & retentorum, atque paſſionum animi, ſive affectuum (§. 417. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo ſanitatem conſervare vult, ſex rebus non naturalibus recte uti tenetur, ita nimirum, quemadmodum ſanitati convenit. Enimvero qui cibum ac potum ſibi ſalubrem (§. 396. *part. 1. Jur. nat.*), ſeu ſanitati ſuæ minime contrarium (§. 395. *part. 1. Jur. nat.*), ea quantitate capit, quæ corpori conſervando ſufficit (§. 403. *part. 1. Jur. nat.*), ut ventriculus quantitati aſſumtæ digerendæ, quantitas autem ei, quod per tranſpirationem inſenſibilem abſumtum eſt, reſtituendo ſufficiat (§. 404. *part. 1. Jur. nat.*), temperanter vivit (§. 405. *part. 1. Jur. nat.*), & qui præterea ceterarum quoque rerum non naturalium eum facit uſum, qui ſanitati convenit, diætam obſervat (§. 418. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui ſanitatem conſervare vult, temperanter vivere & diætam obſervare debet.

De temperantia & requiſita.

Vulgo temperanter vivere & diætam obſervare pro uno eodemque habetur, & temperantia ad quantitatem cibi ac potus reſtringitur. Ratio facile patet. Sine cibo enim ac potu vitam conſervari non poſſe cuilibet manifeſtum eſt, & ipſa fames atque ſitis cibi & potus appetentiam excitant, ut ſenſum utriusque moleſtum depellamus. Aſt quomodo in

corporis conſervationem influant res ceteræ non naturales, ſenſibus non æque obvium eſt, & ſi vel maxime contingit, ut unius vel alterius influxus ſanitati nocivus ſe quodammodo ſenſui manifeſtet, multæ tamen ſunt rationes, quæ attentionem ab eodem avertunt, vel ejus memoriam mox iterum delent. Accedit, ut error in uſu rei non naturalis unius commiſſus uſu alterius corrigatur, ne noceat, aut ne tantum noceat, quantum nocuiſſet, niſi correctio iſta acceſſiſſet. Errores in uſu ſex rerum non naturalium commiſſi cum plurimum varient pro diverſitate ſubjectorum & circumſtantiarum caſuum ipſis obvenientium, & plerique homines quoad res non naturales toti a fortuna pendeant, quod momentum aliquod habeant in conſervanda ſanitate ac vita res non naturales præter cibum ac potum non attenditur, multo minus advertitur, in quantum earum uſus poteſtati noſtræ ſubjiciatur, ut de eo ſubjiciendo cogiterur. Similiter exceſſus in quantitate cibi ac præſertim potus commiſſus facilius obſervatur, quam ſi in qualitate peccetur, inprimis cum alio tempore non eundem experti fuerimus effectum, qui nunc eidem adſcribitur, nec idem obſervetur in aliis. Abunde igitur patet, cur homines ſibi perſuadeant, ſe temperanter vivere & diætam exactam obſervare, modo non peccent in quantitate cibi & potus, quamvis quantitatem quoque illius ſaltem ex ejus appetentia æſtiment, quam ſapor gratus ſuſtentat. Et ideo porro omnem morbi culpam a ſe removent, nec advertunt, ſe culpa ſua in eum incidiſſe, cum vitare potuiſſent, ſi eam curam ſanitatis habuiſſent, quam pro ea gerere debebant & poterant. Forſan erunt, qui exiſtimaturi ſunt, ad ſanitatis conſervationem quoque facere moderatum veneris uſum, qui ideo perperam omittatur. Aſt hi non perpendunt, eum ſub uſu excretorum & retentorum contineri, &, ſiquidem contingat, ipſas etiam libidines alio adhuc modo ſanitati nocere, id ad paſſiones animi referendum eſſe, conſequenter utrumque, quicquid tandem ejus ſit, ſub diæta contineri. Neque in his recedimus a ſignificatu apud Medicos

dicos recepto, quos ut ſequamur ipſa methodus ſuadet (§. 147. *Diſc. præl.*). Termini technici Medicorum retinendi ſunt in philoſophia, quando ſermo eſt de rebus, de quibus agunt Medici in Medicina, quemadmodum in Jure naturæ retinendi ſunt termini JCtorum. Nimis puerile eſt, ſingularitatem quandam affectare in verbis.

§. 200.

Quoniam qui ſanitatem conſervare vult, temperanter vivere debet (§. 199.), qui vero temperanter vivere vult, cibum ac potum ſalubrem juſta quantitate capere tenetur (§. 405. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui ſanitatem conſervare vult, noſſe tenetur, quinam cibi ac potus ſint ſalubres, & quænam ſit juſta quantitas*, quæ nimirum ſanitati non nocet, cumque cibus & potus unus idemque uni ſalubris ſit, alteri non ſit (§. 396. 397. *part 1. Jur. nat.*), *quinam cibus ac potus ſibi ſalubris ſit.*

De notitia cibi ac potus ſalubris ad temperantiam requiſita.

Non immerito quæritur, undenam nobis conſtet, cibum quendam vel potum eſſe ſalubrem, aut inſalubrem, & quomodo innoteſcat, quinam in ſpecie nobis ſalubris, vel inſalubris ſit. Cognitio a priori hactenus in poteſtate non eſt. Conſtat equidem, cibum & potum in ventriculo concoqui, quemadmodum vulgo loquimur, aut, ut alii loqui amant, digeri, hoc eſt, mixtum reſolvi, ut in inteſtinis chylus ſeparari poſſit, qui ſolus in ſanguinem tranſit & alendo corpori impenditur. Unde omnino recte infertur, cibum ſalubrem eſſe, quem ventriculus bene concoquere & a quo bonus chylus ſeparari poteſt. Et memini me in juventute legiſſe Tractatum, quem ediderat Medicus Batavus ſuo tempore non incelebris, Archiater Electoris Brandeburgici, *Bontekoë* & in quo ex principio iſto ſalubritatem & inſalubritatem ciborum deducere conabatur. Aſt votis eorum, qui ſcientiam amant, non ſatisfecit. Vulgo autem de ſalubritate ac inſalubritate ciborum ac potuum nonniſi a poſteriori ſtatuitur, ſit

Digitized by Google

ita quod nonnulli rationes ex analyſi chymica reddere volunt ad ſcientiam minime ſufficientes, ſi vel maxime probabilitatem impugnare nolis. Quoniam vero plerique tantummodo recenſent, quæ experientia comprobata feruntur; ſola ſtandum eſt autoritate, nec penes lectorem eſt judicium, utrum experientia, cujus prætenſæ fide ſumitur, fallax ſit, nec ne. Et cum nemo ignoret, nos non victu ſimplici uti, ſed varietate ciborum ſimul ingeſtorum delectari; experimentum ad certi quid ſtatuendum omnino difficile eſt. Accedit, quod in concoctionem aliæ influant cauſæ, quæ impediunt, quo minus cibus bene concoquatur, quem alias bene concoquere poterat. Parum igitur præſidii ex lectione librorum expectandum, qui de alimentis conſcripti ſunt. Non ſufficit affirmare in genere, quod quæ traduntur diuturna obſervatione fuerint detecta & longa experientia comprobata, ut de eorum veritate non dubitarint viri peritiſſimi, quorum magna ſemper fuit autoritas. Ecquis enim eſt qui neſciat, idem dictum fuiſſe de Aſtrologia, quam viri mortalium perſpicaciſſimi & in obſervando exercitatiſſimi Aſtronomi ad noſtra usque tempora defenderunt, ita ut ipſe *Ptolemæus*, poſtquam præclarum iſtud opus magnæ compoſitionis mathematicæ, quod Almageſti nomine hodie celebratur & theſaurum Aſtronomiæ veteris continet, abſolviſſet, quatuor de judiciis aſtrologicis libros conſcripſerit & aſtronomicarum prævisionum ſcientiam defenderit, ut taceam Centiloquium & ſtellarum inerrantium ſignificationes. Hoc tamen non obſtante, noſtro tempore nemo eſt, qui aſtrologiæ non idem pretium ſtatuat, quod ceteris artibus divinatoriis, quarum vanitatem vel vulgus imperitum agnoſcit. Non nego, multum ineſſe veri in iis, quæ de virtute alimentorum docentur; ſed conſtare debebat, undenam ſit certitudo eorum, quæ vera ſunt, & unde veritas agnoſcatur, ut vera a falſis ſeparari poſſint, nec ſola autoritate affirmantium ſine ulla ratione pro vero habendum ſit, quod dicitur, præſertim cum extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, quod artem obſervandi in Phy-

Phyſicis noſtro demum ævo exercere cœperint viri præclari, nec ea hodienum in formam ſcientiæ redacta ſit. Noſtro igitur judicio in virtutes alimentorum accuratius eſſet inquirendum, præſertim cum plurimæ ſint cauſæ, ob quas experimentum fallax efficitur, quod ſumma circumſpectione factum videbatur. Earum nonnullæ a nobis jam indicatæ, aliæ ex ſequentibus patebunt: in præſenti tamen noſtrum eſt ex inſtituto inquirere in rationes, cur experimentum ſit difficile.

§. 201.

Quoniam *qui ſanitatem conſervare vult*, noſſe debet, quinam cibus ac potus ſibi ſit ſalubris (§. 200.), parum vero hic valet doctrina (*not. §. cit.*); ideo unusquisque *in ſeipſo obſervare tenetur, quinam cibi ac potus ſibi ſunt ſalubres, quinam inſalubres, & in hisce ſequendum, quod videtur probabilius.* *Unde haurienda.*

Quemadmodum plerique homines vivunt ad ſimilitudinem aliorum & agunt more conſueto; ita etiam utuntur cibo ac potu, quo uti vident alios & cui adſueti ſunt, appetentiam vero moderantur guſtu & varietate ſollicitant cupiditatem: id quod omnino perinde eſt ac ſanitatem committere cœco caſui, qui haud raro magis fatalis foret, niſi vitium in aſſumto commiſſum vel ipſa natura corporis humani, vel res non naturales ceteræ concurrentes, aut ſupervenientes corrigerent. Quoniam vero non ſatis tutum videtur in re tanti momenti, quæ ſanitas eſt, in totum a caſu pendere; neceſſe utique eſt, ut, quantum datur, circumſpecte obſervemus, quænam nobis ſint ſalubria, quænam minus. Neque hac cura carere poſſemus, ſi vel maxime daremus, quod tamen nondum dari poſſe conſtat, alimentorum ſalubrium & inſalubrium proſtare theoriam perfectam, cum quæ uni ſalubria ſunt, non ſint itidem alteri, nec quod nunc non inſalubre deprehenditur, alio tempore idem obſervetur. Immo

demus

demus ulterius, theoriam alimentorum esse adeo perfectam, ut generalibus regulis comprehendatur, quinam cuilibet subjecto pro data conditione conveniat cibus, vel potus; nondum tamen tolleretur propriæ observationis studium, quam exigit applicatio regularum. Non formido objectionem, quasi obligationem hominis extendamus ultra id, quod possibile, exigentes ut faciat, quod vires ejus transcendunt. Etenim hic saltem docemus, quid facto opus sit, si in capiendo cibo ac potu sanitati sufficienter prospiciendum. Quantum vero valeant humeri, quid ferre recusent, proprio cujusvis tentamini relinquitur. Talia inculcantur, ne simus negligentes, ut culpa nostra sanitatis jacturam faciamus. Quando enim ignorantia invincibilis, culpa vacamus, nec habemus, quod nobis imputare possumus: id quod usui erit in sequentibus, quando de casibus fatalibus agetur. Excitatur quoque diligentia eorum, quibus non desunt vires, ut in talia inquirant: cui enim plura in potestate sunt, is ad plura obligatur (§. 179. 184. *part. 1. Jur. nat.*), profuturus non modo sibi, verum etiam aliis (§. 195. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 202.

De quantitate cibi ac potus sibi conveniente.

Similiter quoniam sanitatem conservaturus nosse debet, quænam sit justa cibi ac potus quantitas (§. 200.), quæ autem uni nimia est, alteri non est (§. 401. *part. 1. Jur. nat.*); *Qui sanitatem conservare vult, inquirere debet, quænam cibi ac potus quantitas sibi conveniat, ideoque hoc in seipso observare.*

Equidem non desunt, qui putant, non tam sollicitam curam habendam esse pro quantitate præsertim cibi, quanta gerenda pro qualitate, ut apud nos in proverbium abierit, **des Guten könne man nicht zuviel thun**, hoc est, in bono non dari excessum; opinioni tamen huic non suffragatur experientia. Sane dudum observavit *Syrach* c. XXXVII, 34. nimiam epulandi aviditatem redarguens, propter crapulam multos obiisse.

Digitized by Google

obiiſſe. Et ponamus, ſi ventriculus nimia ciborum copia gravatur, non aliud metuendum eſſe incommodum, quam plethoram: nonne a Medicis evictum eſt, plethoram eſſe plurimorum morborum cauſam, etſi parum cures incommoda & pericula, quæ corpus nimis obeſum comitantur? Quemadmodum vero eadem cibi quantitas non convenit omni ætati, nec quavis anni tempeſtate; ita etiam emergunt caſus, in quibus conſueta, quæ modum non excedit, moderanda, aut ab omni cibo tantiſper prorſus abſtinendum.

§. 203.

Qui in ſeipſo experiri voluerit, quinam cibus & quænam ejus quantitas ſibi conveniat, victu uti debet ſimplici, non vario & attendere debet animum ad ſtatum corporis, qualis ſit ante prandium, vel cœnam, & qualis poſt prandium, vel cœnam. Quodſi enim victus fuerit varius, & poſt prandium, vel cœnam obſervemus, corpus ſe non bene habere, qualiacunque jam ſupponamus, indicia, ex quibus colligimus, nos ingeſſiſſe ventriculo, quæ eidem parum conveniunt, & ſive ea obſerventur durante concoctione, ſive eadem abſoluta, conſtare certo non poteſt, cuinam cibo, an conjunctim acceptis id ſit tribuendum. Cumque varietas ſollicitet appetentiam, ut in quantitate facilius peccetur, nec nobis videamur plus cibi ingeſſiſſe ventriculo, quam ad explendum famem ſufficere putabamus; utrum incommodum qualitati, an quantitati ſit adſcribendum, ſi non ſemper, ſæpiſſime tamen hærebimus, præſertim ſi non ad ſtatus anteriores præſens referatur. Quamobrem patet, ſi quis in ſeipſo experiri voluerit, quinam cibus & quænam ejus quantitas ſibi conveniat, quod victu uti debeat ſimplici. *Quod erat unum.*

Qualis victus eſſe debeat, beat, ſi de qualitate & quantitate cibi nobis convenientis judicandum, & quid præterea requiratur.

Quoniam in corpore noſtro obſervabilia, ex quibus idem vel bene ſe habere, vel male, ſaltem non bene, varias

habere poſſunt cauſas; conſequenter niſi ſtatum corporis conſideremus, qualis eſt antequam cibus capiatur, & qualis poſthac ſe habet, atque uterque inter ſe conferatur, facile contingat, ut vel qualitati, vel quantitati cibi tribuatur, quod a cauſa alia provenit, immo quia etiam idem cibus pro diverſo ejus ſtatu non eodem prorſus modo alterat corpus, ideoque fieri poteſt, ut cibi qualitati, aut quantitati ſimpliciter tribuatur, quod nonniſi ſub certa conditione de eadem erat affirmandum; qui in ſeipſo experiri voluerit, quinam cibus & quænam cibi quantitas ſibi conveniat, animum quoque ad ſtatum corporis attendere debet, qualis ſit ante prandium, vel cœnam & qualis ſit poſt prandium, vel cœnam. *Quod erat alterum.*

Cum moribus noſtris varietate ciborum delectemur, ſi excipias eos, quos neceſſitas ſimplici uti urget; difficile eſt de qualitate inprimis cibi ſibi convenientis judicium ferre. Cumque error in qualitate, vel quantitate commiſſus non æque alteret corpus in ætate florente, quam in ſenectute, aut aliis de cauſis, quæ illam huic æquiparant; major hinc oritur difficultas tempeſtive obſervandi, quid nobis conveniat. Aſt ſi non facere poſſumus, quantum volumus; contenti eſſe debemus, ut faciamus, quantum nobis datur, ne vitium commiſſum recidat in culpam nobis imputabilem.

§. 204.

Quid obſervandum, ſi in quantitatem juſtam inquirere ſolemus.

Qui a nimia cibi & potus quantitate ſibi cavere vult, juſtam obſervaturus attendat animum ad faſtidium, quod aviditatem ſequitur, & victu utatur ſimplici, non vario. Sicuti natura famem dedit ſtimulum, quo ad edendum ſollicitamur, quemadmodum ſitim, quæ ad bibendum impellit; ita quoque faſtidium quoddam concitat, qua avertimur a majore quantitate capienda,

pienda; quam quæ ad ſatietatem ſufficit. Naturæ vim omnium optime obſervamus in infantibus, quorum appetitus nondum corruptus eſt, & qui ejus impulſum ſequuntur, atque in animalibus brutis, quæ nonniſi eodem cibi ac potus genere utuntur, & quorum ideo appetitus corrumpi nequit. Videmus quotidie, infantes, quando famem ac ſitim ſentientes plorant, ubera, quæ ipſis dantur, avide trahere, aſt fame ac ſiti ſedata, ubi ſugere deſinunt, lac maternum faſtidire, ſi illa ipſis ulterius admoveantur. Idem obſervari licet, ſi alii alimento aſſuefiunt. Facile igitur patet, ſicuti natura fame ac ſiti edendi & bibendi cupiditatem accendit, ita quoque eandem excitare faſtidium, ne ultra ſatietatem edamus atque bibamus. Quoniam quod homini naturale eſt, expelli nequit; dubitandum non eſt, ſicuti adultos fames & ſitis perinde ac infantes admonet neceſſitatis edendi & bibendi, ita etiam faſtidium eos admonere, ut edendi, vel bibendi finem faciant. Plures equidem ſunt cauſæ, quæ impediunt, quo minus faſtidium iſtud obſervetur, præſertim ubi nullam ad id attentionem afferre adſuevimus; inobſervabile tamen non eſt, modo ſufficientem afferas. Si fames nos invitat ad edendum, cibus, quem avide capimus, bene ſapit, jucunditas autem ſaporis ſenſim ſenſimque imminuitur, ut non modo guſtum non amplius hilaret, ſed in ingratum verti videatur, quem faſtidimus. Atque tum natura concitat faſtidium, quod ad abſtinentiam tendit. Ne autem appetitus corruptus guſtu, quo regitur, varietate cibi alliciatur, ut naturæ providæ non obſequentes nimia quantitate ventriculum repleamus, nec cupiditas accenſa attentionem in ſe trahat, a faſtidio illo avertat, victu utendum eſt ſimplici, non vario, ubi experimentum capere volueris. Quod de cibo diximus, idem intelligendum de potu. Quam-

obrem patet, ſi quis a nimia quantitate cibi ac potus ſibi cavere voluerit, eum animum attendere debere ad faſtidium, quod aviditatem ſequitur, ut juſtam cibi & potus quantitatem obſervet, eoque fine utendum eſſe victu ſimplici, non vario.

Corpus humanum, quatenus cibo ac potu conſervandum, non differt a corpore animalium brutorum, nec natura brutis magis conſuluit, quam hominibus, dum corpus fecit machinam ſui ipſius conſervatricem. Bruta, quorum unus idemque eſt cibus & potus nonniſi aqua, appetitum non corrumpunt, ideoque naturæ directioni eundem in totum relinquunt. Aſt hominum appetitus a prima infantia multis admodum modis corrumpitur & præterea cupiditates a diverſis vitiis & pravis conſuetudinibus ſuſcitatæ ac ſuſtentatæ in cibi & potus appetentiam influunt, ut vocem naturæ non audiant, ſed prorſus ſurdeſcant, immo ſi vel maxime eam percipiant, non tamen obtemperent. Hac ipſa vero de cauſa faſtidii quoque, de quo diximus, obſervatio difficilis eſt, ut exercitatione opus ſit. Cum vero adhuc aliæ eſſe poſſint cauſæ, quæ inter comedendum faſtidium excitare valent; cautione opus eſt, ne naturæ providæ conſilio tribuamus, quod cupiditatum illecebris tribuendum, vel etiam aliis adhuc cauſis ex circumſtantiis caſus dati colligendis. Hæc ipſa cautio obſervationem illius faſtidii, ad quod in præſenti animum attendere jubemus, difficillimam reddit, ut non ſit cujusvis, immo forſan nonniſi pauciſſimorum, quia obſervator flagrare debet cupidine obſervandi, quæ ſupponit ſollicitudinem in quantitate cibi ac potus capiendi non excedendi, nec deficiendi. Multa hic dicenda forent, ſi de ſingulis huc ſpectantibus ſpecialia afferre vellemus; ſed quemadmodum in aliis quoque accidit, ſedulo ac diligenti obſervatori ea ſeſe offerunt ſæpe veluti ſua ſponte, quæ ipſi ægre perſuaſeris, vel etiam quantum ad intelligendum ſufficit explicaveris. In omni praxi veniendum eſt in rem præſentem, nec a doctrina expectandum, quod tentamina docent. Ceterum in potu, præſer-

præſertim vini, ſi non fuerit quotidianus, obſervatio facilior eſt, ut ideo inde capiendum ſit initium. Quoniam vero obſervatio ſenſim ſenſimque decreſcentis jucunditatis ſaporis, modo non ſit ex eo genere, qui nimium hilarat guſtum, aut cujus appetentia in conſuetudinem inveteratam abiit, adeo obvia eſt, ut oſcitantiæ tribuendum ſit, niſi animadvertatur, per naturæ autem conſuetudinem ſenſim ſenſimque decreſcens ad alterum extremum abeat; hujus non ignarus ex continuo decremento jucunditatis ſaporis colliget, deveniri tandem debere ad faſtidium. Lex nimirum continui etiam in anima obſervatur, in qua etiam ab uno extremo ad alterum non fit tranſitus per ſaltum, ſed per gradus intermedios: id quod in iis obtineri, quæ per ea, quæ in corpore contingunt, explicabilia ſunt, tanto minus mirum videtur.

§. 205.

Si qnis famem ac ſitim non ſedavit; id indicio eſt quantitatem cibi aſſumti vel potus eſſe nimis exiguam. Etenim cum fames & ſitis ſint ſtimuli naturales edendi ac bibendi; quamdiu fames, vel ſitis urget, edendum ac bibendum, ſi inſtinctui naturæ obſequi velimus. Quodſi ergo finito prandio, vel cœna experiamur, famem vel ſitim ſedatam non eſſe, id indicio eſt, nos tantum cibi vel potus ventriculo non ingeſſiſſe, quantum exigit, ideoque quantitatem aſſumti nimis exiguam, ſeu juſta minorem eſſe (§. 404. *part. 1. Jur. nat.*). *Signum quantitatis in defectu peccantis.*

Videre hoc licet in infantibus ubera materna ſugentibus, qui ab iis amoti plorant, ut denuo admoveantur, donec ſatietatis ſenſum habentes ea ſponte dimittant. Atque hoc convenit faſtidio naturali, de quo modo diximus (§. 204.). Cavendum tamen, ne cupiditas edendi, aut bibendi cum fame & ſiti confundatur: id quod facile vitari poteſt, cum differentia ſenſui pateat. Sane in communi quoque ſermone edendi cupiditatem a fame diſtinguimus: dicimur nimirum in ca-

ſu primo, nobis adhuc eſſe cupiditatem edendi, etſi appetitus feratur in cibum incertum, ab eo tamen, quem comedimus, diverſum, ut interrogati quid edere velimus reſpondeamus nos ipſos ignorare, quid comedere debeamus, aut qualitate in genere cibi genus indicemus; in altero autem caſu, nos adhuc eſurire, ſeu non comediſſe ad ſatietatem. Idem tenendum de potu. Ceterum per ſe intelligitur, nos quemadmodum in ceteris, ita hic quoque ſupponere, ut ſtatus corporis naturalis ſit, non vero præternaturalis. Quando enim quæritur, quænam cibi quantitas, vel qualitas ſanitati conſervandæ conveniat, corpus ſupponitur eſſe ſanum, non vero morbo cuidam obnoxium. In quantitate cibi ac potus determinanda defectus rarior eſt exceſſu, qui vix ac ne vix quidem metuendus, niſi inopia, aut præpoſterum pietatis ſtudium eidem locum faciat. Quando enim nimium tenaces criminantur, quod non comedant ad ſatietatem, quantitas non æſtimatur ex eo, quod ſufficit ad vitam & ſanitatem conſervandam, quo tendit fames ac ſitis; ſed ex quantitate communi hominum opinione approbata, quæ non ratione, ſed more nititur. Facilius tamen contingit defectus in potu, ut non juſta obſervetur ad cibum proportio, ſi eo genere utamur, cujus guſtus non movet appetitum, veluti ſi aqua bibatur. Accidit vero tum etiam, ut in quantitate cibi committatur exceſſus. Notandum præterea, quod, quemadmodum in aliis ex ſuo genio judicare alios ſolent homines, idem quoque hic obtineat, ut ideo admodum fallax ſit de aliis judicium (§. 401. *part. 1. Jur. nat.*). Nullus dubito fore plerosque, qui exiſtimaturi ſunt, quantitatem cibi ac potus, qua corpus in flore ætatis gravibus morbis obnoxium ultra annum centeſimum decimum ſanum conſervavit *Cornarus* (*not.* §. 406. *part. 1. Jur. nat.*), nimis exiguam eſſe, quam ut natura tam paucis contenta eſſe poſſit; experientia tamen indubia contrario fidem facit.

§. 206.

Digitized by Google

§. 206.

Qui a nimia quantitate cibi ac potus, qua hactenus uſus eſt, ad minorem recedere vult; paulatim eam imminuere debet. Conſtat hanc eſſe naturæ legem, ut ab uno extremo ad alterum progrediatur non per ſaltum, ſed paulatim per gradus intermedios. Ac ideo quoque experimur, omnes mutationes ſubitas eſſe corpori periculoſas. Quamobrem nec ſubita cibi ac potus mutatio ſanitati conducit, conſequenter qui a nimia quantitate cibi ac potus, qua uti conſuevit, ad minorem recedere vult, paulatim eam imminuere debet. *Quodnam in mutanda cibi ac potus quantitate nimia obſervandum.*

Tutiſſima ſemper via eſt, ſi naturam ducem ſequamur, cujus ideo conſuetudo ſollicite obſervanda. Ad hanc vero etiam ſpectat lex, quam ipſamet adeo ſancte obſervat, ne ab uno extremo ad alterum progrediatur per ſaltum. Saltus igitur quoque in quantitate cibi ac potus aſſumendi non committendus, ne turbes naturæ morem, cujus negotium eſt conſervare corpus & ejus ſanitatem, atque vigorem. Nos non ſumus niſi ejus miniſtri, quorum eſt legi ipſius attemperare actiones ſuas. Conſtat autem creſcente ætate quantitatem cibi continuo minorem effici debere, donec tandem ad eam deventum fuerit, quæ decrementum ulterius non permittit, & indicio paulo ante commemorato manifeſtatur (§. 205.). Confirmatur hoc exemplo *Cornari* in hoc genere præſtantiſſimo (*not. §. 406. part. 1. Jur. nat.*). Nullus ego dubito, quin a neglectu hujus obſervationis multa dependeant incommoda ſenectutis, de quibus tot ac tantæ ſunt hominum querelæ, ut ideo anni ſenecturis dicantur, qui non amplius placent homini. Etenim plerique mutare nolunt morem, ſed conſtanter gulæ ac ventri ſervire, quemadmodum conſueverunt. Novi equidem querelas de incommodis ſenectutis non eſſe unius generis, ſed multos etiam conqueri, quod in ſenectute non amplius voluptatibus corporis frui poſſint, quemadmodum ætate nondum provecta; ſed nobis hic nonniſi

niſi de iis ſermo eſt, quæ ſanitatem & vigorem corporis tangunt.

§. 207.

De modo colligendi ni-miam cibi ac potus quan-titatem.

Si a prandio & cœna quandam corporis laſſitudinem ſentiamur, aut capitis debilitatem quandam, vel etiam alterutrum aut utrumque, quorum neutrum ante prandium, vel cœnam, aut alio tempore, quando eodem cibo ac potu frueremur, experti ſumus, vel etiam ſomnus non fuerit ſatis quietus, etſi aliæ cauſæ probabiles non adſint; inde nimia cibi ac potus quantitas colligitur. Etenim ſi ante prandium, vel cœnam nullam corporis laſſitudinem, nec capitis quandam debilitatem ſenſiſti, qualem poſt prandium, vel cœnam ſentis, nec expertus es alio tempore, quo eodem cibi ac potus genere uſus; nulla ſane ratio apparet, cur eum ſtatum corporis alii cauſæ adſcribere velis, quam nimiæ quantitati cibi ac potus. Quamobrem inde colligere poteris, te nimia cibi ac potus quantitate ventriculum oppleviſſe. *Quod erat unum.*

Similiter ſi ſomnus fuerit non ſatis quietus, etſi aliæ cauſæ abſint, quas quietem nocturnam turbare poſſe expertus es; nulla itidem apparet ratio, cur ſomnum minus quietum alii potius cauſæ, quam nimiæ cibi ac potus quantitati tribuere velis. Quamobrem denuo inde colligere poteris, te nimia cibi ac potus quantitate ventriculum oppleviſſe. *Quod erat alterum.*

Tanto minus autem ea de re dubitandum erit, ſi noſti te a conſueta quantitate receſſiſſe: id quod facile noſſe poteris, modo ſatis attendere volueris. Cum ſtatus anteriores etiam influant in præſentem, ut ideo cibum, vel potum ſubinde incommoda parere experiamur, quæ alio tempore non fuimus experti; non diffiteor, fieri poſſe ut nimiam quantitatem

tem falso accusemus. Circumstantiæ tamen particulares judicium magis firmabunt, præsertim si in hisce observandis diu multumque fueris versatus. Et quoniam in ætate provectiore excessus in quantitate commissus magis nocet, aut quod noceat saltem manifestius sit, quam in florente; observatio quoque in provectiore facilior, quam in florente. Studio dico damnum, quod corpori datur nimia cibi ac potus quantitate, manifestius esse in ætate provectiore, quam in firma. Vi enim legis, quam naturam observare modo diximus (*not.* §. 206.), dantur ab initio damna, quæ inobservabilia sunt, corpus tamen ad suscipiendum morbos disponunt. Sed de hoc disertius dicemus inferius. De *capitis debilitate* notandum est, quod ea consistat in segnitie functionum cerebri, quæ inprimis respondent imaginationi atque memoriæ. Officit ea operationibus intellectus, quatenus is requirit ministerium imaginationis atque memoriæ in operationibus suis (§. 14. *part. 1. Eth.*), ut ideo meditationes procedant tardius & de re quadam locuturis vox faucibus hærere videatur, nec continuum sit verborum flumen & nomina præsertim propria, quamvis alias satis familiaria, difficillime succurrant. Huic attribuendæ sunt querelæ hominum ingeniosorum, quod crescente ætate decrescat fœcunditas ingenii, quippe cujus actus actum imaginationis & memoriæ continet (§. 235. *part. 1. Eth.*) & eruditorum de tarditate in exequendo munere officii sui, ita ut longiori temporis spatio faciendum sit, quod breviori antea fieri poterat. Cetcrum quod nimiam potus quantitatem attinet, probe notandum est, nos in præsenti non verba facere de ea, quæ in ebrietatem inducit: ebrius enim mente alienatur. Subsistimus hic in excessu minori, qui inferior quidam ad ebrietatem gradus est. De excessu vero, qui ebrietatem gignit, dicemus postea.

§. 208.

Quoniam nimia cibi ac potus quantitas, quo usi sumus, ex lassitudine corporis ac capitis debilitate, itemque *Quomodo constet, nos*

in quantitate cibi ac potus exceſſum non commiſiſſe.

ſomno non ſatis quieto colligitur, obſervatis ceteris, quæ ſimul attendenda eſſe diximus (§. 207.); *ſi ex adverſo a prandio vel cœna ſentiamus omnium membrorum corporis quandam quaſi levitatem, & ſomno uſi fuerimus ſatis quieto, nec ulla capitis ſeſe prodat debilitas, ſatis certi eſſe poſſumus, nos in quantitate cibi ac potus aſſumti nullum commiſiſſe exceſſum.*

Facile apparet, ad ea obſervanda, de quibus in præſenti dicimus requiri obſervatoris attentionem, & in nonnullis minime vulgarem, ſed nonniſi exercitatione comparandam, præſertim cum plurimæ dentur cauſæ, quæ attentionem ab eo, quod obſervandum, avertunt, in ſe vero trahunt, immo quæ tibi facile imponunt, ut obſervare tibi videaris, quod non eſt. Quamobrem jam antea monui, obſervandi ſtudium non eſſe adeo facile, quemadmodum putatur, ſiquidem obſervatio accurata eſſe debet, minime fallax, & plures dari cauſas, quæ id ipſum difficile reddunt. Cum vero ſanitas & vita corporis res pretioſiſſima ſit; nemo reprehendet, quod curam pro ea gerendam præcipiamus, quæ difficilis videtur, ut lubens fatear, fore longe plurimos, quos difficultas deterreat. Quamobrem ſi quem difficultas deterrere non debet, neceſſe eſt ut ſanitatem impenſe amet, ideoque in ſequentibus oſtendemus, quomodo amor ſanitatis concitandus ſit & magnitudo hujus boni rite æſtimanda, quod vulgo parum agnoſcitur, ideoque vilipenditur. Quod vero ante monuimus de influxu ſtatuum anteriorum corporis in præſentem (*not.* §. 207.); idem quoque in præſenti tenendum, quamvis non alium videatur habere uſum, quam ne juſtæ cibi ac potus quantitati ſoli tribuas, cujus aliæ præterea ſunt cauſæ.

§. 209.

Quando cibus aſſumgis qui aſſumitur contra faſtidium naturale.

Cibus ceſſante appetentia aſſumtus nimius eſt, multoque ma-

Appetentia cibi, quam

quam fames excitat, continuo minuitur, ut ſenſim ſenſimque vileſcat, tandemque expiret. Quamobrem cum corpus humanum qua vivum ſit machina ad ſui conſervationem apta (§. 317. *part. 1. Jur. nat.*); natura quoque eandem agitans (§. 145. *Cosmol.*) excitat motus internos, quibus in anima reſpondent perceptiones, in appetitu ſenſitivo appetitiones & in facultate averſandi ſenſitiva averſiones fini intento convenientes concitantes vi harmoniæ, quæ inter mentem & corpus datur (§. 539. *Pſych. rat.*). Quemadmodum itaque fames concitat cibi appetentiam, ſeu edendi cupiditatem, ita hæc ipſa quoque pro cibi aſſumti quantitate continuo minuitur, ut, dum aſſumtus ſaturitati ſufficit, prorſus extingvatur, &, ſi plus aſſumitur, quam concoqui poteſt, faſtidium concitatur. Cibus igitur ceſſante appetentia aſſumtus nimius eſt, multoque magis, ſi contra faſtidium naturale aſſumitur. *tus nimius ſit.*

Perfectio corporis qua vivi eſſentialis utique omnibus ſuis numeris non foret abſoluta, niſi natura quoque ſuſcitaret motus conſervationi corporis convenientes, quibus in anima, quæ corpus ſuum ſibi repræſentat, reſpondent perceptiones & appetitiones ac averſiones convenientes. Atque hinc maxime intelligitur, quam admiranda ſapientia conſtructum ſit corpus animale. Ducit quoque nos horum conſideratio ad diſtinctam *inſtinctus naturalis* notionem in Phyſica uberius explicandam. Faſtidium vero, quod ad eundem pertinet, nec alias cauſas agnoſcit quam eam, de qua hic loquimur, naturale dicimus, ne cum alio confundatur, quod aliunde derivandum. Inſtinctum hunc naturalem ſequuntur bruta & infantes, quando ubera materna ſugunt, aut cibo aſſuefiunt, antequam appetitus depravetur. Quoniam vero multis modis eum depravari contingit, ut perverſæ oriantur cupiditates & perverſa faſtidia, quibus ad cibum vel aſſumendum, vel ab

eo abſtinendum ſollicitatur homo; ideo contingit ut ille quaſi obliteretur. Dantur tamen ſubinde lucida intervalla, in quibus manifeſtior apparet, ideoque facile obſervatur, modo te ſedulum atque diligentem præbeas obſervatorem. Neque ullus dubito fore, ut, ſi quis ſanitatem ardenter amans attentionem ſufficientem afferre aſſueſcat, naturæ providæ vocem audiat, etiam ubi ſilere putatur. Homo non deterioris conditionis eſt, quam ſunt bruta, quemadmodum vulgus conqueritur, nec adeo novercam experitur naturam, ut minorem ipſius, quam brutorum curam habeat, modo non ipſe conditionem ſuam faciat deteriorem, ſed obſequium præſtet, quod præſtant bruta. Sequuntur bruta inſtinctum naturæ naturali quadam neceſſitate: aſt homo, cui libera agendi potentia conceſſa, actiones ſuas liberas eodem dirigere debet, quo natura tendit, non vero in contrarium, recto intellectus uſu & beneficio rationis, ut laudem mereatur, quæ in bruta minime cadit. Ne vero dixiſſe videamur, quæ intelligi nequeant, conſiderandum eſt, ſi quis dicit, quod ſit ſatur, neceſſe eſſe ut habeat quendam ſaturitatis ſenſum, aut ut ſit aliquid, unde ſaturitatem colligit, & ſimiliter ſi dicit, quod plus comedere nequeat, neceſſe eſſe, ut habeat quendam impotentiæ edendi ſenſum, aut ut aliquid adſit, aliqua repugnantia, unde illam colligit. Utrumque ſtatum diverſis hisce loquendi formulis diſtingvimus: id quod apparet, quia prima formula uti ſolemus, quando ex nobis quæritur, cur non comedamus, aut alio adhuc cibo veſcamur; altera vero, quando ad inſtantiam precantis, vel ſollicitantis reſpondemus, fit ita quod formulis hisce uſi differentiam diſtincte explicare nequeant, vel etiam ſubinde utramque promiſcue uſurpent, prouti una, vel altera citius ſuccurrit, quemadmodum & in aliis obtinet, quibus nonniſi confuſæ junguntur notiones. Nondum enim eo profecerunt homines, ut ſemper accurate loquantur, easdem notiones determinatas vocabulis & verborum complexionibus jungentes: id quod inprimis a vulgo & in communi ſermone non ſperandum.

§. 210.

Digitized by Google

§. 210.

Cibi alii facile concoquuntur, ſeu digeruntur, alii difficilius; alii calefaciunt, alii refrigerant; alii laxant, alii adſtringunt; alii multum nutriunt, alii parum; ex aliis bonus chylus conficitur, ex aliis minus. Differentiam hanc docet experientia, dudum obſervata, & inculcata a Medicis. Ita conſtat carnem vitulinam facilius concoqui, quam bubulas, carnem gallinaceam facilius, quam columbarum, braſſicam difficulter, oryzam facile. Cucumeres, fraga, mala perſica refrigerant: zingiber, piper & caryophylli calefaciunt. Pruna Damaſcena & pyra dulcia laxant, pruna ſylveſtria & pyra acida atque auſtera adſtringunt. Lac multum nutrit, caſeus parum. Ex pane præſertim triticeo bonus chylus conficitur, ut bene fermentatus & coctus optimum nutrimentum deprehendatur. *De varietate ciborum ratione qualitatis.*

Dixi jam ſuperius, quæ de qualitate alimentorum dicuntur, nondum adeo certa eſſe, ut de veritate omnium, quæ aſſeruntur, conſtare poſſit de illorum ſalubritate ſollicito (*not.* §. 200.). Quamobrem ipſimet Medici ſagaciores de illorum qualitatibus non tanquam de rebus certis loquuntur, ſed tanquam de eo, quod communi opinione tale habetur, veluti quando dicitur hoc alimentum ſaluberrimum cenſeri, aut vulgo haberi, vi quadam pollere credi; aliud fere ab omnibus damnari. Sufficiat nobis allegaſſe *Oligerum Jacobæum* in Compendio Inſtitutionum Medicarum lib. 2. c. 2. Nos ad comprobandum differentiam ciborum ratione qualitatum ſaltem provocare voluimus ad exempla, quæ domeſticæ experientiæ adeo patent, ut in vulgus nota ſint. Quodſi theoriam ſalubritatis alimentorum condere nobis propoſitum eſſet, hæc ciborum differentia ſumenda foret: ſed cum nobis ſaltem propoſitum ſit docere modum obſervandi, num cibus aſſumtus nobis ſit ſalubris, ex indiciis naturæ, non tantum de-

prehendemus illius uſum, ut ante inquirendum ſit, quinam cibi hanc vel iſtam habeant qualitatem, & cur eandem habeant: id quod ſupponeret, concoctionem ciborum in ventriculo & qualitates chyli ad nutritionem corporis requiſiti intime perſpectam eſſe. Non tamen noſſe hanc differentiam omni utilitate caret. Emergunt enim ſubinde caſus, in quibus animus ad eandem utiliter attenditur. Obiter obſervamus, mutationem alimentorum in ventriculo a veteribus concoctionem, a recentioribus digeſtionem appellari, propterea quod veteres falſam de ea foverint opinionem. Enimvero non opus erat, ut ea de cauſa mutata opinione de modo, quo alimenta immutantur, nomen quoque mutaretur, cum propter eandem rationem quælibet hypotheſis peculiare requireret nomen, ſi non nudam mutationem, ſed modum quoque, quo fit, ſignificare deberet. Quamvis itaque concoctionem dicamus, non tamen ideo hypotheſin veterum de eadem probamus. Non alio fine hoc monemus, quam ne præter neceſſitatem mutentur termini ſemel recepti.

§. 211.

Nauſea quid ſit.

Nauſea dicitur ſollicitatio ſtomachi ad vomitum ex ſapore & odore potiſſimum, cujus veluti terminus a quo eſt moleſtus quidam ſenſus averſionem concitans.

Nomina, quæ vulgus invenit, imponuntur rebus in ſenſus incurrentibus. Quoniam vero dantur res, quæ diverſos gradus admittunt, nec ideo genere differunt, in quo non attenditur majus & minus; ideo in diſciplinis ſignificatus recte ampliatur, cum ejusdem cauſæ iidem dentur effectus, etſi gradu, vel magnitudine differentes, prouti vires ejus majores, vel minores ſunt. Quamobrem quoque nauſeæ ſignificatum ampliamus, ideoque non dicimus commotionem ſtomachi ad vomitum, ſed ſollicitationem, quæ ſi vires eſſent majores ſtomachum actu moveret, natura hunc motum intendente. Subinde autem adeo exigua eſt, ut averſionis nobis

Digitized by Google

bis quidem ſimus conſcii, non vero illius perceptionis, ſine qua oriri minime poterat. Notandum autem eſt, nauſeam procedere ex ſapore & odore, ne eam confundamus cum averſione, quæ aliam ob cauſam oritur, veluti ſi quis averſatur cibum inſuetum, quem nondum deguſtavit, nec cujus odore offenditur, propter ſimilitudinem cum re alia, quam averſatur, vel a qua abhorret, ſive memoria hujus nauſeam quandam concitet, ſive minus. Magna quoque hic vis eſt præjudiciorum, quibus occupata mens eſt.

§. 212.

Nauſea ſtimulus naturalis eſt abſtinentiæ. Quoniam nauſea ſapore, vel odore concitatur (§. 211.); oſtendendum nobis eſt, guſtu & odore diſtingvi poſſe cibos ſalubres ab inſalubribus, ſi non corruptus fuerit appetitus, aus vis eidem inferatur. Antea jam monuimus, perfectionem corporis qua vivi eſſentialem non fore omnibus ſuis numeris abſolutam, niſi quoque natura ſuſcitaret motus conſervationi corporis covenientes, quibus in anima reſpondent perceptiones, ex quibus oriuntur appetitiones, vel averſiones (*not.* §. 209.). Motus iſtiusmodi excitari non poſſunt, niſi ſuppoſita actione ſenſibilis in organa ſenſoria. Antequam cibi in ventriculum demittantur, ut actione in organa ſenſoria, averſio quædam concitetur, aut in corpore ſtomachus ad vomendum ſollicitetur, ſive ſenſibiliter, ſive inſenſibili quodam modo, aliter id fieri nequit, quam vi ſaporis vel odoris, præſertim cum odor & ſapor ciborum affinitatem quandam habeat. Quamobrem non eſt quod dubitemus, naturam uti ſapore atque odore non minus ad excitandum appetentiam alimentorum ſalubrium, quam averſionem & per conſequens nauſeam (§. 211.) inſalubrium, quamvis per rerum naturam contingat, ut non minus fallatur guſtus & odoratus, quem-

An nauſea ſit ſtimulus naturalis ad abſtinentiam.

admo-

admodum viſus. Quod vero in diſcernendis cibis ſalubribus ab inſalubribus nimis frequenter falli videatur, ac inprimis nauſea naſcens non advertatur, appetitui depravato adſcribendum. Guſtum enim corrumpi poſſe abunde conſtat, ſi cogitemus, cibum, quem initio maxime nauſeabamus, tandem guſtum hilarare, ubi diu multo ejus uſu eidem fuerimus aſſuefacti. Prodit autem natura nauſeam tanquam ſtimulum abſtinentiæ in pueris infantiæ proximis, ubi a parentibus adiguntur ad capiendum cibum, quem naturaliter averſantur & ſe comedere non poſſe affirmant. Clariſſime autem agnoſcitur in canibus, qui cibum porrectum non apprehendunt, niſi poſtquam odoratu eundem explorarunt, & ubi avide arreptus guſtui non probatur, ipſum ſtatim evomunt. Nullus itaque aſſerere dubito, nauſeam in ſignificatu latiori acceptam, in quo nos vocabulum accipimus (§. *cit.*), eſſe ſtimulum naturalem abſtinentiæ.

Dedit natura homini & brutis famem, ut ſit appetentiæ cibi ſtimulus, corporis conſervandi cauſa. Aſt cum hujus conſervationi ſola cibi aſſumtio non ſufficiat, ſed requiratur etiam ut cibus ei conveniens aſſumatur, natura non ſufficienter conſervationi corporis proſpexiſſet, niſi etiam nos doceret, a quonam cibo ſit abſtinendum. Quod vero homines vocem naturæ non perinde audiant, quemadmodum bruta, eidemque promptum obſequium præſtent, non alia ratio eſt, quam paulo ante in caſu ſimili allegata (*not.* §. 204.): quæ cum ſive culpa, ſive infortunio noſtro plerumque locum habeat, non diffiteor, nos ad evitandum cibos inſalubres a nauſea parum præſidii expectare poſſe. Ciborum varietate multum depravatur guſtus & in depravationem plurimum influit conſuetudo inveterata, cujus originem ignoramus, atque vitiorum influxus: quæ cauſæ omnes in brutis ceſſant. Senſuum uſus latius patet, quam qui vulgo attenditur. Pertinet huc

huc uſus viſus in arte ſurdos & mutos loquelam docendi, quam exercuit & deſcripſit in peculiari Tractatu de loquela *Ammannus*, exercuerunt etiam alii in Anglia & Germania. In ea enim viſus ſurdi loquentis fungitur vice auditus, ubi percipere vult, quid loquatur alius, in hujus ſaltem os converſis oculis. Similiter cœcus *Roberti Boyle* tactu diſcernens colores tactu uſus loco viſus, ut jam nihil dicam de Profeſſore cœco Matheſeos apud Cantabrigienſes. Et ſurdus *Walliſii*, qui ex motu pedibus impreſſo a terra concuſſa dignoſcebat lineam directionis currus a tergo advecti, tactu utebatur loco auditus, multoque felicius, quam nos auditu utimur. Hinc omnino elucet in dubium vocari minime poſſe ſenſationem nobis inobſervabilem, ad quam attentionem ſufficientem afferre non adſuevimus, immo quam plures quoque cauſæ impediunt. Plura in hominum poteſtate ſunt, quam quæ eidem ſubjiciunt, nec eſt quod miremur, eos partim non uſu, partim abuſu facultatum ſuarum inſcios eidem ſubducere, quæ natura ſubjecerat.

§. 213.

Ex ſapore & odore grato ſalubritas cibi dignoſci nequit. Experientia conſtat, cibos grati ſaporis atque odoris, quamvis avide appetantur, quia ſenſum hilarant, non tamen eſſe ſalubres, cum incommoda ſtatim experiamur, quando ventriculo vix fuerint ingeſta, aut in ipſa concoctione, aut ſtatim poſt eandem: de quibus incommodis mox diſertius dicemus. Accedit ſapores & odores ſimiles quodammodo, ſeu affinitatem quandam inter ſe habentes, communes eſſe cibis, quorum alios nobis vel inſalubres deprehendimus, alios minus. Accedit porro, quod conſuetudo ſaporem & odorem ingratum vertat in gratum, ut eodem invitati avide appetamus cibum, quem antea averſabamur. Patet itaque,

An ex ſapore & odore grato ſalubritas cibi dignoſci poſſit.

iraque, cibi ſalubritatem ex ſapore & odore grato dighoſci minime poſſe.

Communiter cibus bonus dicitur, qui bene ſapit & bene olet, ita ut propterea commendetur convivis. Convenit hoc cum notione boni, qua ſenſu bonum a malo diſtingvitur ante intellectus uſum (§. 4. 5. *part. 2. Eth.*). Si rationem audias, cum is demum bonus ſit, qui revera corpus noſtrum perficit (§. 557. *Pſych. empir.*), conſequenter qui ſanitati conducit (§. 317. *& ſeqq. & §. 345. part. 1. Jur. nat.*), ideoque qui bene concoquitur, & ex quo chylus conficitur corpus bene nutriens & tranſpirationem inſenſibilem promovens, ut alia taceamus; cibi boni dijudicatio non adeo obvia eſt, nec ad cujusvis palatum. Non tamen propterea exiſtimandum eſt, quaſi ſit impoſſibilis, quod tanta ſcientia, quam ſupponit, non cadit promiſcue in omnes. Etenim quia plerique homines vivunt more recepto & in iis, quæ non intelligunt, ſequi tenentur exemplum aliorum; qui habent ſcientiam, eadem prodeſſe poſſunt aliis more eidem conformiter mutato: quod quamvis non adeo facile fieri poteſt, inter ea tamen minime referendum, quæ impoſſibilia ſunt. Quoniam vero nondum invaluit mos, ut aliena ratione regatur judicium de cibi bonitate; ſenſu ſtatur & ideo coquinaria, de qua tot libri conſcripti ſunt ac hodienum ſcribuntur, cum ſanitati ſervire deberet, palato unice ſervit, ut, ſi eam velis in formam ſcientiæ redigere, axiomata ſumenda eſſent ab iis, quæ cibum guſtui, olfactui & viſui commendant, non vero quæ ex principiis phyſicis de nutritione corporis ad tuendam ſanitatem apta demonſtrari poterant, quemadmodum conveniret coquinariæ rationali, ut locum inter diſciplinas philoſophicas mereretur. Quemadmodum notio boni in genere, quæ ſenſui debetur, deceptrix ſit, quando voluptas nocua ab innocua non diſcernitur (§. 6. *part. 2. Eth.*); ita quoque notio cibi boni communis ſeductrix eſt & mater crapularum, morborum genetrix, vitæ inſidiatrix, nec quicquam moderabile ſuadet.

ſuadet. Abſit vero ut exiſtimes, hoc contrarium eſſe iis, quæ paulo ante de nauſea naturali abſtinentiæ ſtimulo diximus (§. 212.). Etenim iam monuimus appetitum hominis a prima infantia corrumpi & corruptionem continuo foveri, ut tandem in alteram naturam degeneret, quæ naturæ corporis noſtri divinitus datæ adverſatur eamque ſuperat ſibique ſubjicit, ſicque contra naturam agamus, dum ſecundum eandem agere nobis videmur. Poſſe autem quoque non minus guſtum, quam viſum falli, ut judicium eo nixum veritati adverſetur, antea jam monuimus (*not. §. cit.*). Quemadmodum vero Opticus detegit fallacias viſus; ita Phyſici foret inquirere in fallacias guſtus & ceterorum ſenſuum. Aſt multa adhuc eſſent invenienda, antequam ad has detegendas patet via. Conſtat vero eundem eſſe Phyſicorum morem, qui aliorum eſſe ſolet, ut magis delectentur curioſis, quam utilibus, quaſi ratio homini data ſit ad ludendum, non vero ad bene & recte vivendum. Multa hic dicenda forent, ſi digreſſioni prolixiori locus concederetur: occurrent tamen hinc inde in ſequentibus, quæ huc trahi poſſunt. Sicuti vanitas ubivis regnat, ita etiam in cultura diſciplinarum. Magnum eruditorum idolum eſt vanitas, cui nimium litatur, ac tamdiu litabitur, quamdiu eruditi non idem ſtatuent pretium virtuti, quod eruditioni, aut ſcientiæ.

§. 214.

Si tempore concoctionis obſerventur incommoda, veluti ructus, nauſea, ardor ventriculi, dolor capitis, habita inprimis ratione obſervetur, etiam eorum, quæ vel ante, vel poſt prandium, aut die quoque præcedente, vel in prandio ejusdem, aut cœna præcedentis diei aſſumſibus bene mus; inde colligi poterit cibi aſſumti inſalubritas, vel ſimpliciter, vel ſub certa conditione tali, nimirum quem ventriculus non bene concoquit, aut qui qualitatibus noxiis gaudet. Quando ventriculus cibum aſſumtum bene concoquit, nec cibus noxia quadam qualitate laborat, nulla quoque ratio eſt, cur quædam du-

noxias quabeat.

rante concoctione, aut eadem finita ſentiantur incommoda. Quodſi enim concoctio ſine iis fieri non poſſet, ſemper ea experiremur: id quod experientiæ repugnat, quæ eam nobis nil ſentientibus abſolvi teſtatur, niſi cauſa quædam extraordinaria adſit. Quamobrem cum inde poſſimus eſſe certi ventriculi facultatem concoctricem non laborare vitio; ſi quædam incommoda extraordinaria obſerventur, qualia ſunt ructus, nauſea, ardor ventriculi, dolor capitis; vitium neceſſe eſt ut inhæreat cibo aſſumto, qualecunque tandem id fuerit, atque hinc colligitur, eundem nobis non eſſe ſalubrem. Quoniam vero fieri poteſt, ut ventriculus ad male, aut minus recte concoquendum diſponatur per quosdam cibos die præcedente aſſumtos, vel etiam eodem die ante; cibus nunc aſſumtus non bene digeritur ob concurſum alterius cauſæ, ideoque hinc colligitur, eum non ſimpliciter nobis eſſe inſalubrem, ſed ſub certa conditione, quam circumſtantiæ datæ patefaciunt. Patet itaque, ſi in obſervando fuerimus diligentes, quemadmodum præſcribit propoſitio præſens, nos detegere poſſe, quosnam cibos ventriculus bene concoquat, quos vel difficulter, vel male concoquat, conſequenter quinam cibi nobis ſint ſalubres.

Concoctionis, aut, ſi mavis, digeſtionis ciborum in ventriculo maximum momentum eſt in conſervanda ſanitate. Eadem enim cibus aſſumtus tanquam mixtum reſolvitur in alia ſimpliciora, quæ deinceps in inteſtinis ſecreta conficiunt chylum corpori alendo deſtinatum, ut reſarciatur, quod inſenſibiliter tranſpiravit. Quamobrem ſi inquirere velimus, quinam cibi nobis ſint ſalubres; maxime intereſt, ut animum ad concoctionem attendamus. Etenim ne cibo tribuamus, quod ventriculi vitio erat imputandum, ſtatuum præteritorum recordatione cavetur, tum ex ipſis quoque indiciis cautio petitur. Oſtendimus vero jam ſuperius, ſi hujusmodi obſer-

obſervationes habere voluerimus, cibo utendum eſſe ſimplici, non vario (§. 203.). Cibi varii junctim inſalubres eſſe poſſunt, quæ ſingulæ per ſe non ſunt: ſicuti ex adverſo etiam contingit, ut unus corrigat vitium alterius, medicamenti vice una fungens. Neque perinde eſt, ſi vario cibo delecteris, quinam primo loco ventriculo ingeratur. Multa hic omnino ſeſe offerunt, quæ accuratam diſcuſſionem merentur: ſed hæc Phyſici potius ſunt, quam morum doctoris, ſit ita quod hic manum auxiliatricem ab eo expectet, ex illius inventis præcepta ſalutaria ad uſum communem deducturus. Diſciplinæ omnes inter ſe cohærent, ut mutuam ſibi opem ferant, quæ tamen in una tradenda ſunt, in altera demonſtrari non poſſe non ignorat, qui methodi ſaltem leges habuerit perſpectas verioris Logicæ minime ignarus. Reſtant vero nonnulla adhuc monenda, ut propoſitio præſens ſatis intelligatur. Ita notandum eſt, ructus multum inter ſe differre: adeo manifeſta vero eſt eorum differentia, ut in ſenſum cujusvis incurrat, nec ulla arte opus ſit ad eam obſervandam. Sunt quidam ructus, in quibus præter flatum non alia percipitur qualitas ſive moleſta, ſive non ingrata. Sunt ructus alii, qui nauſeam quandam movent: alii ſunt acidi, alii nidoroſi, ſapore quodam materiæ corruptæ guſtum moleſtantes, alii vero ſaporem cibi, vel potus aſſumti renovantes, potatoribus ſubinde non ingratum. Facile patet, ad hanc differentiam animum eſſe attendendum, ſi de alimentorum tibi ſalubrium qualitate judicare volueris. De ardore ſtomachi tenendum, quod vel œſophagum potiſſimum moleſtet, quod accidere ſolet, ſi alimenta pingvia fuerint aſſumta, quamvis in ventriculo nullus percipiatur dolor, vel qui urendo quaſi ventriculum torquet, etſi rarius accedat ructus œſophago moleſtus, dolore ardente nonnunquam in ipſa inteſtina diffuſo. Germani malum prius den Sodt vulgo appellant, quamvis *Sennertus* Med. Pract. lib. 3. part. 1. ſect. 2. c. 16. f. m. 411. idem nomen latius extendat, ut alterum ſimul complectatur, quod ego das Magenbrennen vocare conſuevi, cum

magnam deprehenderim differentiam inter utrumque, ut unum cum altero nihil ſimile habere videatur &, ſi dolorem ſpectes, illud reſpectu alterius fere nihili ſit faciendum. Nolo commemorare differentias alias, quas circumſtantiæ produnt, cum mihi non jam ſit propoſitum hiſtoriam hujus mali deſcribere certe moleſtiſſimi, quamvis minime periculoſi, ſi excipias damna, quæ ex chylo minus bono conſequuntur in nutritione. De dolore capitis quoque ſciendum eſt, eundem plurimum differre, ita ut nunc ſit exquiſitior, nunc vero in obtuſo quodam ſenſu ſubſiſtat, qui proxime ad debilitatem capitis, quam antea dixi, accedit, functiones cerebri in actibus imaginationis & memoriæ impedientem, ideoque meditationibus infeſtam (*not.* §. 207.). Cum confuſe percepta non ſatis deſcribi poſſint, ut penitus intelligantur; ſufficit dixiſſe, quantum ſufficit, ut malum præſens agnoſcatur, quando ad id attentum animum exigit obſervatio.

§. 215.

Unde conſtet, nec in cibi quantitate, nec qualitate peccatum eſſe.

Si ſomno uſi fuimus quieto, nec expergefacti ullum percipimus langvorem, ſed quandam potius corporis levitatem, immo etiam animum ad hilaritatem compoſitum; nec in cibi qualitate, nec quantitate peccatum eſſe inde colligitur. Quodſi enim ſomno uſi fuimus quieto, omnes abfuerunt ſenſus moleſti in ventriculo & inteſtinis, quales a nimia alimentorum aſſumtorum quantitate, vel noxia quadam qualitate pendere ac ſomnum vigiliis, aut minimum ſomniis interrumpere conſtat. Quodſi nullum corporis langvorem ſentiamus, ſed quandam potius omnium membrorum levitatem; id certe indicio eſt, tranſpirationem inſenſibilem rite fuiſſe peractam, quamvis nullo ſudore madeat corpus, quod nimio potius debilitatur. Cibos enim, qui tranſpirationem inſenſibilem promovent, eſſe ſalubres, hoc eſt, & bene digeſtos in ventriculo atque inteſtinis, & qualitates nutritioni convenientes habere, dudum exploratum

Digitized by Google

tum eſt. Denique ſi animus fuerit ad hilaritatem compoſitus, etiamſi nullum adſit lætitiæ objectum, de quo cogitemus; cum anima ſibi corpus ſuum repræſentet, corpus ſeſe bene habere intelligitur, conſequenter non eſt quod dubitemus, nihil nos aſſumſiſſe, ob quod male ſe habere debeat. Quamobrem ſi ſomno uſi fuimus quieto, nec expergefacti ullum percipimus langvorem, ſed quandam potius corporis levitatem, immo animum etiam ad hilaritatem compoſitum; ſatis tuto inde colligitur nos nec in cibi quantitate, nec qualitate peccaſſe.

Non diffiteor, ad hunc corporis ſtatum alias adhuc concurrere cauſas, cum res non naturales, a quibus is pendet, complures ſint (§. 417. *part. 1. Jur. nat.*), ad ceteras tamen ſimul ut attendatur animus, opus in præſenti non eſt: ſufficit enim ut ceteris ſeſe recte habentibus nullus quoque in cibo ac potu aſſumto commiſſus fuerit error. Dari ſenſus quosdam moleſtos a cibo vel potu aſſumto excitatos, quibus ſomnus interrumpitur, ne ſatis quieto fruamur, experientiæ fide ſumimus. Ita ardor ventriculi non permittit, ut dormiamus, ſi fuerit alterius ſpeciei, qui exquiſito dolore nos cruciat, & quamdiu cruciatus ſubſiſtunt in ſomnum ut recidamus fieri nequit, quamvis nulla alia adſit cauſa, quæ eundem cohibeat. Ex adverſo ructus ſaporem cibi ingeſti renovantes, aut ſapor quidam falſus vel quicunque alius quacunque de cauſa productus ſomnio dat cauſam (§. 123. *Pſych. empir.*). Tranſpiratio inſenſibilis maximum momentum habere in ſanitate conſervanda, experimentis indubiis dudum comprobavit *Sanctorius*, Medicus Italus, in Medicina Statica, qui quotidie ponderando corpus in ſtatera, ut de ejus quantitate exacte ſtatuere poſſet, accuratiſſime in eam inquiſivit. Reperit vero inter alia, non omnes cibos eidem æque favere, & plurimum conducere ſomnum quietum. Sane pro certo hodie habetur, quamdiu tranſpiratio inſenſibilis recte

ſe

ſe habet, ut, quantum per eam ſubſtantiæ corporis decedit, tantundem per ingeſta reſtituatur, conſequenter corpus in eodem ſtatu conſervetur, nullum ſanitati periculum imminere. Patet autem, uberiorem talium explicationem ac disquiſitionem ad Phyſicam pertinere. In præſenti igitur quædam ſumenda ſunt, quæ ſuo demum loco ſufficienter discutienda. Quod vero ſtatus animi ad hilaritatem compoſitus, quamvis nullum adſit objectum peculiare ad lætitiam concitandam aptum, quod cogitationem noſtram ſubeat, hic attendendus ſit, ex principiis pſychologicis liquet. Nec quicquam difficultatis ſupereſſe poterit ei, qui novit, quid ſit harmonia mentis & corporis (§. 539. *Pſych. rat.*), quam evidenter demonſtravimus (§. 540. *Pſych. rat.*), nec hypotheſin philoſophicam eſſe oſtendimus (§. 541. *Pſych. rat.*), non confundendam cum ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quo *Leibnitius* commercium inter animam & corpus explicare docuit (§. 612. *Pſych. rat.*). Sed accuratior hujus ipſius quoque disquiſitio ad Phyſicam pertinet. Neminem offendat, quod ad Phyſicam pertinere dicamus, quæ alii forſan rectius ad Medicinam referenda eſſe contendent. Medicina enim proprie ars eſt tuendi ſanitatem & curatione morborum amiſſam reſtituendi: ipſa vero ſanitatis & morborum, ſeu ſtatus corporis tam naturalis, quam præternaturalis ſcientia, immo & rerum ſalubrium ac inſalubrium & virtutis medicamentorum ſcientia, non nuda notitia, Phyſicæ pars eſt, quemadmodum quoque jam olim a veteribus hoc animadverſum fuiſſe autor eſt *Celſus* in præfatione, quæ primum in libro primo de Medicina locum occupat. Abſit tamen, ut tibi propterea perſuadeas, nobis eam animo ſedere ſententiam, quaſi a Medico inſuper haberi debeat ſcientia, qua arti ſuæ lux affunditur, ejusque praxis efficitur tutior. Quamvis enim Phyſicæ, parti Philoſophiæ, vindicemus quod ſuum eſt; non tamen propterea nolumus, ut Medicus idem ſit Phyſicus, & Medicum Philoſophum cum *Hippocrate* empiricis multum præferimus, ideoque conſilium *Balthaſaris Timæi* von Goldenklee,

tlee, Medici ſuo tempore celebris, quod dedit filio ſuo lib. 6. epiſt. 3. de ſtudio medico recte inſtituendo, valde probo, qui ſtudium Philoſophiæ ac Matheſeos filio ſuo magnopere commendavit, quamvis pro præſenti diſciplinarum ſtatu multa addenda, quædam etiam immutanda forent. Ceterum quæ hactenus dicta ſunt ſufficiant, ut in uſu alimentorum nobis caveamus ab eo, quod ſanitati nocet, quantum in poteſtate noſtra eſt. Quamvis vero ſuperius obſervavimus autores, qui de alimentis ſcripſerunt, & quos vulgo ſequuntur Medici in præceptis diæteticis, qualitates alimentorum ſaltem recenſere, ut qui eorum ſcripta legit ſola autoritate ſtare cogatur (*not.* §. 200.); non tamen propterea eorum notitia prorſus inutilis cenſeri debet. Prodeſt enim ut in nobis ipſis obſervemus, utrum quæ tam unanimiter aſſeruntur, domeſtica experientia confirmentur, nec ne; præſertim cum vix ſit ut dubitemus, eſſe inter ea, quæ certa experientia nituntur, quamvis deficiant obſervationes, ex quibus non fallax eſt de certitudine judicium. Nemo vero negare auſit, majorem utilitatem ſperandam eſſe a theoria alimentorum rationali, quæ Philoſophi in obſervando, experimentando & demonſtrando ſatis exercitati manum auxiliatricem requirit. Aſt quanti ſit laboris theoriam iſtiusmodi condere, nemo intelligit, niſi qui intime perſpexit quid ſit ſcientia. Scopo autem præſenti ſatisfacit conſilium diæteticum laudati modo Medici, opus ejus poſthumum, quod Reſponſis Medicis Lipſiæ A. 1677. in 4to editis annexum, vel caput ſecundum lib. 2. Compendii ſupra laudati *Jacobæi.*

§. 216.

Qualitates aëris ſunt calor & frigus, humiditas & ſiccitas: De qualitaquibus accenſenda quoque eſt elaſticitas & denſitas atque raritas, atibus aëris. gravitate atmoſphæræ pendens, itemque puritas & impuritas, prouti ſcilicet exhalationibus fœtidis & venenatis, quæ dicuntur, ſeu ſanitati infeſtis aër infectus non eſt, vel refertus. Calor & frigus

Digitized by Google

aëris corpus noſtrum ambientis tactu dignoſcitur. Humiditatem & ſiccitatem indicant hygroſcopia (§. 197. *Elem. Aërometr.*), humiditatem quoque produnt corpora, quæ cum alias ſint ſicca, humida deprehenduntur tactu. Gravitatem atmoſphæræ & per conſequens ab ea dependentem elaſticitatem atque denſitatem barometra & manoſcopia (§. 89. 160. *Elem. Aerom.*). Exhalationes fœtidæ, quibus aër inficitur, odore dignoſcuntur: aliæ ex circumſtantiis locorum colliguntur, quamvis etiam lubenter fateamur, dari complures, quæ ſenſu percipi non poſſint.

Antequam barometra fuerunt inventa & antlia pneumatica, de variatione ponderis atmoſphærici indeque pendentis elaſticitatis ac denſitatis aëris non cogitarunt Philoſophi ac Medici, quamvis in influxu aëris in corpus noſtrum hæ qualitates non minus attendendæ ſint, quam ceteræ, quamvis diffitendum non ſit, easdem regimini noſtro minus ſubjecta eſſe quam ceteras. Quamobrem in diæta ſolum attenderunt qualitates quatuor calorem ſcilicet, frigus, humiditatem & ſiccitatem, ac præterea puritatem & impuritatem aëris.

§. 217.

Quinam aër ſanitati conducat.

Sanitati conducit aër temperatus, hoc eſt, nec nimium calidus, nec nimium frigidus, nec nimium humidus, nec nimium ſiccus, atque purus. Quoniam non modo aërem continuo inſpiramus & expiramus, verum etiam is per poros cutis ſeſe inſinuat; cur qualitatum ejus habenda ſit ratio in tuenda ſanitate facile patet. Cum vero in genere conſtet, omne nimium naturæ eſſe inimicum, vel hinc colligi poterat, exceſſum hujus, vel illius qualitatis in aëre ſanitati minime conducere. Sed & experientia influxum aëris qualitate quadam excedentis atque impuri ſanitati parum amicum, nunc manifeſtius loqui-

loquitur, nunc attentioribus & acutioribus prodit. Quinam ſit aëris calidi, quinam frigidi effectus, in vulgus notum eſt, ipſeque ſenſus moleſtus vi eorum, quæ antea de naturæ monitis ſalutaribus annotavimus (*not.* §. 209.), nos admonet, quod ſanitati parum conducant. Noxia aëris qualitas, quæ in exceſſu humiditatis vel ſiccitatis deprehenditur, antiquiſſimis jam temporibus ex morbis, quorum cauſæ ſunt venti ex hac, vel iſta plaga ſpirantes, collecta fuit. Et eodem modo innotuit damnum, quod dat aër impurus, inter cauſas morborum epidemicorum relatus.

Non quemvis aërem ſanitati conducere, adeo obvia experientia diſcimus, ut ideo ipſum vulgus aërem nunc ſalubrem, nunc inſalubrem appellet & hunc vitari jubeat. Ita aërem humidum & frigidum ſanitati parum conducere novit, & magis probatur frigidior & ſiccus. Similiter nemo eſt, qui non ſentiat, aërem ſubinde ad reſpirandum eſſe minus aptum, qualis eſſe ſolet tempore æſtivo, quando æſtus ſolis nimium fervet, nec vento agitatur aër. Nemo quoque eſt, qui non aërem liberum ſalubriorem eſſe concedit, quam intra anguſtum quendam locum concluſum.

§. 218.

Quoniam ſanitati conducit aër temperatus & purus (§. *Quænam aë-* 217.); *qui ſanitati conſulere vult, operam dare debet, ut non mo- ris cura ſit do in ædibus, quas inhabitat, ſit aër purus, verum etiam in con- habenda. clavi, in quo interdiu manet atque in cubiculo, in quo per noctem dormit, aër ſit temperatus atque purus, quantum datur.*

Ea de cauſa jam antiqui verno præſertim tempore aëre liberiori ac puriori ruris frui maluerunt, quam in magnis urbibus degere, ubi major populi confluxus eſt. Cumque conſtitutionem aëris magnum momentum habere obſervaverit *Sanctorius* in tranſpiratione inſenſibili, quæ ſanitati tanto præ-

ſidio eſt; *Timæus a* **Güldenklee** in Conſilio diætetico *part. 1. c. 1.* refert, ſe Venetiis apud eum vidiſſe ſingulare organon, cujus miniſterio aërem conclavis ſolibus æſtivis bruma efficiebat frigidiorem, & duo alia, quibus aëris conſtitutionem accuratiſſime dignoſcebat. Et *Vitruvius* lib. 1. c. 6. docuit, quomodo intra muros urbium fieri debeant arearum diviſiones platearumque & angiportuum ad cœli regionem directiones, ut ventorum noxii flatus vitentur, provocans ad oppidum Mytilene in inſula Lesbo magnificenter ædificatum & eleganter, ſed poſitum non prudenter, ita ut homines ægrotent, cum flat auſter, tuſſiant, cum Corus, nec in angiportis & plateis poſſint conſiſtere propter frigoris vehementiam. Noſtrum jam non eſt docere, quomodo qualitates aëris noxiæ ſint in conclavibus corrigendæ, ſive remediis phyſicis, qualia docet Medicus modo laudatus *loc. cit.* ſive artificialibus, quale eſt conſtructio caminorum hieme aërem in conclavi continuo renovantium, ab Autore Gallo *Gauger* inventa & in Mechanica ignis, quam vocat, deſcripta, lib. 3. c. 2. vel etiam fornacum ſimilem uſum habentium (§. 479. 487. *Elem. Anh. civ.*). Mixtum remedium videtur uſus æolipilarum, odorem gratum aëri in conclavi conciliantium, quem deſcribit *Ricius*, Medicus & Mathematicus, in Commentario ad verſionem Germanicam *Vitruvii loc. cit.* f. 86. Vulgo homines de noxiis aëris qualitatibus vitandis parum cogitant, quaſi in uſu aëris, quo continuo ad reſpirandum indigemus, nihil poteſtati noſtræ ſit relictum, præſertim cum ignorent, quomodo in tranſpirationem inſenſibilem influat, & quantum hæc momentum in tuenda ſanitate habeat; ſed ſeſe totos omni abjecta cura caſui permittunt. Quamobrem cum in Moralibus non ſufficiat, ut inculcemus, ſanitatis maximam habendam eſſe curam; ideo docendum quoque eſt, quænam attendenda ſint, ut eam recte geras. Quamvis enim plurimi emergant caſus, in quibus vitatio vel correctio qualitatum noxiarum aëris poteſtati noſtræ ſubducitur; non tamen propterea negligenda eſt ea, quæ poteſtati noſtræ ſubjecta eſt.

In

In quantum autem poteſtati noſtræ ſubjecta ſit, ex circumſtantiis ſingularibus dijudicandum: quæ ſi accurate obſerventur & ſatis ponderentur, plura haud raro in poteſtate noſtra deprehendemus, quam putabamus. Diximus antea, *Sanctorium* habuiſſe duo organa, quibus conſtitutionem aëris accuratiſſime dignovit. Qualia hæc fuerint ignoramus, cum ea non deſcripſerit *Timæus a* **Güldenklee**, qui ea apud ipſum ſe vidiſſe narrat. Novimus vero huic uſui inſervire thermometra, barometra & hygrometra. Ita e. gr. ſi conſtet, quinam caloris gradus tranſpirationi inſenſibili maxime conveniat; idem in conclavi tempore hiemali conſervari poterit beneficio thermometri. Quodſi exaſciata proſtaret theoria uſus diæterici aëris; nullum eſt dubium, quin plura poteſtati noſtræ ſubjici poſſent, quam nunc datur. Quamdiu vero ea deſideratur, contenti eſſe debemus, ut ea faciamus, quæ circumſtantiæ præſentes nobis ſuadent, niſi attentionem noſtram in nobis deſiderari patiamur. Theoriam iſtam ſpectare ad Phyſicam, patet ex iis, quæ paulo ante annotavimus (*not.* §. 215.).

§. 219.

Somnus moderatus dicitur, qui membris corporis delaſ- *De ſomno*
ſatis inſtaurandis & viribus labore ſive corporis, ſive animi *moderato &*
exhauſtis refocillandis ſufficit. Unde ſimul patet, quænam *vigiliis ni-*
Vigiliæ ſint *nimiæ*, quippe ſomno moderato oppoſitæ. Con- *miis.*
ſtat autem per experimenta *Sanctorii* in Medicina Statica *vigiliis nimiis inhiberi tranſpirationem inſenſibilem ad ſanitatem & vigorem corporis conſervandum adeo neceſſariam.* Atque hinc patet, *a vigiliis nimiis, quantum datur, eſſe abſtinendum.* Ex ipſa autem definitione patet, *nos ſomno uſos eſſe moderato, ſi ſurgentes nullam laſſitudinem membrorum percipiamus, nec caput turbatum experiamur.*

Quam neceſſarius ſit ſomnus ad vitam & ſanitatem conſervandam, ex incommodis, quæ nimias vigilias comitantur, omnium clariſſime patet. Etſi enim commoda quoque ſenſu percipiantur, quæ ſomnum moderatum ſequuntur; vulgo tamen animus ad ea parum attenditur, quemadmodum ſanitas corporis nullam attentionem in ſe trahit, cum ex adverſo ſi quidpiam moleſtum accidit corpori, id ſtatim moveat ſenſum. Quamobrem quoque facilius percipimus vigorem corporis, ſi ſtatum præſentem comparemus cum eo, in quo membrorum laſſitudo nobis erat moleſta, aut caput perturbatum experiebamur, conſequenter id quod exiſtit colligatur ex eo, quod non exiſtit. Communiter ſomnum moderatum tempore metiuntur, ut inter regulas diæteticas antiquorum jam hæc habuerit locum, ſomnum octo horas non excedere, nec ſeptem breviorem eſſe debere: unde vulgo ſomnus moderatus ad ſeptem horas reſtringitur. Non tamen ſatis certo reſtringi poteſt, cum non modo varient hominum complexiones, ſed aliæ quoque dentur cauſæ accidentales, quæ nunc longiorem, nunc breviorem urgent. Quamobrem conſultum eſt, ut quilibet ſtatum corporis ſui exploret, quando mane ſurgit, non neglectis tamen, quantum fieri poteſt, rebus non naturalibus ceteris, quæ in eundem influere ſolent. Non diffiteor obſervationem eſſe difficilem, ubi plures cauſæ ad eundem effectum concurrunt, ut accurate a ſe invicem ſeparentur, quænam huic, quænam alii cauſæ tribuenda ſint. Aſt ſi obſervationes diu continuentur, differentiam obſervare licebit, quæ in effectu deprehenditur, ſi concurſui plurium cauſarum, quam ſi uni ſoli debetur, quamvis nondum ſatis exercitatus eam pervidere nequeat. Tanto autem facilius hoc ſuccedet, ubi in cognitione rationum ſimul profeceris. Quemadmodum homines nimis audaces ſunt in judicando, quando in rerum cognitione parum adhuc profecerunt; ita etiam cœcutiunt in obſervando, ſi nondum ſatis exercitati fuerint, quamvis ſibi videantur Argo oculatiores. Probe autem notandum eſt, ſomnum alium eſſe naturalem, alium

alium medicamentis inductum. Quæ vero hic de ſomno dicuntur, de naturali intelligenda ſunt. Nec ſemper tutum eſt, in ſomno conciliando confugere ad medicamenta, multa cautione adhibenda, ne ſanitati plus noceant, quam proſint.

§. 220.

Quoniam a vigiliis nimiis eſt abſtinendum (§. 209.); *Quatenus ea omnia ſollicite vitanda ſunt, quæ ſomnum impedire ac ingruentem repellere experimur, nec dormiturientes naturæ ad ſomnum capiendum nos ſollicitanti obſiſtere debemus.* Et quoniam conſtat, eam eſſe naturam hominis, ut facile rei cuidam adſuefiat, ſi ſæpius iteretur, tandemque conſuetudo in alteram naturam abeat; *conſultum eſt, ut ſtato tempore cubitum ire adſueſcamus.*

a nimiis vigilis cavere poſſimus.

Diximus ſupra, quemlibet in ſeipſo obſervare debere, quinam cibi ſint ſibi ſalubres, quinam inſalubres, & quænam ſit nobis conveniens quantitas (§. 201. 202.). Idem tenendum quoque eſt de rebus ceteris non naturalibus, conſequenter etiam de ſomno & vigiliis. Et quamvis non contemnenda ſint, quæ ab aliis obſervata feruntur; eorum tamen notitia nos excitare debet ad eadem, ſi fieri poteſt, in nobis ipſis obſervanda. Domeſtica enim experientia plus valet, quam aliena, non modo quod certior ſit nobis, verum etiam quia quod obſervatur rectius intelligimus, cum ea, quorum nonniſi notionem confuſam habemus, ita deſcribi nequeant, ut ſatis intelligantur, licet ad excitandum attentionem ad obſervandum ſufficiant, quemadmodum jam antea monuimus (§. 215.), hic vero denuo inculcari conſultum ducimus. Obſervationes, quas exigit rectus ſomni uſus, ut intelligatur, in quantum is in poteſtate noſtra ſit, in quantum non ſit, pleræque minus difficultatis habent, quam quas diæta de cibo & potu atque aere exigit. Ita facile obſervamus impediri ſomnum affectuum non minus jucundorum, quam moleſtorum impetu, ideoque etiam cogitatione rerum, qua affectus concitare

tare ſolent. Idem facit imaginatio in producendis ideis rerum præteritarum, aut alias cogitatarum ferax. Supra quoque jam monuimus, nos naturæ nutum obſervare debere eidemque obſequi (§. 204.); idem igitur hic quoque obſervandum. Admonet nos natura eo ſenſu, quem dormiturientes habemus, ſomno eſſe indulgendum. Eſt is ipſe ſtimulus naturalis ad ſomnum capiendum, ſicuti fames ac ſitis ad edendum & bibendum. Naturæ itaque ad ſomnum nos ſollicitanti reſiſtere minime debemus. Hac ipſa de cauſa præcipit *Bontekoë*, dormiendum eſſe, quando natura nos ad ſomnum capiendum invitat, nulla habita temporis ratione, quemadmodum etiam edendum ac bibendum, quando fames aut ſitis ad cibum, vel potum capiendum nos ſtimulat, exemplo animalium confiſus. Enimvero cum hominis conditio non ferat, ut in iis, quæ ab ipſo fieri debent, non certum tempus obſervetur; ideo omnino non tam conſultum, quam neceſſe eſt, ut naturam certo tempori adſuefaciamus: id quod fieri poſſe, nemo facile eſt, qui neſciat. Immo conſtat, ipſa quoque bruta eodem modo adſuefieri poſſe, ut conſuetudo in earum quaſi naturam vertatur. Neque tum quicquam a nobis committetur, quod eſt contra naturam, ſed natura officio ſuo fungetur, quemadmodum adſuefacta fuerit. Quoniam mihi in præſenti aliud propoſitum non eſt, quam ad obſervationes domeſticas incitare ſanitatis conſervandæ cupidos, lubens prætermitto, quæ de variis quæſtionibus, quæ de ſomno & vigiliis moveri ſolent, dicenda forent, veluti cuinam lateri incumbendo ſit inchoandus & quamdiu ita continuandus, an ſomnus meridianus ſit fugiendus, an noceat ſanitati. ſi mox a cœna ſomnus ineatur, & quænam ſunt hujusmodi aliæ. Earum diſcuſſio pertinet ad theoriam diæteticam rationalem, quam diximus, condere vero non eſt noſtri inſtituti. Cæterum quod facile adſuefieri poſſimus, ut ſtato tempore facile & obdormiamus, & expergefaciamus; dudum compertum eſt, neque alia re opus eſt, quam ut pauculis diebus continuis id obſervetur. Ego hora nona veſpertina

tina cubitum ire conſuevi, niſi cauſæ quædam extraordinariæ id impediant, & hora quarta matutina evigilo, ſomno uſus ſatis quieto, niſi cauſæ quædam extraordinariæ eum interrumpant, & tempus conſuetum, quod ſomno impenditur, tantiſper immutent. A lucubrationibus enim ſemper habui animum maxime alienum. Atque ſic obſervata quoque diæta quoad res ceteras non naturales, quantum in poteſtate eſt, vigorem corporis & animi conſervo, ut per diem laboribus conſuetis perferendis par ſim.

§. 222.

Nimietatem motus & quietis indicat laſſitudo, hujus autem Nimietatis quoque impatientia ex moleſto quodam ſenſu orta, & inprimis nimiam quietem ſedentis dolor quidam, dum ſurgimus, in utroque femore percipiendus, quamvis valde mediocris, nec diu durans. Nimio motu laſſari corpus & ſingula ejus membra in vulgus notum eſt. Quieſcit corpus, dum ſtamus & ſedemus. Stando nos defatigari noto notius eſt. Aſt nec ſedentibus idem accidere vulgus ignorat: frequenter enim ajentes audimus, quod ſedendo fuerint laſſati, ideoque vel tantiſper ſtare, vel ambulare conſultum ducant. Moleſtiam vero creari nimis diu ſedentibus, quam impatienter ferunt, non minus tralatitium eſt. Significant eam percipientes his verbis: ſe non diutius ſedere poſſe. Quod vero de dolore in femore percipiendo dicitur, cum plerumque male quoque ſederimus, aliæque præterea cauſæ concurrant, ut ſaltem in quibusdam ſubjectis rarior deprehendatur, mirum videri non debet, ſi vulgo non attendatur. Cum vero antea jam obſervaverimus, machinæ corporis noſtri perfectioni ſalutariter proſpexiſſe naturam, dum ſenſu quodam moleſto nos admonet tum eorum, quæ ſanitatis conſervandæ cauſa facienda ſunt, tum illorum, quæ vitanda ſunt; quæ de ſignis *motus & quietis ſigna.*

nimieratis motus & quietis dicuntur, ad naturæ conſilium quoque referenda ſunt, quæ non foret corporis conſervatrix, niſi eadem foret ſalutarium ac inſalutarium conſultrix.

Varii & multiplices ſunt corporis motus, qui tamen omnes ſanitati tuendæ non æque conveniunt, neque etiam homines omnes pro diverſitate conſtitutionis corporis, ætatis atque tempeſtatum anni ſtatarum eosdem promiſcue ferunt. Quamobrem ſicuti in ceteris, ita quoque in motu & quiete conſultiſſimum eſt, ut quilibet in ſeipſo experiatur, quid ſibi maxime conveniat, conſilium naturæ amplexus, quod in toto corpore dominari recte docuit *Lucretius*. Atque huc tendunt ea omnia, quæ de diæta præcipimus, non contemnenda, ſi vel maxime omnibus ſuis numeris abſoluta proſtaret theoria a Medicorum opinionibus, ſive incertis, ſive non ſatis evidentibus liberata, quippe quæ in ipſa applicatione pareret difficultates non a quolibet ſuperandas, quemadmodum facile videbit, qui ea perſpexit, quæ de uſu Logicæ in praxi vitæ integro capite demonſtravimus (§. 1211. *& ſeqq. Log.*). Eruditis maxime convenit ambulatio, in qua totum corpus & omnia ejus membra æqualiter moventur, & ſitus corporis æquali ſangvinis circulationi maxime convenit, & quæ nulli eorum incommodorum obnoxia eſt, cui alii motus obnoxii eſſe ſolent, & quæ præterea facillime moderationem admittit. Ea igitur non ſine ratione vectioni & equitationi præfertur. Labores autem manuales, quas eruditis ſuadent nonnulli, cum motum fortem ac vehementem requirant, mihi parum ipſis convenire videntur, eo magis damnandi, ſi non juſto tempore, veluti ſtatim a paſtu, inſtituantur.

§. 222.

De ſitu corporis in ſedendo.

Quodſi ſedentes dolorem quendam in aliqua parte corporis, præſertim cui onus ejus incumbit, animadvertamus; ſitus corporis in contra-

contrarium componendus. Etenim cum vi eorum, quæ toties inculcavimus de natura ſanitatis conſiliatrice, pro certo habendum, ſitum iſtum eſſe ſanitati corporis adverſum, ideoque vitandum; naturæ conſilium amplecti, ipſique obſequi debemus, conſequenter ſitus corporis moleſtus in contrarium componendus.

Quies non ſaltem exigit, ut ſedeamus, ſed etiam, ut ſedeamus bene, conſequenter ſedentes nullum incommodum percipiamus. Quamvis enim non noceat, ut ſedeamus; nocere tamen poteſt, ſi male ſedeamus, ſit ita quod omne nocumentum non ſtatim obſervabile ſit. Ingens naturæ beneficium exiſtimari debet, quod ea tempeſtive nos admoneat eorum, quæ vitanda ſunt, ut principio obſtemus, nec ſero medicina paranda ſit. Dantur quidam ſitus ſedentium, qui non ſtatim moleſti deprehenduntur, ſed demum ubi per aliquod temporis ſpatium fuerint continuati. Abſit igitur ut exiſtimes, hos eſſe innoxios, &, ubi moleſti deprehenduntur, id alii potius cauſæ ignotæ, quam ipſis attribuas, quemadmodum accidere haud raro ſolet. Immo conſtat, ſitum corporis non recte ſeſe habuiſſe, nos ſubinde tunc demum experiri, quando ſurgimus & ſitum corporis in alium componere tenemur. Ceterum quæ de ſitu partium corporis, dum ſedemus, dicta ſunt, ea quoque tenenda de ſitu conveniente earum, quando jacemus, in ſomno capiendo quoque obſervanda, ubi non minus ſitus totius corporis, quam partium ejusdem attendendus venit. Non quilibet ſitus corpori conducunt, ſi ſanitatem ſpectes. Sed in rationes convenientium inquirere Phyſici eſt (*not.* §. 215.).

§. 223.

Retentorum nomine venit, quicquid cibi ac potus aſ- *De retentis*
ſumti corporis nutritioni utile. *Excreta* vero appellantur, *& excretis.*
quæ tanquam inutilia excernenda ſunt. Quamobrem patet, *ſi*

Digitized by Google

retenta excernantur, cum id quod nutritioni & conſervationi corporis utile non retineatur, *aut ex adverſo excreta non excernantur*, cum id, quod conſervationi & nutritioni corporis inutile eſt, ideoque retentum nocet, retineatur; *utrumque ſanitati nocere.* Conſtat autem *eam eſſe corporis naturam, ut, niſi aliunde impediatur, aut quod excernendum vires ejus ſuperat, excreta excernat, retenta retineat*, hoc eſt, *ſi corpus eſſe debet ſanum, nutritioni & conſervationi ejus utilia retinenda, inutilia excernenda eſſe.* Et quoniam corpus noſtrum continuo tranſpirat, ut cibo ac potu in ventriculo bene concocto reſarciendum ſit, quod tranſpiravit; *tranſpirationem inſenſibilem in conſervanda ſanitate magnum habere momentum*, conſequenter *in præſenti maxime attendendum eſſe, ne vel excedat, vel deficiat.* Dividuntur autem *excreta in naturalia*, quæ tanquam inutilia excernenda ſunt, vel *præternaturalia*, quæ, cum retineri deberent, excernuntur, aut præter naturam in corpore genita ſunt, vel etiam per vias inſolitas excernuntur. Ita naturalia ſunt fæces alvi, urina, fluxus menſtruus, ſputum, mucus narium, & quæ inſenſibiliter tranſpirant: præternaturalia calculi & vermes, ſangvis, bilis, chylus, fæces alvi per os, ſangvis menſtruus per nares excretus & ita porro.

Sunt nonnulla, quæ certo reſpectu retentis, aut, ſi mavis retinendis, certo autem reſpectu excretis, aut, ſi magis arridet, excernendis annumeranda. Ita conſtat, ſalivam inſervire maſticationi ciborum, qua ad digeſtionem in ventriculo præparatur, & deglutitioni, ut hoc reſpectu ad retenta referatur; aſt ſi ſordibus ex capite deſtillantibus, quæ per nares excerni debebant, commiſceatur, vel nimia copia effundatur, aut alio modo inficiatur, excretis ſeu excernendis accenſetur. Similiter ſangvis, cum corpori nutriendo deſtinetur,

Digitized by Google

tur, retentorum numero eſt; aſt ſi nimium abundat, excretis accenſetur, ſeu excernendis.

§. 224.

Urinæ & fæcum alvi excretionem ſollicitat natura, cui parendum, & conſultum eſt, ut evacuando alvo ſtatuto tempore eam adſuefaciamus. Naturam nos ſollicitare ad urinæ & fæcum alvi excretionem, noto notius eſt. Cum vero conſtet, quemadmodum jam aliquoties inculcavimus, naturam conſervationi corporis optime conſulere; quin eidem obſequendum ſit non eſt quod dubitemus. Fieri autem poſſe ut naturam ad ventrem ſtatuto tempore exonerandum adſuefaciamus, experientia optima talium rerum magiſtra eum docebit, qui experiri voluerit. Quoniam vero non quovis tempore nobis commodum accidit, ut naturæ obedientes nos præbeamus; fæcibus natura invita retentis alvus obſtruitur, & hinc multa mala propullulant pro diverſitate ſubjectorum diverſa, & nunc magis, nunc minus noxia. Quamobrem ut excretio recte procedat, conſultum omnino eſt, ut naturam certo quodam tempore evacuando alvo adſuefaciamus. *De excretione urinæ & fæcum alvi.*

Cum urinæ excretionem fortius plerumque urgeat natura, quam fæcum alvinarum, magis quoque eidem obſequuntur homines in urina emittenda, quam in fæcibus alvis excernendis. Urinæ retentio *Tychoni* fatalis fuit, quod non ſatis tempeſtive ad eam emittendam properaret. Videatur *Gaſſendus* in Vita ejus lib. 5. f. 460. 461. Oper. Tom. V. qui mala, quæ ſibi adſcivit *Tycho*, tandem funeſta deſcribit. Obſervationes Medicorum abunde probant, quantus cumulus malorum ex obſtructione alvi, narium, hæmorrhoidum, ſi qui per eas purgantur, menſtruorum in virginibus & mulieribus & tranſpiratione inſenſibili impedita conſequa-

quatur. Fæcum alvinarum retentione gravari caput ſtatim obſervamus, præſertim ſi tempus ſtatutum, cui naturam adſuefecimus, non obſervavimus. Notandum vero eſt, ſi fæces fuerint duriores, intercluſis præſertim flatibus, ut vel conatum vehementiſſimum eludat, non tamen ſtatim deſiſtendum, ſed conatus interjectis morulis iterandus, immo eodem durante inteſtinum rectum verſus anum comprimendum digito, ut fæcibus mutata figura tandem concedatur exitus. Quamdiu enim naturam adjuvare poſſumus in actu fæces excludendi, non recurrendum eſt ad remedia, quibus obſtructioni alvi medemur. Multi obſtructionibus alvi ſua culpa dant cauſam, vel quod tempus negligant, quo ad fæcum alvinarum excluſionem a natura ſollicitantur, vel ſi ſtatim deſiſtant, ubi conatus ad eas excludendas adhiberi ſolitus eluditur. Necat obſtructio alvi animalia quamvis ſaniſſima, quemadmodum me obſervaſſe memini in catello. Memoriam quoque ſubit adoleſcens, de cujus ſalute deſperabatur, donec tandem conſtaret obſtructionem alvi eſſe mali cauſam. Quamobrem non immerito ingens naturæ beneficium prædicatur quotidie ſoluta alvus. Noſtrum igitur eſt, ne tanto beneficio culpa noſtra nos indignos reddamus. In qualitatibus vero ciborum dijudicandis rationem quoque habendam eſſe alvi, in vulgus notum eſt. Cum res non naturales omnes ad conſervationem corporis concurrant; ſanitatis curam gerens non modo ſingulas in ſe conſiderare tenetur, ſed etiam obſervare, quomodo una ſeſe habeat ad alteram, ut vel cum eadem conſpiret, vel eidem contrarietur.

§. 225.

De tranſpiratione rite peracta.

Tranſpirationem inſenſibilem rite peractam indicat corporis levitas & agilitas. Eadem quoque colligitur ex ſudore, quem non conſequitur langvor. Tranſpiratione inſenſibili, quam excretionum omnium maximam eſſe docuit experimentis ſuis ſtaticis *Sanctorius*, inutilia ex corpore ſecernuntur (§. 223.). Quodſi

Quodſi ergo fuerit nimia, corpori ſubtrahitur, quod ejus nutritioni inſervire debebat, ideoque virium quidam defectus, ſeu langvor quidam corporis percipitur. Quodſi tranſpiratio minor fuerit, quam eſſe debebat, inutilia, quæ excerni debebant, retinentur, & per conſequens corpus moleſtant, ut non modo gravitas quædam corporis & laſſitudo ſentiatur, verum etiam pro datis circumſtantiis turbata circulatione ſangvinis & retentis, quorum noxiæ ſunt qualitates, alia mala iſtis periculoſiora conſequantur. Quodſi vero tranſpiratio juſta fuerit, ut nec deficiat, nec excedat, cum corpus bene ſe habeat, inutilibus & noxiis, atque his ſolis excretis, & natura provida concitet ſenſum ſtatui corporis convenientem, levitas & agilitas corporis, vel etiam ſudor, quem non conſequitur langvor, tranſpirationis juſtæ indicium eſt.

Cum tranſpiratio inſenſibilis magnum momentum habeat in conſervanda ſanitate, ad eam quoque ſollicite attendendus eſt animus & danda omnis opera, ut recte ſeſe habeat. Mirum videri poterat, antequam *Sanctorius* in Medicina Statica experimenta ſua de tranſpiratione inſenſibili publici juris fecerat, Medicos ad eam tam parum attendiſſe animum, cum tamen de ea ſatis conſtare poterat ex quantitate alimentorum quotidie aſſumtorum & neceſſitate ea aſſumendi. Aſt idem experimur etiam in aliis. Ita ex obviis phænomenis colligi poterat gravitas aeris, quemadmodum Tomo primo Experimentorum patrio idiomate editorum abunde docui. De ea tamen ante inventum tubum *Torricellianum* & antliam pneumaticam parum cogitarunt Phyſici. Ratio omnino hæc eſt, quod intellectu recte uti negligant, qui ſtudiis litterariis operam navant, nec Logicam recte diſcant, vel quæ in ea didicerunt ad praxin transferre non ſtudeant. Ex iis, quæ indies experimur, notiones fœcundiſſimæ derivari poterant, modo eas

eas eruere & recta ratiocinatione alia ex iis deducere didicisſemus & in veritate indaganda utilitatis magis, quam vanitatis rationem haberemus. Sed dabitur alio loco de his diſertius dicendi occaſio. Poſtquam vero *Sanctorius* experimentis ſuis docuit, quam neceſſarium ſit ad conſervandam ſanitatem, ne tranſpiratio inſenſibilis excedat, vel deficiat; tanto majori eſſe nobis ea debet curæ. Unum adhuc reſtat, quod ſilentio præteriri nefas eſt. Quæritur nimirum, num quæ inſenſibiliter tranſpirant, recte inter excreta referantur. Sunt enim excreta inutilia nutritioni & conſervationi corporis (§. 223.), quæ vero tranſpirant, ſubſtantiæ corporis decedunt, &, ſi corpus in eodem ſtatu conſervari debet, quod ex alimentis aſſumtis & concoctis in eorum locum ſuccedit, ejusdem cum ipſis qualitatis eſſe debet. Verum enimvero cum natura corporis conſervationi providens ea excernat, non eſt quod dubitemus, fieri non poſſe, ut corpus ſanum conſervetur, niſi ſit in continuo ſtatu fluendi, nec iidem ſemper maneant in corpore humores, quemadmodum flumina continuo aquarum fluxu & affluxu conſervantur. Rationem jam non reddimus; in eam inquirere Phyſici eſt. Sufficit ex iis, quæ dicta ſunt, conſtare, quod natura tranſpiratione inſenſibili nihil excernat, niſi quia in corpore retineri nequit, ſi ſanum eſſe debeat.

§. 226.

De immodica excretione ſeminis.

Excretio ſeminis immodica ſanitati nocet. Ut enim alia taceamus mala a Medicis dudum obſervata per experimenta *Sanctorii* conſtat, excretionem ſeminis immodicam tranſpirationi adverſam eſſe. Quamobrem cum ex anterioribus pateat, quantum momentum in tuenda ſanitate habeat tranſpiratio inſenſibilis; vel inde diſcimus, excretionem ſeminis immodicam ſanitati nocere.

Non

Non jam recenſemus mala alia, quæ ex nimia ſeminis excretione conſequuntur, cum rationes eorum evidentes reddi non poſſint, niſi ſuppoſitis principiis aliis, quæ in Phyſica ſtabilienda. Id ſaltem adhuc obſervamus, excretionem ſeminis intempeſtive factam totum genus nervoſum labefactare, nec abeſſe ſenſum, quo natura nos nimietatis, aut intempeſtivæ excretionis admonet, in oculis omnium facillime obſervandum, modo ad eum animum attenderent qui venere abuntur. Vulgo ex adverſo creditur ſeminis diuturniorem retentionem ſanitati non parum damni afferre, ut ſemen quoque hoc nomine ad excreta referatur, quæ retineri in corpore ſanitati nocet (§. 223.). Sunt tamen etiam nonnulli, qui contendunt, ſemen retentum in ſangvinem regredi. Aſt hæc ulterioris diſcuſſionis ſunt, quam cui hic locus conceditur. Cumque inferius, quando de caſtitate acturi ſumus, plura hac de re dicenda ſint, quæ hic dici poterant, in eum locum ſunt differenda. Hæc ſaltem in præſenti in medium afferre libuit, ne videamur neglexiſſe, quod ad uſum diæteticum referri ſolet.

§. 227.

De affectibus ſanitati inimicis.

Affectus vehementes ſanitati corporis adverſantur. Quando enim anima affectibus commovetur, ſangvis & per conſequens ceteri quoque humores, ac inprimis fluidum nerveum motu extraordinario agitantur (§. 611. *Pſych. empir.*), motui naturali tam progreſſivo quoad directionem & celeritatem, quam inteſtino contrario. Quoniam itaque natura ſanitatis corporis conſervatrix, quin motus naturalis ſanitati conducat, dubitandum non eſt, ideoque illi contrarius ſanitati adverſatur.

Experientia idem adeo aperte loquitur, ut in omni tempore in vulgus nota fuerint damna, quæ corpori inferunt affectus animi, & Medicorum obſervationibus ſingu-

laribus dudum comprobatum, quibus ſtatus præternaturalis affectuum vehementia inductus deſcribitur, ita ut in confeſſo ſit apud omnes nihil fere ſanitati hominis plus officere immoderatis animi affectibus & perturbationibus.

Forſan non deerunt, qui quæ de noxitudine affectuum hic dicuntur, cum naturali affectuum bonitate alibi aſſerta (§. 157. 527. *part. 2. Eth.*) conciliare nequeunt, præſertim cum nec bruta careant affectibus, quorum natura non minus eſt corporis ipſorum conſervatrix, quam humana. Dicendum igitur eſſe putabunt, aut affectus per ſe eſſe nocuos, aut nullum nocere, ſed ſalutarem quendam uſum per eos a natura intendi. Comparari ſolent affectus cum procella, vehementiori venti impetu. Aſt procella, ſi ſpectetur in relatione ad totum univerſum, mala non eſt, nec ad mundi interitum, ſed ejus conſervationem tendit. Videbuntur igitur nonnullis affectus quoque non tendere ad corporis deſtructionem, ſed potius ad ejus conſervationem, etſi accedentibus cauſis aliis ex accidente noceant. Non e re igitur eſſe videtur, ut dubitationem hanc, quantum paucis fieri poteſt, tollamus. Primo itaque negandum non eſt, affectus moderatos per ſe ſanitati non nocere, niſi ex accidente concurrant cauſæ aliæ: inde nimirum eſt, ut non eadem mala, quæ ex ipſis conſecuta fuiſſe teſtantur obſervationes Medicorum, vel etiam vulgi, non ſemper in eodem ſubjecto, multo minus in diverſis conſequantur. Vehementes autem cenſentur non ſolum, quorum manifeſtus per ſigna proditur impetus in ipſo ortu, verum etiam qui diuturnam moram trahunt, quemadmodum vis minor diu continuata in agendo æquipollet minori breviori temporis tractu exercita: id quod inprimis in effectibus naturalibus obſervandum, cum natura per inſenſibilia incrementa efficiat magna. Neque etiam nego, emergere poſſe caſus, in quibus affectus alias nociturus malo cuidam alteri medelam affert, quemadmodum ipſa natura ob ſalutarem uſum concitat motus vehementiores in corpore,

Digitized by Google

pore, ut ſcilicet depellatur malum majus ipſi imminens. Notandum quoque præterea eſt, ut, quemadmodum in anima appetitu depravato contingit, nos ſtimulis naturalibus, ipſisque affectibus abuti, ne tendant in eum finem, quem natura intendit, ita etiam depravata corporis machina extraordinaria ſangvinis ac fluidorum ceterorum, inprimis nervei fluidi commotiones ad deſtructionem corporis tendant, quæ, ſi illa depravata non fuiſſet, nocituræ non fuiſſent. Convenit hoc univerſali harmoniæ corporis & animæ, ad quam ſupra provocavimus (*not.* §. 215.). Quemadmodum vero appetitus ſenſitivus a primis ungviculis corrumpitur, & creſcente ætate magis magisque augetur corruptio, ut affectus animi nihil moderabile & quod rectum ſit, plerumque ſuadeant; ita quoque ſimile quid accidit machinæ corporis, ut ideo plerumque affectus, quatenus excitat extraordinarias commotiones fluidorum in corpore, ſanitati corporis infeſtæ ſint ipſique vitæ inſidias ſtruant. Denique notandum eſt, nos ſtudio dixiſſe, quod affectus vehementes & per conſequens etiam diuturniores, in quibus vehementia mora compenſatur, ſanitati noceant. Dudum enim obſervatum eſt, omne violentum, quemadmodum dixit *Ariſtoteles*, vel omne nimium, ſi cum *Hippocrate* loqui malis, naturæ eſſe inimicum. Enimvero cum affectus ob naturæ depravationem plerumque noceant, ſive eos moraliter, ſive phyſice conſideres; ſemper metuendi ſunt tanquam hoſtes, præſertim ſi deprehendantur vehementiores, aut ſaltem merito nobis ſunt ſuſpecti. Ceterum lubens fateor, ea, quæ paucis jam dixi, uberiorem mereri diſcuſſionem, ſed quæ ad Phyſicam ſpectat, non ad Philoſophiam moralem. Quodſi quidam fuerint, qui exiſtimaturi ſunt, nos perperam referre ad Phyſicam talia, de quibus in ea altum eſt ſilentium; hos ſcire velim, me non loqui de iis, quæ Phyſici pertractare ſolent, ſed quæ pertractare debent. Quodſi enim ea eſſet ſeculi felicitas, ut utilitati magis, quam curioſitati ſtuderent Phyſici; Phyſica quoque aliam indueret formam, quam nunc habet, & ejus

ſtudium multo evaderet utilius. Ego diſciplinas ſingulas cenſeo ſuo jure, & unicuique tribuo, quod ipſi debetur; quemadmodum quoque in pertractanda Philoſophia morali non quæro quid moris ſit, ſed quid in ea pertractari debeat: id quod non minus ex voluminibus jam editis, quam ceteris, quæ ſequuntur, apparet. Quodſi dixeris, Phyſicam igitur Ethicæ præmittendam eſſe; non inficior, id utiliter fieri poſſe, ſi ita exculta ſit, ut ex ea hauriri poſſint principia praxi morali perficiendæ apta. Ecquis vero eſt, qui neſciat, quam parum hactenus Phyſici de iis cogitaverint, & quod non adeo facile ſit ſupplere defectum, nec tantum laborem eſſe unius ſeculi, nedum unius hominis, immo quam pauci ſint ad negotium tam arduum apti.

§. 228.

De affectibus præcavendis & moderandis.

Quoniam affectus vehementes ſanitati corporis adverſantur (§. 227.), eos vero & concitare, & ſedare, & regere valemus, quemadmodum prolixe oſtendimus part. 2. Eth. cap. 3. & 4. *Qui ſanitati ſuæ conſulere vult, affectus vehementes præcavere & ſi quidem ex improviſo oriuntur vel ſedare, vel moderari debet.*

Affectus moderati ſicuti animum minime perturbant, ita nec motum fluidorum in corpore ſenſibiliter alterant, aut certe non nimium. Cumque regimine affectuum conſequamur eum ſenſum, quem natura intendit (§. 528. *part. 2. Eth.*); ſicuti is animæ ſalutaris eſt, & ad vitam moralem utilis, ita quoque dubitandum non eſt, eundem vitæ ac ſanitati corporis minime adverſari, quin potius eidem prodeſſe: id quod in caſibus quoque particularibus ſatis manifeſtum, quales inferius occurrent. Affectus regere nequit, niſi qui in ſtudio virtutis plurimum profecit, ſine qua vita moralis bona non concipitur (§. 8. *part. 2.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui vero in virtutis ſtudio plurimum profecit, ei veren-

Schmidt, Fr. Franc., Professor der Mathematik an der Universität zu Jena, geb. zu Gotha am 6. Februar 1734, † zu Jena am 1. Januar 1807. Er studirte in Jena, wurde 1757 Magister, 1758 Adjunct der philosophischen Facultät, 1759 Professor der Mathematik und Physik, 1763 Professor der Mathematik, 1778 Professor der Mathematik und Physik, 1779 Professor der Mathematik, 1780 Professor der Mathematik und Physik, 1781 Professor der Mathematik, 1782 Professor der Mathematik und Physik, 1783 Professor der Mathematik, 1784 Professor der Mathematik und Physik, 1785 Professor der Mathematik, 1786 Professor der Mathematik und Physik, 1787 Professor der Mathematik, 1788 Professor der Mathematik und Physik, 1789 Professor der Mathematik, 1790 Professor der Mathematik und Physik, 1791 Professor der Mathematik, 1792 Professor der Mathematik und Physik, 1793 Professor der Mathematik, 1794 Professor der Mathematik und Physik, 1795 Professor der Mathematik, 1796 Professor der Mathematik und Physik, 1797 Professor der Mathematik, 1798 Professor der Mathematik und Physik, 1799 Professor der Mathematik, 1800 Professor der Mathematik und Physik, 1801 Professor der Mathematik, 1802 Professor der Mathematik und Physik, 1803 Professor der Mathematik, 1804 Professor der Mathematik und Physik, 1805 Professor der Mathematik, 1806 Professor der Mathematik und Physik, 1807 Professor der Mathematik, † zu Jena am 1. Januar 1807.

Schmidt, Fr. Franc., Professor der Mathematik an der Universität zu Jena, geb. zu Gotha am 6. Februar 1734, † zu Jena am 1. Januar 1807. Er studirte in Jena, wurde 1757 Magister, 1758 Adjunct der philosophischen Facultät, 1759 Professor der Mathematik und Physik, 1763 Professor der Mathematik, 1778 Professor der Mathematik und Physik, 1779 Professor der Mathematik, 1780 Professor der Mathematik und Physik, 1781 Professor der Mathematik, 1782 Professor der Mathematik und Physik, 1783 Professor der Mathematik, 1784 Professor der Mathematik und Physik, 1785 Professor der Mathematik, 1786 Professor der Mathematik und Physik, 1787 Professor der Mathematik, 1788 Professor der Mathematik und Physik, 1789 Professor der Mathematik, 1790 Professor der Mathematik und Physik, 1791 Professor der Mathematik, 1792 Professor der Mathematik und Physik, 1793 Professor der Mathematik, 1794 Professor der Mathematik und Physik, 1795 Professor der Mathematik, 1796 Professor der Mathematik und Physik, 1797 Professor der Mathematik, 1798 Professor der Mathematik und Physik, 1799 Professor der Mathematik, 1800 Professor der Mathematik und Physik, 1801 Professor der Mathematik, 1802 Professor der Mathematik und Physik, 1803 Professor der Mathematik, 1804 Professor der Mathematik und Physik, 1805 Professor der Mathematik, 1806 Professor der Mathematik und Physik, 1807 Professor der Mathematik, † zu Jena am 1. Januar 1807.

influxum, quo una perficit alteram, ut ad eum obſervandum attentionem aliorum excitemus. Atque hinc porro intelligimus, quam neceſſarius ſit omnium virtutum nexus, ita ut fieri minime poſſit, quin virtus una nullo defectu laboret, ſi a ceteris divellatur.

§. 229.

De fiducia erga Deum & acquieſcentia in providentia divina ad tuendam ſanitatem neceſſaria.

Quoniam qui ſanitati conſulere vult, affectus vehementes præcavere & ſiquidem ex improviſo oriuntur vel ſedare, vel moderari debet (§. 228.), qui vero Deo confidit & in providentia ipſius acquieſcit, ejus animus ſemper tranquillus & lætus eſt (§. 442. *part. 3. Eth.*), nec eum dubius rerum eventus angit, nec periculum, quod imminere videtur, perturbat (§. 422. *part. 3. Eth.*), conſequenter fiducia erga Deum & acquieſcentia in providentia divina animum adverſus vehementem affectuum moleſtorum & curarum æſtum munit; *qui ſanitati ſuæ conſulere vult, Deo confidere & in providentia ipſius acquieſcere debet.*

Cum in confeſſo ſit, nihil fere valetudini hominis plus officere affectibus animi immoderatis, nec minus certum ſit, quantum præſidium contra eos ferat fiducia erga Deum & acquieſcentia in providentia divina (§. §. *cit.*); quantum utraque præſidium adverſus infirmitates corporis ſit, & quam neceſſaria ad tuendam ſanitatem abunde intelligitur. Atque hinc patet, fiduciam erga Deum & acquieſcentiam in providentia divina non minus corpori, quam animæ prodeſſe.

§. 230.

De ſimili effectu precum.

Similiter quia ſanitati maxime conducit, ut affectus vehementes præcaveantur &, ſi ex improviſo oriuntur, vel ſedentur, vel temperentur (§. 228.), oratio vero nobis inſi-

nuat

nuat rectum affectuum uſum (§. 492. *part. 3. Eth.*) & propoſitum actiones legi naturæ convenienter determinandi roborat (§. 501. *part. 3. Eth.*), cujus cuſtodia ſanitatis quoque ac vitæ conſervandæ medium eſt (*not.* §. 228.); *preces* quoque *ardenter ad Deum fuſæ valetudini corporis conducunt*, conſequenter *qui ſanitati ſuæ conſulere vult, ardenter quoque precari ad Deum debet.*

Influxum hunc precum ad Deum devote atque ardenter fuſarum in dubium vocare nequit, qui demonſtrationes noſtras morales ſatis perſpexit. Per eas enim patet veritatum nexus, qui absque iis non agnoſcitur, quantum ad veritatem ſufficit. Poteramus oſtendere, quomodo cetera quoque officia erga Deum in ſanitatem & vitæ conſervationem influant; ſed cum ex iis, quæ de fiducia erga Deum & acquieſcentia in providentia divina atque de precibus dicta ſunt, facile intelligatur, ad quænam attendendus ſit animus, ſi influxum iſtum animadvertere velimus, prolixiores eſſe nolumus. Præſtat autem, ut quilibet eum in ſeipſo experiatur, & qui virtutes iſtas, quibus exercitium officiorum erga Deum continetur, una cum ceteris acquiſivit, ſe corpore ſano uti obſervabit, niſi jam antea morbis idem fecit obnoxium, vel ad certos morbos ipſum jam fuerit diſpoſitum. Quodſi a primis ungviculis ad virtutis omnis ſtudium adduceremur, & recta diæta ſanitati proſpiceretur; influxui quoque virtutis in ſanitatem nihil obſtaret. Aſt quoniam partim aliorum negligentia, partim propria culpa contrarium accidit & naturæ ſalutares conatus multis modis impediuntur & elidiuntur; nec eſt quod miremur, ſi in corpore jam corrupto non eam vim virtutis deprehendamus, quam in ſano habitura erat. Cum religio naturalis conſiſtat, in præſtatione officiorum erga Deum & determinatione voluntatis ad officia erga nos & alios per motiva ab attributis divinis deſumta cum animo obediendi Deo (§. 505. *part. 3. Eth.*); ea non modo animæ, verum

etiam

etiam ſaluti corporis proſpicit, ut ideo athei & irreligionarii tam corporis, quam animæ recte cenſeantur hoſtes. Et ex iis, quæ huc usque diximus, apparet Philoſophiam moralem non tantummodo eſſe medicinam animæ, ſed etiam ipſius corporis, quatenus nimirum facit ad ſanitatem tuendam, immo ſubinde quoque concurrit ad amiſſam reſtituendam. Quamvis vero, quod aſſerimus, id forſan paradoxum videatur; abſit tamen ut exiſtimes, verborum eſſe luſum, quibus rerum veritas ſignificatur. Neminem vero offendat, quod religioni & per conſequens precibus a virtutibus, quibus praxis officiorum erga Deum continetur, ceterisque non ſejunctis influxum phyſicum in vitam & ſanitatem corporis vindicemus: ut enim taceamus arduas quæſtiones, quæ inde ſolvuntur, plurimum quoque hæc doctrina facit ad nodos hominum profanorum ſolvendos, quibus abundat ſeculum noſtrum. Qui in philoſophia noſtra ſatis verſati ſunt, nec intellectum eo modo perficere neglexerunt, quem in parte prima Ethicæ expoſuimus, utilitatem, quam hic prædicamus, haud difficulter perſpicient. Nemo autem deſideret, ut omnia, ad quæ aliorum attentionem & ſtudium excitamus, ſufficienter explicemus, cum tantas ambages non ferat inſtitutum præſens. Ad talia, quæ hinc inde monentur, animum advertere debent, qui de ſcientia bene mereri volunt, ut intelligant, ejus incrementa non repetitoribus & cenſoribus, qui oleum & operam perdunt, ſed promotoribus indigere.

§. 231.

Cur effectus nocui in corpore non ſemper ſtatim obſerventur.

Effectus nocui in corpore non ſemper ſtatim obſervantur. Obſervamus enim eandem rem non naturalem uni nocere, alteri non nocere, neque eandem eodem modo eidem nocere, nec eidem nocere ſemper. Quamobrem patet rem iſtam per ſe ſolam non eſſe cauſam efficientem effectus nocui obſervabilis, ſed hunc præſupponere, ut corpus jam

ſit

ſit prædiſpoſitum ad talem mutationem, in qua effectus obſervabilis conſiſtit. Atque ideo patet non omnes effectus nocuos, cum omnino ad hos referendi ſint, quibus corpus ad mutationem nocuam obſervabilem prædiſponitur, ſemper in corpore ſtatim obſervari.

Dudum hoc obſervatum eſt ab antiquis Medicis, veluti *Hippocrate* atque *Galeno*. Unde enatæ ſunt plures cauſarum morborum diviſiones, quas vide apud *Semertum* Inſtit. Medic. lib. 2. part. 2. c. 1. f. 365. *& ſeqq.* Tom. 2. Oper. Confer, quæ in Horis ſubſecivis Marburgenſibus A. 1731. Trimbrum. n. 4. de differentiis cauſarum morbi tradidimus. Idem obſervatur in objectis aliis, immo in ipſa quoque anima reſpiciendum eſt ad ſtatus præcedentes, in quibus ea fuit prædiſpoſita ad præſentem (*not.* §. 698. *Log.*). Quemadmodum hoc obſervaſſe uſum longe maximum habet cum in Phyſica & Medicina, tum in reliqua etiam Philoſophia; ita inprimis in præſenti materia id probe obſervandum. Nihil enim communius eſt, quam ut homines ſibi cavere nolint ab eo, quod noxium eſt in diæta, propterea quod non præſens ſentiant damnum. Atque ideo audias, ſi admoneantur, ut ab hoc vel iſto abſtineant, regerentes ſibi hoc non nocere. Et quamvis alias magnam vim habeant exempla, eandem tamen ipſis detrahunt vana hac perſuaſione, quod ſibi minime noceat, quod nocuiſſe aliis manifeſtum eſt, aut ipſas obſervationes pro ſuſpectis habent ac iisdem fidem denegant, ſi vel vix probabilis quædam ratiuncula obverti poſſit, immo prorſus nulla, inprimis ſi appetitus ſenſitivus animum in contrarium trahit. Ceterum hinc apparet ratio, cur neglectus obſervationis eorum, quæ vitanda fuerant, in pueritia & ætate minus provecta factus in ſenectute variis infirmitatibus corporis ſit luendus, & cur difficillimum ſit corruptionem corporis ac naturæ ſuæ intime perſpicere.

§. 232.

Qualis esse debeat diætæ observandæ cura.

Consultum non est, ut certæ cuidam diætæ nimis exacte observandæ adsuefiamus, sed sufficit ut naturæ consuetudinem, hoc est, leges, quas ipsa observat, quantum datur, observemus & ei convenienter corrigamus, quod peccatum esse videtur. Indubiis observationibus dudum comprobatum est, si quis certæ cuidam diætæ naturam adsuefecit, quam rigorosissime observat, eum vix latum ungvem sine detrimento sanitatis ab ea recedere posse, nihilque magis nocere, quam quod consuetudini diuturno usu confirmatæ contrarium. Ita *Cornarus*, rigidissimus diætæ in capiendo cibo ac potu observator, de seipso testatur, cum a diæta consueta parumper tantummodo recederet, ut cibi vel potus quantitatem nonnisi duabus unciis augeret, se incidisse in gravissimum morbum (*not. §. 406. part. 1. Jur. nat.*). Memini me legisse observationem de homine, qui juxta experimenta *Sanctoriana* sibi præscripserat diætæ regulas, nimio autem eam observandi rigore mortem in flore ætatis sibi acceleravit. Et quis est, qui nesciat, homines frigidum aërem nimium fugientes leni quavis aura, quam dulcem experiuntur alii, extemplo offendi. Similes observationes de rebus omnibus non naturalibus congerere poteramus, nisi observatori vel parumper attento sua veluti sponte sese indies offerrent. Quoniam igitur non est in potestate uniuscujuscunque, ut quoad res præsertim omnes non naturales certam quandam diætam exacte observet, neque etiam semper certo nobis constare possit, num hoc vel istud sit sanitati adeo inimicum, quemadmodum a nonnullis contenditur; consultum omnino est, ne certæ cuidam diætæ nimis exacte observandæ adsuefiamus. *Quod erat primum.*

Enim-

Enimvero cum ipſa natura provida mater quoad uſum rerum non naturalium ſit fideliſſima conſiliatrix, quatenus præſertim ſenſu quodam moleſto nos admonet, a quibus abſtinendum ſit; ſuffieit omnino, ut conſilium ejus amplectamur, & vel ab eo abſtineamus, quod moleſtum accidit, aut, ſi factum fieri nequit, quod peccatum eſt corrigamus, veluti ſi in quantitate cibi commiſſus fuerit exceſſus, quantitatem in menſa proxima imminuamus, vel etiam inædia ſanitati conſulamus, ſi vigilias nocturnas ſomno diurno vel diuturniore ſequentis noctis, & motum, quo nimium defatigati ſimus, diuturniore quiete compenſemus, vehementiam affectuum compeſcamus & objectis aliis animum hilaremus, corpus nimium frigefactum calore blando foveamus, & quæ ſunt alia iſtiusmodi, quæ circumſtantiæ datæ nobis facile inſinuant, modo animum ad eas attendere velimus. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum naturæ conſuetudo ſit ab uno extremo ad alterum non progredi per ſaltum, ſed paulatim per gradus intermedios, ideoque etiam omnes corporis mutationes ſubitas experiamur periculoſas; ſi quoad uſum rerum ſex non naturalium peccatum aut peccandum fuiſſe videtur, ideoque id corrigere velimus, ideo neceſſe eſt, ut naturæ morem obſervemus, & nonniſi paulatim ab uno extremo ad alterum progrediamur, veluti ſi corpus nimio frigori fuerit expoſitum, quam par erat, non ſtatim calori nimio exponendum, ſed ſenſim ſenſimque blandiore fovendum, donec alias conſuetum ferre poſſit; ſi nimia quiete fuerimus uſi, motu vehementiore non eſt laſſandum, ſed a tarda ambulatione, vel ſtatione inchoandum, immo etiam ipſa ſtatio moderationem adhuc habet, prouti vel totum corporis onus

pedibus incumbit, vel ex parte aliunde fulcitur; ne ſitim, dum corpus calore fervet, potu frigido largiter hauſto ſedemus, ſed ut aliquando ſitim tolerantes, donec in loco temperatiori, dum paulum requieſcimus, calor ſe frangat, potu non nimis frigido lenteque hauſto eandem depellamus. Huc etiam pertinet, quod ſupra obſervandum eſſe oſtendimus, ſi quis a nimia quantitate cibi ac potus, qua hactenus uti conſuevit, ad minorem recedere voluerit (§. 206.). Qui ad progreſſum naturæ conſuetum ab uno termino ad alterum animum attendit, pro datis circumſtantiis facile animadvertet, quinam ſint gradus inter duo extrema, quorum alterum præſens eſt, alterum intenditur, intermedii, nec ignorare poterit, quid ſibi ſit faciendum, ne quid natura invita committatur. *Quod erat tertium.*

Obſervatum jam eſt ab antiquis, nimis ſollicitum diætæ obſervationem magis nocere, quam prodeſſe. *Celſus* lib. 1. c. 1. ſanus homo, inquit, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet. Mox addit, eum habere debere varium vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere, - - nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modo plus juſto, modo non amplius aſſumere, bis die potius, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Quamvis vero hæc firmis ſervanda ſunt, monet tamen c. 2. imbecillis (quo in numero magna pars urbanorum omnesque pene cupidi literarum ſunt) obſervationem majorem neceſſariam eſſe, ut quod vel corporis, vel loci, vel ſtudii ratio detrahit, cura reſtituat, quæ qualis ipſo judice debeat eſſe, ibidem fuſius exponit. Monet idem c. 3. cum quis mutare aliquid volet, eum paulatim debere aſſueſcere. Strictior vero

Digitized by Google

Le prénom Jean, dans la famille de Bourbon, a été porté par plusieurs princes, dont le premier fut Jean, duc de Berry, fils du roi Jean, et le dernier Jean, comte de Vendôme, fils de François de Bourbon, comte de Vendôme, et de Françoise d'Alençon, mort en 1557. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Savoie, dont le premier fut Jean, comte de Savoie, fils d'Amédée V, mort en 1323, et le dernier Jean-Amédée, fils de Victor-Amédée II, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Lorraine, dont le premier fut Jean, duc de Lorraine, fils de Ferry III, mort en 1312, et le dernier Jean-Nicolas-Gaston, fils de Léopold, mort en 1783. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Darmstadt, fils de Louis V, mort en 1596, et le dernier Jean-Georges, fils de Louis IX, mort en 1782. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Saxe, dont le premier fut Jean, électeur de Saxe, fils de Frédéric le Sage, mort en 1532, et le dernier Jean-Nepomucène, fils de Frédéric-Auguste III, mort en 1803. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Brandebourg, dont le premier fut Jean, margrave de Brandebourg-Kulmbach, fils de Frédéric V, mort en 1464, et le dernier Jean-Albert, fils de Frédéric-Guillaume II, mort en 1779. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Bavière, dont le premier fut Jean, duc de Bavière-Straubing, fils de Guillaume III, mort en 1425, et le dernier Jean-Népomucène, fils de Maximilien-Joseph, mort en 1777. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Wurtemberg, dont le premier fut Jean, duc de Wurtemberg-Stuttgart, fils de Ulrich, mort en 1344, et le dernier Jean-Frédéric, fils de Charles-Alexandre, mort en 1797. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Bade, dont le premier fut Jean, margrave de Bade-Sponheim, fils de Rodolphe, mort en 1335, et le dernier Jean-Nepomucène, fils de Charles-Frédéric, mort en 1803. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Cassel, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Cassel, fils de Guillaume IV, mort en 1637, et le dernier Jean-Charles, fils de Frédéric II, mort en 1755. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels, fils de Ernest-Louis, mort en 1649, et le dernier Jean-Ernest, fils de Charles, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Homburg, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Homburg, fils de Frédéric II, mort en 1708, et le dernier Jean-Frédéric, fils de Frédéric III, mort en 1746. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Philippsthal, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Philippsthal, fils de Philippe, mort en 1663, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Barchfeld, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Barchfeld, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rotenburg, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rotenburg, fils de Louis, mort en 1658, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Eschwege, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Eschwege, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Wanfried, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Wanfried, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Rotenburg, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Rotenburg, fils de Louis, mort en 1658, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Wanfried, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Wanfried, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Eschwege, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Eschwege, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Barchfeld, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Barchfeld, fils de Christian, mort en 1731, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Philippsthal, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Philippsthal, fils de Philippe, mort en 1663, et le dernier Jean-Charles, fils de Guillaume, mort en 1741. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Homburg, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Homburg, fils de Frédéric II, mort en 1708, et le dernier Jean-Frédéric, fils de Frédéric III, mort en 1746. Le prénom Jean a été porté aussi par plusieurs princes de la maison de Hesse-Rheinfels-Cassel, dont le premier fut Jean, landgrave de Hesse-Rheinfels-Cassel, fils de Guillaume IV, mort en 1637, et le dernier Jean-Charles, fils de Frédéric II, mort en 1755.

tati opponatur, ut tamdiu liberi a morbo ſimus, quamdiu corpus ſanum eſt (§. 345. 346. *part. 1. Jur. nat.*); ſi diæta obſervatur, quantum in poteſtate eſt, morbi quoque præcaventur, quantum in poteſtate eſt.

Omnis tandem morbus, qualiscunque ſit, niſi qui a vi externa corpori illata dependet, quales ſunt concuſſiones, vulnerationes, luxationes, vitio diætæ contrahuntur. Et hic inprimis plurimum tribuendum eſt cibis atque potui. Conſtat enim cum varietate alimentorum multiplicari quoque morbos, & ubi laute ac opipare vivitur, plures dari morbos, quam ubi ſimplicior victus in uſu eſt. Neque ullus dubito, niſi error in cibo ac potu committeretur, errorem in ceteris rebus non naturalibus commiſſum non fore adeo nocuum, quemadmodum deprehenditur in iis locis, ubi varietate cibi ac potus gulæ ſervitur, quemadmodum etiam contingit, ut ceteræ res non naturales errorem in cibo ac potu commiſſum corrigant &, ſi non vim nocendi omnem detrahant, ſaltem imminuant, ut adeo natura defendat intemperantes adverſus morbos, in quos alias culpa ſua inciderent. Ea eſt corporis humani machina, ut ad ſeipſum conſervandum id ſit aptum. Cum corpus noſtrum ſit in continuo ſtatu fluendi, cibo & potu indiget, ut quod ſubſtantiæ ejus per tranſpirationem inſenſibilem decedit reparetur. Quodſi ergo cibus ac potus fuerit talis, qui bene concoqui & chylum nutriendo corpori aptum præbere poteſt, partibus ſolidis ac fluidis, ex quibus corpus conſtat, ſe recte habentibus, nulla in corpore cauſa exiſtit, quæ ipſum ſanitate privare poterat. Rite ſeſe quoque habebunt excreta & retenta, ſomnus atque vigiliæ, nec tam facile exorbitabunt affectus, ut perturbatus circuli ſangvinis motus noceat, præſertim ſi virtutis ſtudium accedat, ut ſit mens ſana in corpore ſano. Enimvero ſi cibus ac potus aſſumatur, qui vel non bene concoquitur, vel vitioſos in corpore humores gignit; pars quædam corporis, quæ nimirum in fluido conſiſtit, corrumpitur &, quamvis

natu-

natura impuritates expellere conatur, vitium tamen partes quoque ſolidæ tandem contrahunt, ipſique motus, quos natura excitat, quamvis in ſe ſalutares, non una tamen de cauſa noxii evadunt. Accuratior horum diſcuſſio ad Pathologiam rationalem pertinet, quam eſſe Phyſicæ partem ſupra jam monuimus (*not.* §. 227.), quamvis Phyſici moderni eam deſerant, quaſi ipſorum ſit curioſos ſaltem delectare, non vero naturam ſcrutari ſui conſervandi cauſa. Sane *Celſus* in præfatione ad librum primum autor eſt, primo medendi ſcientiam ſapientiæ, hoc eſt, Philoſophiæ partem habitam fuiſſe, ut & morborum curatio & rerum naturæ contemplatio ſub iisdem auctoribus nata ſit, ideoque multi Philoſophi, veluti *Pythagoras*, *Empedocles*, *Democritus* Medicinæ periti fuerint, donec eam a Philoſophia ſeparaverit *Hippocrates*. Nos artem medendi ſeparamus a ſcientia ſtatus naturalis & præternaturalis corporis rerumque ſalubrium ac inſalubrium, & hanc Phyſicæ vindicamus, partem ejus utique utiliſſimam, non ſolum ſi corporis conſervationem ſpectes, ſed & ſi animæ ſanitatem conſideres, quam in virtute conſiſtere certum eſt. Ceterum in eo, quod natura uſu rerum ceterarum non naturalium corrigat errores in aſſumto cibo ac potu commiſſos, ingens latet beneficium divinum, quod vulgo non agnoſcitur. Ac inde quoque diſcimus, perperam ex eo peti tela adverſus eos, qui noxias ciborum & porulentorum qualitates commemorant, quaſi nunquam nocere poſſit, quod quo minus noceret natura ipſa ſub conditione non ſemper exiſtente correxit.

§. 234.

Quoniam morbi diæta præcaventur (§. 233.); *morborum præcavendorum cauſa utendum non eſt medicamentis præſervantibus, niſi forſan aër impurus periculum morborum minitetur*, veluti, quod vulgo creditur, graſſante peſte. *De medicamentis prætervitandis.*

Homo

Homo ſanus medicamentis non indiget, ut maneat ſanus: ſanitas enim recto uſu rerum non naturalium conſervatur. Quamobrem ſi ſanus eſſe velis, ſaltem cavendum, ne errores circa eas committantur. Hi ſunt hoſtes, adverſus quos non pugnandum, ſed a quibus nobis cavendum. Et hoc ſibi voluiſſe arbitror *Hofmannum*, celebrem nuper in Academia noſtra Medicum, quando longævitati proſpecturo inculcabat, ut fugiat Medicum & Medicinam, ſi velit eſſe ſanus. Mihi ipſi non ignota ſunt exempla iſtiusmodi hominum, qui athletice valebant, aſt cum medicamentis præſervantibus continuo uterentur, valetudinarii evaſerunt, labefactatis viribus. Alia vero ratio eſt, ſi cauſa morbi externa præſens fuerit, adverſus quam corpus muniendum, ne eidem noceat. Tum enim cum aperto hoſte in aciem progrediendum, ut conſtet, quænam ſint apta ad ipſum vincendum tela. An iſtiusmodi cauſa detur, jam non disquirimus. Iſtiusmodi cauſa fertur eſſe aër venenatis halitibus ſcatens, adverſus quem medicamentum præſervans eum præſtat uſum, quem veſtis adverſus vehemens frigus. Altioris vero indaginis eſt, quid de aëre venenatis effluviis ſcatente ſit ſtatuendum.

§. 235.

De medicamentorum uſu obſervando.

Si morbus ſine medicamentis curari nequit, medicamentis uti ſimplicibus, quam compoſitis, & ex regno vegetabili potius, quam minerali petitis conſultius eſt, & niſi morbi fuerint acuti, ſed longi & chronici, ſubinde quoque dieta & expectatione curantur. Si medicamenta fuerint ſimplicia, eorum virtus facilius obſervatur, quam compoſitorum, & facilius quoque inquiritur ratio, cur huic ſubjecto non conveniant, alii autem conducant. Quodſi quædam medicamenta eandem habuerint virtutem gradu ſaltem differentem, nulla videtur ratio, cur plura ſint combinanda, cum non demum eorum combinatione obtinendum ſit, quod ſola doſi obtineri poteſt. Quodſi medi-

Digitized by Google

medicamentorum variarum virtutum combinatione intendantur fines diverſi ſimul obtinendi, evincendum demum eſt, id fieri poſſe (de quo dubitaſſe memini Medicos cordatos), nec verendum eſſe, ut virtutes, quas ſingula per ſe habent, commixtione non immutentur, quemadmodum in mixtione fieri obſervamus, præſertim cum nondum exploratum ſit, qualem mutationem ſubeant in ventriculo, dum ſolvuntur & ſoluta invicem permiſcentur, antequam in maſſam ſangvinis deferantur, ut alia jam taceamus. Conſultius itaque videtur medicamentis uti ſimplicibus, quam compoſitis. *Quod erat primum.*

Quæ ex regno vegetabili petuntur, cum ſimplicibus quoque tanquam alimentis utamur, quæ ventriculus concoquere adſuevit, ea naturæ humanæ magis convenire videntur illis, quæ ex regno minerali petuntur, cum mineralia præter naturam aſſumantur, quæ concoqui a nobis nequeunt. Et ſi horum efficacia major deprehendatur, ut minor doſis ſufficiat; verendum omnino eſt, ne in doſi facile aberretur, & ne majus detur damnum, ſi parum conveniente fuerit datum medicamentum, quoniam omne violentum naturæ inimicum eſſe in confeſſo eſt. Conſultius itaque videtur uti medicamentis ſimplicibus ex regno vegetabili, quam ex minerali. *Quod erat ſecundum.*

Denique morbos diæta curari poſſe, exemplo ſuo probavit *Cornarus*, qui cum a diæta conſueta recedens anno ætatis octuageſimo ſeptimo in graviſſimum incidiſſet morbum, redeundo ad diætam conſuetam convaluit, nullo alio medicamento uſus. Atque hoc tanto minus paradoxum videbitur, ſi cogitemus, alimenta easdem qualitates habere poſſe, quibus prædita ſunt medicamenta ſimplicia ex regno vegetabili,

tabili, vel etiam animali petita. Quodſi cibum nauſeat ægrotus, fieri quoque poteſt, ut inædia malum curemus, quod neque acutum dici poteſt, ut cum *Celſo* loquar, quia non perimit, neque utique longum, quia, ſi occurritur, facile ſanatur. Non ignota mihi ſunt exempla, in quibus hoc remedium plus valuit, quam multa farrago medicamentorum a Medicis propinatorum, ut poſthac ægri eodem uſi citius convaluerint, quam ubi auxilium Medici implorarunt, quamvis artis ſuæ optime gnari. Et quis eſt, qui neſciat, animalia inſtinctum naturæ ſequentes eodem remedio uti? Et quoniam natura ſicuti corporis conſervatrix, ita etiam medicatrix eſt, eadem vero paulatim ab uno termino ad alterum progreditur, quemadmodum jam aliquoties tanquam ſatis exploratum ſumſimus; nec mirum videbitur, quod natura absque Medici auxilio curet morbum, ut ideo *Harvæus* integrum Tractatum conſcripſerit de morbis expectatione curandis, quam curationem plurimum probavit *Stahlius*, celebris quondam in Academia noſtra Medicus. Enimvero quia in morbis acutis, qui cito vel tollunt hominem, vel ipſi cito finiuntur, definiente ſic *Celſo* lib. 3. c. 1. præſens requiritur remedium, expectationem hiſce parum convenire per ſe patet. Quodſi itaque morbi non fuerint acuti, ſed chronici, ſubinde diæta & expectatione curantur. *Quod erat tertium.*

Noſtrum non eſt tradere methodum medendi, quæ ad Artem ſalutarem pertinet, non ad Ethicam; ſed ſaltem regulas quasdam, quas obſervare debet obligationi naturali ſatisfacturus, ut quantum ipſi datur circumſpectum ſe gerat, & quæ excitare poſſunt attentionem eorum, qui Medicinam ad majorem certitudinem evehere voluerint. In vulgus notæ ſunt querelæ de incertitudine Medicinæ, quas non prorſus injuſtas

juſtas eſſe minime diffitentur, qui certum ab incerto dividere didicerunt, ipſimet licet Medici, quos allegare in promptu foret, ſi autoritas eſſet argumentum aptum ad evincendam veritatem. Quamvis enim non deſint qui gloriantur, ſe Medicinam univerſam demonſtraſſe; opera tamen ipſorum ſi evolvamus, primo ſtatim intuitu patet, quod methodi demonſtrandi nullam habuerint notionem. Et licet *Yvo Gaukes* dudum ediderit libellum de Medicina ad certitudinem mathematicam evehenda; ſatis tamen ſuperque apparet, autori minime perſpectam eſſe methodum, qua *Euclides* ac Geometræ veteres ad certitudinem evexerant dogmata ſua. Suaſit *Pitcarnius*, ut Medicus Aſtronomos imitetur, quod ſane optimum eſt conſilium artem ſalutarem perficiendi: qua etiam de cauſa in Horis Subſecivis Marburgenſibus A. 1729. Trim. brum. n. IV. paulo uberius expoſui, quid faciendum ſit Medico Aſtronomum imitaturo. Qui quæ ibidem diximus attenta mente perlegerit, facile agnoſcet, quantum valeat rerum medicarum certitudo. Nemo ſanus negaverit, dari in Medicina multa, quæ certa ſunt, nec diffitebitur plura adhuc dari, quæ vera ſunt, quamvis non evidens ſit, quod vera ſint: aſt nec in dubium vocare poteſt, certa incertis, vera falſis ita permiſceri, ut eorum ſeparatio longe difficillima ſit, multo autem minus in poteſtate turbæ. Quot, quæſo, ſunt, qui diſcernere norunt, quid in curando morbo naturæ, quid ſibi tribuere debeant, aut virtuti medicamentorum. Et nonne haud raro felix prædicatur æger, laudatur Medicus, ſi dedit medicamenta, quæ non nocuerunt, quamvis nihil profuerunt, natura in totum effectum ſalutarem ſibi vindicante? Immo nec deſunt exempla, ut natura errorem Medici feliciter corrigat, vel ipſe etiam Medicus, dum aliud atque aliud experitur, errore uno corrigat alterum. Equidem non is ſum, qui vitium, quod in artifice hæret, tribuit arti: attamen hic quæſtio eſt de vitio artificis, quod imperfectioni artis debêt. Vita & ſanitas res longe pretioſiſſima eſt. Eam igitur aleæ committere, ecquis non a ratione maxime alie-

num judicabit, niſi extrema neceſſitas urgeat periculum ſubeundi audaciam? Quicquid ſit, quæſtio nobis jam eſt de eo, num quæ de virtutibus medicamentorum tradantur, adeo certa ſint, ut de veritate ſufficienter conſtare poſſit ejus pervidendæ cupido, atque hujus quæſtionis partem negativam affirmativæ præfero, & propterea circumſpectionem in uſu medicamentorum tenendam in præſente propoſitione inculco, ne noſtra culpa ſanitatem & vitam periculo exponamus, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Ceterum quæ de medicamentis ſimplicibus, de iis, quæ ex regno vegetabili potius, quam minerali petuntur, de diæta & expectatione in curatione morborum ſuccenturianda in propoſitione præſente dicuntur, conſenſu Medicorum, quorum diuturna experientia oculata eſt, non deſtituuntur, quorum teſtimonia ex eorum ſcriptis colligenda in medium adducere ſuperfluum forent: id quod ſaltem eum in finem monemus, ne quis exiſtimet, nos ſine omni autoritate aſſerere talia, in quibus penes plerosque autoritas omne fert punctum. Ad ſimplicia referuntur remedia, quæ dicuntur, domeſtica, ipſi vulgo nota, quamvis non ſemper ſatis circumſpecte adhibita. Eorum ceteroquin uſus adeo manifeſtus eſt, ut a Medicis peritis commendentur & aliis remediis præferantur. In re tanti momenti, qualis vita & ſanitas eſt, ubi deficit certitudo, præferendum quod eſt tutius. Multa me in hisce experientia domeſtica docuit, quæ recenſere nimis prolixum foret.

§. 236.

De naturæ intentione obſervanda.

In aſſumendis medicamentis naturæ intentionem ſequi debemus, nec eidem auxilio noſtro ſuccurrere, ubi ſibimetipſi ſufficit. Quoniam enim natura corporis conſervatrix etiam ejus medicatrix eſt, non modo ipſamet motus ſalutares excitat, ut quod noxium eſt in corpore expellat, quemadmodum in febribus accidit, & in aliis nonnullis caſibus idem manifeſtius apparet, verum etiam attento ſatis indicat, quid in morbis

aut

ſect. 1. c. 4. p. 72. affirmans febrim eſſe naturæ inſtrumentum, quo partes impuras a puris ſecernit, & ſect. 3. c. 3. p. 204. eandem eſſe naturæ machinam, ad difflanda ea, quæ ſangvinem male habent. Immo ex parte idem jam agnoverunt quoque Medici antiquiſſimi: unde *Celſus* lib. 2. c. 8. ipſa febris, inquit, quod maxime mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt. Dantur ſubinde cauſæ accidentales, cur natura in motibus per ſe ſalutaribus nunc excedat, nunc deficiat, ut in caſu priore natura ſit compeſcenda, in poſteriori excitanda, prouti ſuaſerint ſymptomata; aſt alias natura ſibi relinquenda, Medico ſpectatorem ſaltem agente, nunquam vero contra eandem quicquam tentandum. Quæ de indicationibus docent Medici, ea facilius intelliguntur, niſi contraindicantia negotium faceſſant, quando nimirum inter indicantia ea obſervatur contrarietas, ut quod unum efflagitat alterum diſſuadeat. Nemo autem non videt, non eſſe hujus loci, ut ad particularia deſcendamus.

§. 237.

De Medico tempeſtive conſulendo.

Qui in morbum incidit, tempeſtive conſulere debet Medicum peritum & circumſpectum, non vero demum fruſtra tentatis variis remediis, quæ hic, vel ille ſuadet. Supponimus Medicum conſulendum eſſe peritum, ut morbum & ejus ſtatum cognoſcere valeat, cum obſervante *Celſo* lib. 3. c. 2. alia remedia conveniant increſcentibus, alia inclinatis, atque circumſpectum, ne quid contra indicationes & naturæ intentionem moliatur (*not.* §. 236.), ſed remedia apta adhibeat, vel etiam nulla, ubi opus non eſt. Quodſi enim Medicum iſtiusmodi tempeſtive conſulas, tanto firmior erit ſpes ſalutis. Enimvero ſi ipſemet ignores, quonam morbo labores, & incautus utaris remediis, quæ hic, vel ille te non peritior ſuadet; facile contingit, ut vel naturam ſalutaria molientem turbes, vel morbum ipſum remediis parum aptis, aut pror-

Le plus singulier est le fait que, dans la plupart des cas, ces
[illegible] ne sont pas des [illegible] mais des [illegible] qui
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

dicos imperitos, qui magis nocent, quam proſunt, nec eam eidem addiſcendæ impendi vulgo operam, quæ impendenda erat, & ut plurimum magis valere naturæ, quam Medici auxilium; hoc tamen non obſtante fatendum etiam eſt, dari quoque in Medicina, quæ non prorſus incerta ſunt, dari etiam Medicos peritos & circumſpectos, qui naturæ ductum ſequuntur, & ubi medelam afferre nequeunt, ſpectatorem agentes non nocent. Ac ideo diximus conſulendum eſſe Medicum peritum & circumſpectum. Quodſi objicias difficillimum, immo plerisque impoſſibile de peritia & circumſpectione Medici judicium, cum pro perito & circumſpecto habendus ſit, quem fama commendat haud raro fallax; cum nemo ultra id obligetur, quod in poteſtate ipſius eſt, hac commendatione contentus eſſe debet qui Medico eget, & eventum committere providentiæ divinæ, qui ſi votis non reſpondeat, præſtat utique culpa Medici, quam ſua vitam cum morte commutare, aut damnum quoddam ſanitati inferre. Optandum omnino foret, ut Medici & Phyſici, quorum conjungenda eſt opera, eodem modo theoriam Medicam perficere ſtuderent, quo hiſtoriam naturalem ſpeciminibus nunquam ſatis prædicandis illuſtravit ſæpius jam laudatus Vir illuſtris *de Reaumur*, ut ſit & certa, & utilis. Ita enim ceſſarent protinus omnes querelæ, quæ contra incertitudinem artis ſalutaris moventur, nec diffidentiæ ſupereſſet ratio. Quantum vero ſibi noceant ægri, qui promiſcue utuntur remediis ſibi ab hominibus imperitis commendatis, antequam Medici auxilium implorant; experientia dudum docuit, cujus etiam fide conſtat, injuriam ſubinde fieri Medico, quando ipſi imputantur mala, quæ ipſo inſcio ex præpoſtero uſu medicamentorum ſuaſu aliorum adhibitorum conſequuntur. Aſt hæc omnia accuratius discutere noſtrum jam non eſt. Quæ enim de tuenda ſanitate & amiſſa reſtituenda tradidimus, non alio fine hoc loco in medium attulimus, quam ne quis culpa ſua negligat, quod utriusque cauſa facere poteſt. Cum enim lege naturæ ſanitatem conſervare (§. 393. *part. 1. Jur. nat.*),

nat.), &, ſi in morbum incidimus, operam dare teneamur, ut ſanitati reſtituamur (§. 413. *part. 1. Jur. nat.*); in Ethica autem docendum ſit, quomodo utrique obligationi ſatisfacere queamus, per ſe autem pateat, fieri non poſſe, ut, quæ ad Medicinam & Phyſicam ſpectant, hic discutiantur & inculcentur, ſed iis contenti eſſe debeamus, quæ a quovis obſervari poſſunt; ideo intra eos terminos ſubſiſtere debuimus, quos nobis Ethica præfigit. Optime autem ſibi conſulit, qui diæta ſanitatem conſervare ſtudet: id quod facilius eſt, quam amiſſam reſtituere. Principiis obſtat, qui morbum pro virili avertere conatur, ne medicinam parare habeat opus.

§. 238.

Qui ebrietatem fugere vult, probe perpendere debet, quod primum ratiocinationem turbet & uſu rationis hominem privet, hinc porro quoque turbet imaginationem ac tandem facultatis cognoſcitivæ inferioris uſum auferat, ipſamque facultatem locomotivam lædat, perpendere debet porro malæ quam plurima, quæ pro data conditione perſonarum aliisque circumſtantiis inde conſequuntur, præſertim morbos, in quos incidunt potatores, atque illorum exempla, qui potationibus extremis necem ſibi ipſis tandem conſciverunt. Quod ebrietas primum ratiocinationem turbet & uſu rationis hominem privet, hinc porro turbet imaginationem ac tandem facultatis cognoſcitivæ inferioris uſum auferat, ipſamque facultatem locomotivam lædat, alias jam oſtendimus (§. 423. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero dum rationis uſum aufert ebrietas, ex hominibus bruta facit, & quando ulterius facultates animæ inferiores lædit, ex hominibus ſanæ mentis inſanos reddit, eosque brutis imperfectioribus continuo magis magisque aſſimilat, & tandem, ſi ad ſummum gradum pervenerit, infra brutorum imperfectiſſimorum ſortem deprimit, ut trunco magis, quam animali quidam viventi ſimiles vi- *De ebrietate cavenda.*

deantur. Hominem igitur maxime dedecet ebrietas, qua humanam naturam tandem prorſus exuit, ſit ita, quod ſaltem ad certum quoddam tempus (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum vero hinc agnoſcitur ebrietatis turpitudo, cujus omnino pudere debet hominem, qui nondum adeo perfrictæ frontis eſt, ut omnem prorſus pudorem exuerit (§. 775. *Pſych. empir.*); ut quoque illius noxitudo agnoſcatur, conſideranda porro ſunt mala, quæ ex ebrietate conſequuntur, tam moralia, quam phyſica. Ad illa referendæ ſunt actiones, quarum poſtea pœnitet, ad hæc vero morbi, quibus ebrioſi obnoxii redduntur & mors, quam accelerant. Quoniam enim ebrietas rationis uſum labefactat, multa dicuntur & fiunt, quæ non dicerentur, nec fierent, ſi rationis eſſent compotes. Quamobrem contingit, ut ebrii loquantur & faciant, quæ dixiſſe vel feciſſe poſtea pœnitet, & quod in ſcelera ruant, a quibus ſobrii ſibi caviſſent. Cum vero hæc optime cognoſcantur a poſteriori, ideo conſultum eſt, ut ad exempla animum convertamus, quæ, cum vix vitium ullum ebrietate frequentius ſit, magno numero ubivis proſtant, quamvis etiam non inutile ſit, ut ex hiſtoria colligantur. Ipſa autem ebrietas, vel temulentia, cum ebrii cum delirantibus multa communia habeant, morbis cerebri vi ipſius definitionis (§. 422. *part. 1. Jur. nat.*) recte accenſetur, & quidem in ſpecie deliriis ſimplicibus. Videatur *Sennertus* Medic. pract. part. 2. lib. 1. c. 6. f. 86. Tom. 3. Oper. Quando vero poſt aliquot temporis ſpatium discutitur, pro diverſitate ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum varia adhuc ſentiuntur incommoda, quæ ſtatum cerebri ac generis nervoſi indicant, percipiuntur capitis dolores, laſſitudo omnium membrorum & ſubinde quoque nauſea, ut ventriculus cibum ac potum omnem,

omnem, inprimis eum, quo quis inebriatus fuit, faſtidiat. Quodſi ebrietas ſæpius iteretur, obſervante *Sennerto* loc. cit. tremor, paralyſis, apoplexia, podagra, & ſæpe hydrops excitatur. Immo mihi non ignota ſunt exempla eorum, qui nimio hauſtu vini aduſti ulcus pulmonum contraxerunt & nimis ſero pœnitentes animam efflarunt. Quoniam itaque nemo ſanus tanta mala appetere poteſt, cum per naturam averſemur malum, quamprimum id cognoſcimus (§. 590. *Pſych. empir.*); qui ebrietatem vitare vult, probe perpendere debet, quomodo animæ functiones turbet, immo ſufflaminet ebrietas, & quænam inde porro mala atque morbi conſequantur.

Cum ebrietas delirii quædam ſpecies ſit, quamvis accedente inprimis vomitu ac ſomno facile ſolvatur; inſania voluntaria dici ſolet. Et quoniam maxime dedecet hominem ſponte inſanire velle; ebriofitas vitiis turpiſſimis accenſenda. Quodſi vero ſpectentur mala tam phyſica, quam moralia, quæ inde ſequuntur, eadem vitiis nocentiſſimis annumeranda. Inveteratus mos gignit & conſervat opinionem vulgi de honeſtate actionum humanarum. Turpitudo igitur ebrietatis non agnoſcitur & a noxitudine attentio avertitur, quia malum, quod affert, ſomno inprimis ac vomitu accedente vel cum ipſa ebrietate discutitur, vel ſine medela ſua veluti ſponte iterum evaneſcit. Opinio hominum certis actionibus infamiam affingit, aliis eandem detrahit. Quodſi veritas vinceret opinionem, ebrietas actionibus infamantibus accenſeretur, cujus puderet vel tantiſper honeſtatem amantem, ut, ſi vel maxime honeſtus non ſit, videri tamen velit. Equidem haud raro ebrios diſcuſſa ebrietate pudet eorum, quæ fecerunt, vel locuti ſunt, quatenus hæc famæ, aut dignitati ſuæ adverſa agnoſcunt: aſt non facile videas aliquem, quem pudeat ebrietatis. Pudor autem iſte, cum pœnitentia animum torquens, donec affectus vehementia paulatim langueſcente

ſopiatur, pertinet ad mala, quæ ebrietatem conſequuntur, ut vero faciat ad ebrietatem in poſterum evitandam, omnis attentio in eodem defigenda, ut memoriæ firmiter imprimatur, & probe conſiderandum, quod ejus cauſa ſit ebrietas, quæ inconſiderantiam loquendi & faciendi peperit, ut cum fœditate noxitudo ebrietatis agnoſcatur. Aſt qui hoc negligunt inconſiderantiam equidem in ſe reprehendunt, ſibique ipſis propterea indignantur, minime autem ebrietatem damnant, & illam a ſe evitari poſſe ſibi perſuadent. Ebrietatem revera eſſe delirium, quamvis vulgo de eo non cogitetur, ut agnoſcatur, actiones ebriorum, ſive in verbis, ſive in factis conſiſtant, comparandæ ſunt cum actionibus delirantium. Actiones delirantium obſervari poſſe in iis locis, in quibus homines multi inſanæ mentis cuſtodiuntur, alias jam monuimus (*not. §. 423. part. 1. Jur. nat.*); aſt cum non cujusvis ſit loca iſtiusmodi adire, quæ non ubivis terrarum reperiuntur, deliria autem in febribus non ſint infrequentia, hæc obſervandis actionibus delirantium commoda ſunt. Et præſtaret omnino hiſtoriam delirantium conſcribere, cujus foret uſus, ut clarius pateret, ebrietatem proprie ad delirium referri, & cum ceteris deliriis eidem generi tanquam ſpeciem ſubſtare. Abit ſubinde delirium in furorem: aſt nec hoc quidem tale eſt, quod non æque in ebrietate obtineat, prouti actiones furioſorum cum actionibus quorundam ebriorum collatæ probant. Nec obſcura ratio eſt, cur ebrii ſint delirantes, interdum prorſus furioſi. Cauſa utrobique eadem eſt, læſio nimirum functionum cerebri. Qui autem hoc pervidere nequeunt, ſaltem conſiderent, actiones tam delirantium, quam ebriorum pendere unice a functionibus facultatum inferiorum, ſepoſito uſu omni ſuperiorum, ac ideo in caſu utroque ſint rationi prorſus contrariæ, quamvis contrarietas non in eundem cenſum veniat, conſequenter etiam in hac dijudicanda multum tribuatur opinioni. Quando uſus rationis poteſtati noſtræ ſubducitur, perceptionibus præteritis in imaginationem influentibus appetitus ſenſitivus & aver-

A. Gellio Noctes Atticæ, lib. 2. cap. 22. Ex Plinio Secundo, lib. 2. Naturalis Historiæ, cap. 37. Ex Plinio Secundo, lib. 2. cap. 37. Ex Plinio Secundo, lib. 2. cap. 37. Ex Plinio Secundo, lib. 2.

Inde pro data conditione perſonarum aliisque circumſtantiis conſequuntur mala, inprimis etiam morbos, in quos incidunt potatores, atque illorum exempla, qui potationibus extremis necem ſibi ipſi tandem conſciverunt (§. 238.), ſobrius autem eſt, qui a nimio potu inebriante ſibi temperat (§. 425. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ebrietatem fugit; *Qui ſobrius eſſe vult, probe perpendere debet, ebrietate ſufflaminari uſum facultatum ad recte atque caute agendum requiſitum, quænam inde ſequantur aut ſequi ſaltem poſſint mala, & quorumnam morborum periculo ebrius ſeſe exponat.*

Remedium ebrietatis motivum quoque ſobrietatis eſt. Qui in ebrietatem propendet, ejus averſatio determinanda eſt ad eam fugiendam. Atque motivo averſandi medela affertur appetitui, qui fertur in potum inebriantem, ſicque remedium ebrietatis evadit. Enimvero quatenus averſio continet appetitionem ſeſe abſtinendi ab eo, quod averſamur, in abſtinentia autem a nimio potu inebriante ſobrietas conſiſtit (§. 425. *part. 1. Jur. nat.*); remedium ebrietatis ſit quoque motivum ſobrietatis (§. 887. *Pſych. empir.*). Id ſobrietatem commendat, quod ebrietati odium conflat, ut alio ſobrietatis motivo non ſit opus. Quando ſobrii eſſe volumus, appetitus, qui fertur in nimietatem potus inebriantis, immutandus eſt, ut ab eo abſtinere velimus. Prævalere igitur debet facultas averſandi, quæ determinatur repræſentatione turpitudinis & noxitudine ebrietatis. Atque ideo motiva convenientiſſima ſunt ſobrietatis, quæ pugnant adverſus nimietatem potuum inebriantium. Accedit quod bona, quibus nos beat ſobrietas, rectius intelligantur ex malis, quibus ebrietas potatores obnoxios reddit, & quorum carentia ipſa per ſe magnum eſſe bonum intelligitur. Cum enim mali abſentia bonum ſit (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); bono fruitur tanto majore, quanto majus malum eſt, quod abeſt.

§. 240.

Digitized by Google

§. 240.

Ebrii effutiunt, quicquid in buccam venit, & actiones committunt, quas vel olim juvenes commiſerunt, vel quarum cupiditate incenſi fuerant, vel quas clam committere ſueverunt, prouti occaſio invitat. Etenim ebrietas, antequam majores vires acquirat, aufert uſum rationis, ut nonniſi uſus imaginationis atque ſenſuum ſuperſit (§. 238.), a quibus pendet appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva, ſeu facultas appetendi & averſandi inferior. Quodſi ergo imaginatio occaſione eorum, quæ quomodocunque in ſenſus incurrit, perceptiones præteritas vel quascunque cogitationes reproducit (§. 104. & *ſeqq. Pſych. empir.*), quæ quemadmodum antehac in determinationem appetitus & averſationis influunt (§. 922. *Pſych. empir.*), & cupiditates aut fugam reſuſcitant (§. 810. 818. *Pſych. empir.*), cum ratio non obſtet, quo minus reticeamus, quod effutire conſultum non eſt, aut quo minus faciamus, quod dedecet, aut quod feciſſe poſthac pœniteat; ebrius non modo effutit, quicquid in buccam venit, verum etiam facit, quæ in juventute eadem occaſione facere ſolebat, vel quæ clam facere ſolet, vel etiam cujus faciendi cupiditas ipſum inceſſerat, quamvis ratione renitente id facere omiſerat. *Quales ſint actiones ebriorum.*

Quæ in propoſitione præſente continentur, ad mala moralia ſpectant, de quibus antea dixi, & quæ ſufflaminato uſu facultatum ſuperiorum ex ebrietate propullulant. Non vero inconſultum duximus, ut eorum ratio paulo diſertius explicaretur, propter corollaria præſertim, quæ inde fluunt, nec propter utilitatem, quam ſpondent, prærermittenda erant. Quæ vero de hominibus ebriis in propoſitione præſente dicuntur, experientia abunde confirmantur, nec e longinquo petenda ſunt exempla, cum ebrioſitas ſit apud nos vitium admodum familiare, cui opinio omnem pudorem detraxit,

Digitized by Google

traxit, ut ſufficienter ſe excuſaſſe ſibi videatur, qui dicit, ſe hoc dixiſſe, vel feciſſe ebrium. Ea vero, quæ effutiunt ebrii, & quæ faciunt, in infinitum variant. Quamobrem cum homines plerique conſueverint a ſe removere in genere, quod in aliis in ſpecie reprehendunt, aut probare non audent; ubi vident, ſe hoc dicturum, vel facturum non fuiſſe ebrium, quod dixit, vel fecit alius, cum eſſet ebrius, ſtatim inde inferunt in genere, iſtiusmodi temeritatem procul a ſe abeſſe. Accedit, quod pauci ſuper iis, quæ dixerunt, vel fecerunt, cum eſſent ebrii, poſtero die diſcuſſa ebrietate reflectere ſoleant, immo nec omnes omnium, quæ dixerunt, aut fecerunt, recordentur, & ſi vel maxime in mentem veniant, ea non ebrietati imputent, ſed ſibi potius perſuadeant, ebrietate non obſtante a ſe evitari poſſe. Hanc autem opinionem evertere non datur, niſi ratio a priori detur, cur ebrius hoc dixerit, vel fecerit, quod non dictum, vel infectum mallet. Ac ideo quam maxime opus erat, ut propoſitionem præſentem a priori demonſtraremus. Quodſi vero principiorum pſychologicorum ignarus, vel qui eorum vim ac poteſtatem non ſufficienter perſpexit, demonſtrationem capere nequeat, aut non capiat, quantum ad convictionem ſufficit, id quod eo difficilius contingit, ſi vel bibendi cupiditate, vel cauſis aliis intellectus obnubilatur; opera danda eſt, ut agnoſcat, non aliam fingi poſſe rationem, quam ebrietatem, cur locutus fuerit, vel fecerit, quæ nunc, cum ebrius non eſt, non loqueretur, vel faceret. Non diffiteor, qui hoc modo aſſenſum extorquere voluerit, eum in Pſychologia probe verſatum eſſe debere, ut videat, quarumnam facultatum non uſui actio ſit tribuenda, qua earum uſu ſeſe abſtinuiſſet qui eam commiſit. Faciunt huc, quæ de intellectu & voluntate ac noluntate perficiendis in parte prima & ſecunda Ethicæ demonſtravimus. Quamvis vero potatores nimia vini quantitate non ſtatim inebriari videantur, cum tamen eadem lædantur functiones cerebri, in ebrietate quoque naſcente jam labefactari incipit ratiocinatio, ut non prorſus abſint incommoda

moda iſta, quæ ebrietatem comitantur. Major tamen attentio ad obſervandum & acumen majus ad obſervata discutiendum requiritur, ſi quantum peccetur in ebrietate naſcente cognoſcere volueris.

§. 241.

Quoniam ebrius effutit, quicquid in buccam venit (§. 240.), *ſi cui arcana ſunt, quæ prodi quomodocunque periculoſum fugienda ab eſt, is ab ebrietate abſtinere, aut, ſi ab ea ſibi ſatis cavere nondum eo, cui arcana ſunt. didicerit, occaſionem vitare tenetur, ubi in eam facile incidere poterat.*

Neminem arcanorum tuorum fac participem, pervulgata regula eſt. Ejus vero obſervationi nihil magis obſtat quam ebrietas. Variant ea pro diverſitate damni, quod ipſorum proditione incurrere poſſumus. Dantur arcana, quæ muneris publici ratio reticeri jubet. Nec deſunt exempla eorum, qui illorum proditione omnes fortunas ſuas ſubverterunt, immo temulentam loquacitatem nece luere coacti fuerunt. Dantur arcana domeſtica, quæ ſipario ſilentii involvenda, niſi damnum incurrere, aut periculo cuidam te exponere velis, & hæc ipſa quoque plurimum variant. Ita ſi officium ambire velis, aut matrimonium cum virgine bene dotanda, periculum eſt, ne, ſi hoc aliis innoteſcat, tibi vel obſtaculum creetur, vel alius excitetur, qui te præveniat. Similiter ſubinde intereſt, ne quasdam, quæ foves, opiniones aliis patefacias, propterea quod non deſunt, quorum tibi odium conflabitur, cum tamen iisdem potius amicis, aut ſaltem non inimicis uti præſtet. Si quadam miſeria affligaris, quam ignorari ab aliis conſultius eſt, verendum ne in ludibrium tui vertatur, ſi in vulgus propaletur. Nolo provocare ad caſus alios, quorum nullus eſt numerus, cum ex iis, quos in medium attulimus, ſatis intelligatur proditionem arcanorum eſſe ſi non damnoſam, minime periculoſam.

§. 242.

De iis, qui in juventute actiones minime decentes commiserunt.

Similiter quia ebrii committunt actiones, quas olim juvenes commiserunt occasione invitante (§. 240.); *Qui non immemor est, se commisisse actiones in juventute, quæ quamvis pro ea ætate a commilitonibus non attendebantur, pro ætate tamen & conditione præsente parum se decent, ab ebrietate sese abstinere, aut occasionem vitare debet, qua in eam incidere poterat.*

Facile patet, quantum dignitatem prostituamus istiusmodi actionibus, quam caveri tanto magis interest, si ab ea pendet autoritas, quæ in munere utiliter obeundo magnum momentum habet. Nota mihi sunt exempla virorum, qui doctrina & eruditione præstabant & morum probitate ac suavitate amorem aliorum sibi conciliaverant, ast in juventute, ut placerent commilitonibus petulantibus, ad similitudinem ipsorum actiones suas componere consueverant. Hi, cum essent inebriati redierunt ad antiquum imitandi morem &, sui ac dignitatis suæ obliti quævis puerilia fecerunt, quæ ab insidiatoribus fieri videbant. Peccatur inprimis contra decorum, quod personarum in statu civili inæqualitas introduxit, & Venus, quæ in sobriis latitabat, se Bacho sociam jungit & actiones ebrii regit. Magna quoque in ebriis vis est inclinationum naturalium, vel consuetudine contractarum, quibus fræna laxat ebrietas, quæ inhibet sobrietas. Faciunt itaque ebrii, quorum maxime pudet sobrios, ideoque discussa ebrietate pœnitentia cum pudore conjuncta misere torquet ipsorum animos, accedentibus pro diversitate circumstantiarum affectibus molestis aliis, inquietudinem animi augentibus. Nihil vero horum contingit, sive actiones indecentes, sive inquietudinem animi subsequentem spectes, quod non ex principiis psychologicis demonstrari possit, supposito effectu ebrietatis (§. 240.), ita ut hujus insaniæ ampla theoria condi posset haud parum profutura ad turpitudinem naturalem ebrietatis intimius perspiciendam. Microcosmi, qui homo dicitur, non

non pauciora ſunt phænomena, quam macrocoſmi, & Philoſophi non minus eſt illorum, quam horum rationes ſcrutari, præſertim cum illorum ſcientia hominem propius tangat, qui omnem animi moleſtiam naturaliter nauſeat, tranquillitatem vero appetit. Microcosmi ſcientia notitiam ſui perficit, cujus ad vitam beatam neceſſitas ſupra evicta (§. 26.).

§. 243.

Quoniam ebrii committere ſolent actiones, quarum cupiditate incenſus animus, vel quas clam committere ſue- verunt (§. 240.); *ebrietatem fugere debet, qui pravis cupiditatibus incenſum poſſidet animum, nonniſi rationis uſu & vitatione occaſionis reprimendis, aut cujus animus in vitia quædam propendet.*

De incenſis prava cupiditate, aut in vitia propendentibus.

Quantum nocuerit ebrietas hominibus prava quadam cupiditate incenſis, aut in certa quædam vitia propendentibus, exempla abunde docent. Et ne quis putet, ſe ſibi ab actionibus pravis cavere poſſe ebrium perinde ac ſobrium, rationem, cur hoc fieri minime poſſit, noſcere tenetur. Noſcitur autem facillime, ſi inquiramus, quænam ſit ratio, cur ſobrii refrenemus cupiditatem & appetitum ſenſitivum vincamus, & perpendamus, eidem non amplius locum eſſe in ebrietate. Omnia nimirum huc redeunt, ut perpendamus, quantum valeat uſus rationis, dum ſobrii ſumus, & quod eundem auferat ebrietas (§. 238.). Expendendi autem ſunt ſinguli actus, qui ad uſum rationis concurrunt. Hos obſervare haud difficulter poterit, qui, quæ de intellectu perficiendo in parte prima Ethicæ docuimus, novit: ſæpiſſime tamen recurrendum quoque erit ad ea, quæ de voluntate emendanda tradidimus in parte ſecunda. Quo evidentius ſingula, quæ attendenda veniunt, perſpiciuntur; eo fortius quoque commovebitur animus ad ebrietatis fugam. Quamobrem plurimum conducit, ut ad captum communem reducantur, quæ

alias ab inexercitatis difficulter capiuntur. Dolendum profecto eſt, quod iſtiusmodi diſquiſitionibus non ſevero ſtudio incumbatur, cum tamen intereſſet generis humani, ut ſcientia microcosmi, de qua modo diximus (*not.* §. 242.), omni animi contentione perficeretur.

§. 244.

De inimico præſente.

Denique quia ebrii effutiunt, quicquid in buccam venit, & actiones committunt, quarum cupiditate incenſus eſt animus (§. 243.); *ab ebrietate ſibi maxime cavere debet, qui inimicum præſentem videt*, non modo quod certum ſit, eum omnia dicta & facta in partem malam eſſe interpretaturum, verum etiam ne ebrius ipſum verbis laceſſat, aut ira exardeſcente vindictæ det liberas manus.

Docet experientia, quot jurgia, quot lites, quot pugnæ ebrietate excitentur, immo quot commiſſæ fuerint cædes inter pocula. Ebrietas facit amentes, ira furioſos. Quid ergo moderabile amenti ſuadebit ira? Prudentiæ eſt non intereſſe convivio, in quo inimicum præſentem fore noſti, etiamſi non verearis, ne ad ebrietatem inviteris, cum inimicum fugere, nec ullum cum eo commercium habere tutiſſimum ſit. Ipſa autem neceſſitas urget, ne ebrio res ſit cum inimico. Ceterum quæ hactenus de ebrietate dicta ſunt, adeo manifeſta ſunt, ut dudum agnita fuerint. Ideo *Gellius* lib. 15. c. 2. ebrietatem vocat rem turpiſſimam, quæ labefacere & minuere hominum mentes ſolet, & *Virgilius* ait: Arcanum demens detegit ebrietas, *Ovidius* vero dicit: Ebrietas geminata libidine regnat. Quod autem inimicus omnia in malam partem interpretetur, dubium non eſt, quoniam is habet nocendi animum. Eo majus periculum eſſe, ſi ebrio cum inimico ebrio negotium fuerit, me tacente intelligitur.

§. 245.

Digitized by Google

§. 245.

Si motiva vitandi ebrietatem conſtantem & perpetuam facere debent, neceſſe eſt, ut odium ebrietatis ſubeamus. Idem valet de vitio quocunque alio. Quodſi enim voluntas conſtans & perpetua eſſe debet ebrietatem fugiendi, neceſſe eſt ut data quacunque occaſione ſeſe inebriandi, hauſtum vini, vel potus alterius nimium ſtatim averſetur, nec ulla ratione ſe permoveri patiatur, ut crebris, & ingentibus poculis ſe ingurgitet (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum odium rerum inanimatarum, in quarum numero ebrietas eſt, tendat ad eas deſtruendas, vel e conſpectu ſuo removendas (§. 311. *part. 2. Eth.*), conſequenter ad ebrietatem a ſe depellendam, immo ſi fieri poſſet prorſus abolendam; ſi motiua vitandi ebrietatem voluntatem conſtantem ac perpetuam efficere debent, neceſſe eſt ut odium ebrietatis habeamus. *Quod erat unum.*

De odio ebrietatis & vitii in genere ad voluntatis conſtantiam & perpetuitatem requiſito.

Cum eadem demonſtratio ſubſiſtat, ſi in locum ebrietatis ſubſtituatur vitium aliud quodcunque, ſeu vitium in genere; patet quoque, ſi motiva vitandi vitia voluntatem conſtantem & perpetuam facere debent, neceſſe eſſe, ut odium vitii ſubeamus. *Quod erat alterum.*

Quodſi homines vel ipſimet experiantur incommoda, quorum cauſſam ebrietatem accuſant; ut vel diris eandem devoveant; vel eadem conſpiciunt in aliis; ebrietatem fugere decernunt. Enimvero quando ſeſe ingurgitandi offertur occaſio, vel ſua ſponte voluptate potandi fruuntur, vel ab aliis a propoſito ſuo ſe dimoveri patiuntur. Et quis eſt qui neſciat multiplices eſſe rationes, quibus ſibimetipſos adulantes ob circumſtantias præſentes hic & nunc exceptionem eſſe faciendam contendunt, darique alios, qui ut cupiditatem expleant, hunc terminum ingurgitationis ultimum ſtatuunt, eadem tamen

men facilitate occaſione recurrente prorogandum. Obſervatur idem in vitiis quibuscunque aliis, quae tandem inveterata immedicabilia fiunt. Quamdiu itaque odium ebrietatis, aut vitii cuiuscunque alterius animum non occupauit, quod ſtatim vim ſuam acquirit, quando de ebrietate, vel vitio quocunque alio incidit cogitatio; voluntatis vel perpetuitas, vel conſtantia deficit, prout fert occaſio. Odium ergo ebrietatis ad conſtantiam & perpetuitatem voluntatis ebrietatem fugiendi requiritur, cum ſic demum voluntas cum appetitu ſenſitivo conſentiat, nec ullus locus ſit pugnæ, in qua verendum, ne hic vincat. Tendit odium ad deſtruendum, vel e conſpectu ſuo removendam rem inanimatam, quam odimus (§. 311. *part. 2. Eth.*). Effectum itaque ſuum exerit, dum cupiditatem ſeſe ingurgitandi deſtruit, atque hoc modo ebrietatem depellit. Quamvis vero eundem in ſe ſaltem conſequi poſſit, qui ebrietatem odio habet; non tamen hoc ipſum odium reſpectu aliorum otioſum eſt. Etenim non modo gignit diſplicentiam ebrietatis alienae, verum etiam excitat ſtudium ab ebrietate avocandi alios, ut nihil omittatur, quicquid ad hoc utile viſum fuerit. Nec deeſſet animus ebrietatem prorſus extirpandi, ſiquidem in poteſtate hominis foret eam radicitus evellere, nec ſubſiſtendum eſſet in votis, ut vino dediti turpitudinem et noxitudinem vitii agnoſcant et ab eo deſiſtant.

§. 246.

Signum ſobrietatis & virtutis cujuslibet.

Odium ebrietatis ſignum ſobrietatis eſt: & odium vitii cujuscunque ſignum virtutis oppoſitæ. Qui enim ebrietatem odit, eam a ſe depellere ſtudet, immo quantum in ſe eſt eam prorſus abolere vellet (§. 311. *part. 2. Eth.*), conſequenter cum ebrietas ex potu nimio naſcatur (§. 422. *part. 1. Jur. nat.*), a nimio potu inebriante ſibi temperat. Quoniam itaque ſobrius eſt, qui a nimio potu inebriante ſibi temperat (§. 425. *part. 1. Jur.*

Digitized by Google

Jur. nat.); odium ebrietatis ſignum ſobrietatis eſt. *Quod erat unum.*

Subſiſtit demonſtratio, ſi in locum ſobrietatis vitium quodcunque aliud ſurrogetur. Quamobrem patet, odium vitii cujuscunque ſignum oppoſitæ virtutis eſſe, veluti odium intemperantiæ ſignum eſſe temperantiæ. *Quod erat alterum.*

Odium ebrietatis colligitur ex iis, quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus (*not.* §. 244.). Non igitur ſufficit, ut quis ebrietatem reprehendat in aliis. Ecquis enim eſt, qui neſciat, reprehendi in aliis vitia, quibus cenſores morum alienorum ipſimet obnoxii ſunt parum memores illius pervulgati, quod turpe ſit doctori, ſi culpa redarguat ipſum? Ne vero quoad cetera vitia propoſitione præſente abutaris, probe notandum eſt, ſi virtuti uni opponantur vitia plura, quemadmodum conſtat, dari vitia tam in exceſſu, quam in defectu, quæ eidem virtuti opponuntur, dari etiam vitia eidem virtuti oppoſita, quæ conjunctim cadere poſſunt in idem ſubjectum, veluti idololatria & ſuperſtitio; ex odio vitiorum non certo colligi poſſe virtutem oppoſitam, niſi conſter de odio omnium vitiorum eidem virtuti oppoſitorum. Fieri nimirum poteſt, ut quis odio plus quam Vatiniano proſequatur vitium unum, hoc tamen non obſtante deditus ſit alteri. Hac tamen cautione opus non eſt, quando ex odio ebrietatis colligitur ſobrietas, cum præter ebrietatem non detur vitium aliud, quod ſobrietati adverſetur. Quando vero plura vitia eidem virtuti opponuntur, tum junctim ſpectantur tanquam id, quod virtuti opponitur. Præſtat autem ex odio vitiorum colligere virtutem, quam ex amore virtutis, quia illud plerumque obſervatu facilius, nec ſimulatione tam facile imponit.

§. 247.

Qui odium ebrietatis concipere voluerit, omnia iſta mala, quæ

Quomodo ex odium ebrie-

Digitized by Google

tatis concipiatur.

ex ebrietate conſequuntur, memoriæ firmiter imprimere, nec in iis obſervandis ſe negligentem præbere debet. Vitare præterea tenetur occaſionem ſeſe ingurgitandi, quamdiu ab ingurgitatione ſibi ſatis cavere nequit, aut ubi circumſtantiæ difficultatem faceſſunt, ut ſibi caveat. Interea autem temporis ponderanda ſunt mala, in quæ ebrius ruit, ac inprimis ipſe pro datis circumſtantiis ruere poterat. Poſtero quoque die perpendendum eſt, quantum bonum ſit habere nunc animum ab omni moleſtia, corpus ab omni laſſitudine ac dolore vacuum et eſſe aptum ad negotia ſua faciendum abſque omni moleſtia, ac pro nihilo habendam eſſe voluptatem corporis, qua frui poterat. Etenim ſi perpendantur omnia iſta mala, quæ ex ebrietate conſequuntur, & unde ipſius turpitudo et noxitudo agnoſcitur (§. 138. 240.), cum ex malo, quamprimum agnoſcitur, tædium ſive moleſtia percipiatur (§. 569. *Pſych. empir.*), ebrietatem homini multam moleſtiam creare poſſe cognoſcitur. Quoniam itaque odium rei inanimatæ, qualis eſt ebrietas, concitatur, quando cognoſcitur eidem quidpiam ineſſe, unde moleſtiam multam percipere poſſumus (§. 306. *part. 2. Eth.*); ſi mala, quæ ex ebrietate conſequi poſſunt, conſideremus, odium ejus concitabitur. Quodſi ergo crebra meditatione mala iſta memoriæ infigantur (§. 179. *Pſych. empir.*), ſicque crebro odium ebrietatis concitetur; odium, qui actus quidam averſationis ſenſitivae eſt (§. 603. *Pſych. empir.*), ex templo excitabitur, quamprimum incidit de ebrietate cogitatio. Patet itaque quod odium ebrietatis concepturus omnia iſta mala, quæ ex ebrietate conſequuntur, memoriæ firmiter imprimere debeat. Quoniam vero, experientia propria in veritate eorum, quæ in Philoſophia practica demonſtrantur, cognoſcimus, confirmamur (§. 272. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & ad cognitionem vivam, quæ ſola efficaciter movet voluntatem & noluntatem (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*); omnium maxime

xime conducit (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*); in obſervandis malis, in quæ ruunt ſeſe ingurgitantes, ſeduli, non vero negligentes ſimus neceſſe eſt, ubi animo ſedet odium ebrietatis concipere. Odium hoc ut evadat habituale, cum habitus continuo uſu perficiatur (§. 431. *Pſych. empir.*), dum illi ſtudemus, omni ſollicitudine cavendum, ne in ebrietatem incauti incidamus. Vitanda igitur eſt occaſio ſeſe ingurgitandi, quamdiu ab ingurgitatione nobis nondum ſatis cavere valemus, aut ubi circumſtantiæ difficultatem cavendi faceſſunt, cum inprimis hoc pacto verendum quoque non ſit, ne voluptas ex compotationibus percepta & perſuaſiones ac exempla aliorum, quæ memoriam ſubeunt, dum mala ex ebrietate propullulantia conſiderare volumus, eorum conſiderationem reddant moleſtam, ut eam vel abjiciamus, vel non ſatis ſingula ponderemus. Si vero poſtero die perpendimus, nos nunc habere animum ab omni moleſtia, corpus ab omni laſſitudine atque dolore vacuum, ut nil obſtet, quo minus negotiis noſtris alacriter vacemus, cum contrarium accidere potuiſſet, ſi periculo ingurgitationis nos expoſuiſſemus, motiva adverſus ebrietatem majus robur acquirent, conſequenter odium hujus vitii altiores in animo radices aget. Eidem quoque fini conducet, ſi præterea expendamus nullitatem voluptatis, cujus jacturam fecimus, dum ingurgitandi occaſionem vitavimus. Quoniam enim voluptas iſta tranſitoria eſt, ideoque nonniſi exiguo temporis ſpatio durare poterat, nunquam reditura (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi ejus jacturam comparemus cum periculo, cui nos expoſuiſſemus, facile intelligemus, eam pro nihilo eſſe habendam, ſit ita quod ebrietatem evitaſſemus. Patet itaque, ſi ea ſollicite obſerventur, quæ in propoſitione præſente præcipiuntur, odium ebrietatis conceptum iri.

Diſtingvendum eſt odium momentaneum a manente. Illud ſtatim deflagrat, nec veſtigium quoddam ſui in animo relinquit: hoc autem animum diſponit ad tædium percipiendum ex ebrietate, vel re quacunque alia, quoties de ea incidit cogitatio, ideoque ſemper tuetur adverſus vitium eum, qui ipſum odit. Quamobrem non ſufficit odium ebrietatis concitari, quando animus eſt ſerenus, ne quid attentioni obſtet, ut videamus meliora probemusque, ſed opus eſt, ut altas in animo agat radices, ut vires ſuas exerat, quando occaſio ſeſe ingurgitandi affertur, ut ebrietatem fugiamus, nec potandi cupiditas vincat propoſitum abſtinendi. Ea de cauſa concipiendo odio ea impendenda eſt opera, quæ habitibus acquirendis impenditur. Atque hæc in genere tenenda ſunt de omnibus motivis, quibus affectus quidam ingignendus eſt appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ. Quamvis enim motivis determinetur appetitus & averſatio rationalis, ſive voluntas & noluntas, quatenus tamen imaginatio refricat memoriam ſtatuum præteritorum, in quibus bona, quibus nos virtus beat, & mala, quibus vitium nos obruit, ponderavimus, perceptio boni vel mali confuſa influens in appetitum ſenſitivum, vel averſationem ſenſitivam excitat affectum cum voluntate, vel noluntate ad idem tendentem, ſicque conſenſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali immotus ſubſiſtit data occaſione agendi, qui alias pugnam ciet dubii eventus, vel in aſſenſum rationi contrarium ſua veluti ſponte vertitur, ut appetitus ſenſitivus, vel averſatio ſenſitiva deprimat, vel depellat rationalem. Cum arduum illud problema de appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reducendo, de quo egimus ſuo loco (*§. 578. & ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), meta ſit, ad quam contendunt qui ad vitam perfectam adſpirant, felicitatis perennis cupidi, quanti momenti ſit obſervaſſe ea, quæ hic præſcribuntur, abunde perſpicitur. Notandum adhuc eſt, unde perceptiones confuſæ affectuum creatrices ſuas habeant vires. Nimirum quoniam bona, quorum nos participes

Digitized by Google

cipes facit virtus, & mala, quibus vitium nos obruit, experientia illuſtrantur atque confirmantur, ut nec notionibus claritas, nec judiciis evidentia deſit; perceptionibus confuſis affectuum creatricibus adhæret ſenſus claritatis & evidentiæ, qui omnem hæſitationem tollit & firmitatem aſſenſui præbet, quatenus confuſæ perceptioni ineſt memoria eorum, quæ involuta continet, ſufficienter & intellectorum & probatorum. Intelligitur hinc, quam miſere vapulent ſcientiæ non conditores, ſed deſtructores, qui idearum involutionem in confuſis perceptionibus oppugnant acumen in luſcitatione ſibi reperiſſe viſi, quaſi noctua, cui officit lux diurna, præferenda ſit aquilæ ſolem intuenti.

§. 248.

In genere *qui odium vitii cujuscunque concipere vult, omnia mala, quæ idem comitantur, vel ex eo conſequuntur, aut conſequi poſſunt, memoriæ firmiter infigere, nec in iis obſervandis negligentem que conciſe præbere debet, vitare quoque occaſionem, qua committere poterat actionem vitioſam, quamdiu ſibi ab ea ſatis cavere nondum didicit, & ubi videt mala, in quæ alios pertraxit vitium, perpendere, quam bene ſibi ſit, quod ab iis immunis ſit.* Oſtenditur eodem modo, quo idem de ebrietate demonſtravimus (§. 247.). De odio vitii tii cujuscunpiendo.

Retinenda nimirum ſunt generalia, quæ vitiorum omnium communia ſunt juxta ea, quæ in propoſitione præſente enunciantur, ut demonſtratio ſpecialis abeat in generalem. Quæ vero ebrietati propria ſunt & ſpecifice enunciantur oſtendunt, quænam in aliis vitiis in eorum locum ſint ſurroganda. Quamvis enim propoſitio generalis ſufficienter doceat, quænam in caſu quocunque particulari, in quo de vitio quodam in ſpecie ſermo eſt, ſint facienda; ea tamen in praxi ſpecifice ſunt conſideranda. Qua de cauſa etiam qualia ſint de vitio quolibet in ſpecie demonſtrandum. In theoria autem Ethicæ cumulanda ſunt omnia mala, tum quæ neceſſario

conſequuntur nec a vitio ſeparari poſſunt, tum quæ pro datis circumſtantiis emergunt. Et utraque etiam attendenda veniunt, quando vitii odium concipiendum. Quoniam enim nemo prævidere poteſt caſus futuros, non minus metuenda ſunt mala eventu poſſibilia, quam hoc vel iſto facto certo ventura. Sane omnis metus pœnarum, quo introducitur obligatio poſitiva (§. 291. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nititur malo eventu poſſibili, nimirum ſi delicti convincatur, qui deliquit, & ad confeſſionem adigatur, cum nemo puniatur niſi victus & confeſſus, nec alia cauſa obligationi poſitivæ detrahit efficaciam, quam opinio probabilitatis pœnæ, quatenus nimirum delinquenti videtur evitatu poſſibilis. Plurimum nocet, ne ex caſu alieno diſcatur, quid ſit vitandum, quod eventu poſſibilia contemnantur, nec moveant niſi certo futura, præſertim cum hæc ipſa haud raro ægre perſuaſeris ad veritatem hominibus, qui vitiis delectantur, pauciores vero adventus certi conviceris. Accedit, quod cumulatio omnium malorum augeat notionem turpitudinis & noxitudinis (§. 598. *Pſych. empir.*), ut perceptio confuſa odii concitatrix fiat fortior, conſequentemr ipſum odium roboretur (*not.* §. 247.). Odium vero, quod conſervare ac firmare debet aſſenſum appetitus ſenſitivi cum rationali, ſeu voluntate, (*not.* §. *cit.*), nunquam vires nimias acquirit.

§. 249.

De ſobrietatis & temperantiæ, ebrietatis & intemperantiæ fugiendæ motivis communibus.

Sobrietatem eadem ſuadent, quæ temperantiam commendant, & ebrietatem ex adverſo eadem diſſuadent, quæ intemperantiam. Etenim ſobrietas temperantiæ (§. 425. 405. *part. 1. Jur. nat.*), ebrietas intemperantiæ quædam ſpecies eſt (§. 422. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem quæ temperantiam ſuadent, vel intemperantiam diſſuadent; ea etiam ſuadent ſobrietatem, diſſuadent ebrietatem (§. 348. *Log.*).

Quam-

Digitized by Google

Quamvis itaque ſpecialia oſtenderimus motiva fugiendi ebrietatem; non tamen propterea negligenda ſunt generalia, quæ temperantiam in genere commendant, intemperantiam diſſuadent. Licet enim illa ſint his fortiora, hoc tamen minime obſtat, quo minus hæc illorum efficaciam augeant, quatenus ſimul influunt in perceptionem odii ebrietatis concitatricem (*not.* §. 248.). Notandum vero eſt, quod, cum fieri minime poſſit, ut ſingulorum, quæ perceptio confuſa reproductione perceptionum præteritarum ſimultanea genita involvit, nobis conſcii ſimus, unica ſaltem ratio, cujus clare meminimus, voluntatem, aut noluntatem determinet, dum confuſa perceptio ſimul excitata appetitum ſenſitivum, aut averſationem ſenſitivam movet atque in conſenſum cum voluntate, aut noluntate trahit. Atque hinc contingit, ut, ſi attentione in animum converſa, perceptionem confuſam evolvimus, plures allegemus rationes, cur hoc velimus, vel nolimus, de quibus tamen non cogitabamus, cum voluntas, vel noluntas determinaretur, manifeſto ſane indicio eas in determinationem una influxiſſe nobis inſciis, & appetitum ſenſitivum, vel averſationem ſenſitivam impulliſſe voluntatem, vel noluntatem, cui determinanda ratio illa unica non ſufficeret. Contingit vero hinc etiam, ut pro ratione ſufficiente determinatæ voluntatis, vel noluntatis habeatur, quæ non eſt: qui error non uno modo nocet in praxi morali. Hæc autem ſicuti alia iſtiusmodi, quæ hinc inde data occaſione annotamus, probe notanda ſunt, cum faciant ad intimiorem animæ cognitionem, quæ in praxi morali magnum momentum habet. Sæpius monuimus, patere per ea, quæ nos demonſtramus, viam ad ulteriora. Quamobrem non inconſultum quoque ducimus, ut monſtremus, ad quænam pateat aditus, quamvis nobis deſit otium ulterius progrediendi & uberius explicandi ea, quæ mente repoſita ſunt.

§. 250.

Qui temperans eſſe vult, ſanitatem amare debet. Qui enim tempe- *De amore ſanitatis ad*

temperantiam requisito.

temperans esse vult, cibum ac potum nonnisi sanitatis causa appetere debet (§. 407. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter necesse est ut velit esse sanus, seu sanitatem ipsam appetat. Quoniam itaque nihil appetimus, nisi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*); qui temperans esse vult ex sanitate voluptatem percipiat opus est. Enimvero si ex sanitate voluptatem percipimus, eam amamus (§. 289. *part. 2. Eth.*). Quamobrem qui temperans esse vult, sanitatem amare debet.

Quoniam error sanitatis rara admodum avis est; nec est, quod miremur, perpaucos esse, qui vere temperantes sunt, quamvis ebrietatem horreant, & tam frequentes esse a temperantia aberrationes. Equidem nemo est, qui quæsitus non respondeat, se sanum esse velle, & qui non optet, ut nullo morbo implicetur: pauci tamen sunt, qui norunt, quid sit sanitas, nec eam rite æstimare, nec satis ponderare norunt, quantum ad amorem concitandum sufficit. Quamdiu sani sunt, de sanitate parum cogitant. Quot, quæso, sunt, qui mane evigilantes sanitate, qua fruuntur, gaudent, cum tamen bonum præsens gaudium concitet (§. 262. *part. 1. Eth.*)? Profecto evigilantibus bonum majus sanitate offerri non poterat, cujuscunque fuerint conditionis, & ipsa ratio jubet, ut mane Deo gratias agamus, quod sanitate fruamur. Ast si vel maxime hoc faciant homines, non tamen sanitate delectantur, quemadmodum fieret, si quantum sit bonum agnoscerent, præteritis in appetitum sensitivum influentibus (*not.* §. 249.).

§. 251.

Quomodo cognoscatur, quantum bonum sit sanitas.

Quantum bonum sit sanitas, ex collatione morbi cum sanitate innotescit. Morbus enim status corporis est, quo plures ejus partes, vel una earundem, non sunt aptæ ad usus suos, quibus

bus deſtinantur (§. 346. *part. 1. Jur. nat.*), aſt ex adverſo ſani- *num ſit ſa-*
tas eſt ſtatus corporis, quo ſingulæ ipſius partes munere ſuo *nitas.*
rite funguntur (§. 345. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi morbo laboramus, ea deficiunt, quæ adſunt, dum ſanitate fruimur. Enimvero ea, quæ hominibus continuo adſunt, non attenduntur, quotidianis attentionem in ſe minime trahentibus, ideoque nec agnoſcitur, quod hoc, vel iſtud ab illis pendeat. Sed quando deficiunt, attentionem in ſe trahunt, atque ita intelligitur, pejorem eſſe conditionem noſtram, quam ante fuerat. Bonum igitur non melius agnoſcitur, quam ubi jacturam ejus fecimus. Quodſi ergo cognoſcere velimus, quantum bonum ſit ſanitas, morbus cum ſanitate conferendus, ut pateat inter ſtatum utrumque differentia, & hinc porro intelligatur, quantum ſanitas ſit morbo præferenda. Quamobrem ex collatione morbi cum ſanitate innoteſcit, quantum bonum ſit ſanitas.

Sanitas in eorum bonorum numero eſt, quæ non rectius agnoſcuntur, quam ex ipſorum carentia & malis oppoſitis. Quanta mala ſint morbi, non opus eſt, ut quis in ſeipſo experiatur; ſufficit ut ſaltem animum attendamus ad ægrotos, cum ſtatus eorum miſerrimus ſtatim in oculos incurrat, nec multi laboris ſit obſervatio. Ea vero, quæ in ægrotis obſervamus, a nobis abeſſe per ſe patet, nec cur abſint rationem eſſe aliam, quam quod eodem morbo non affligamur, facile intelligimus, ultro confitentes, omnium malorum, quibus æger affligitur, abſentiam ſanitati eſſe tribuendam. Cum vero eadem maxime averſemur, nec quicquam magis in votis habere poſſimus, quam ut ab iisdem immunes maneamus; quam bene nobis conſultum ſit, quod ſani ſimus, conſequenter quantum bonum ſit ſanitas, abunde cognoſcimus.

§. 252.

Digitized by Google

§. 252.

De ſanitate rite æſtimanda.

Quoniam ex collatione morbi cum ſanitate innoteſcit, quantum bonum ſit ſanitas (§. 251.); *omnia incommoda, quæ morbi poſt ſe trahunt, ſibi perſpecta reddere ac probe conſiderare debet, quam bene ſe habeat, quod iisdem careat, attenta inprimis conditione ſua, ſi ſanitatem pretio ſuo æſtimare voluerit.*

Quando incommoda cognoſcere ſtudemus, quæ morbi poſt ſe trahunt, non ſolum conſideranda ſunt præſentia, verum etiam ea, quæ ex hisce porro ſequuntur. Applicanda vero hæc ſunt ad ſtatum noſtrum, ideoque inprimis conſideranda ſunt quæ quoad nos conſequerentur, ſi vel morbo quodam, qualiscunque tandem ille ſit, laboraremus, vel ſi hoc morbo in ſpecie affligeremur. Ita nemo non intelligit, morbum magis nocere pauperi, qui vitam aliter ſuſtentare nequit niſi pecunia, quam labore ſuo acquirit, quam diviti, cui non deſunt ſumtus neceſſarii, quamvis operis ſuis nihil acquirere poſſit. Similiter morbi, qui exquiſitis doloribus patientiam ægri defatigant, magis moleſti accidunt doloris minimi impatientibus, quam qui dolores etiam graves animo forti ferre didicerunt. Voluptuoſis omnis morbus moleſtus eſt, qui dolore ipſum cruciat, vel etiam ſi impedit, quo minus voluptate quadam frui poſſunt, cujus fruendæ occaſio offerebatur. Similiter avaro morbus quilibet moleſtus eſt, quo lucrum, quod acquirere poterat, negligere cogitur. Ex hisce ſatis intelligitur, quomodo ratio habenda ſit circumſtantiarum, ut quam noxius ſit morbus reſpectu ſtatus noſtri agnoſcatur, conſequenter ex adverſo quam ſalutaris ſit nobis ſanitas. Plurimum differt in morali praxi, utrum bonum quoddam ſaltem in ſe ſpectetur, an vero ratione habita conditionis noſtræ, ut agnoſcamus, quod nobis bonum ſit, & ejus magnitudinem ex conditione noſtra æſtimemus. Bonum in ſe ſpectatum non tantum videtur, quantum exiſtimatur, ſi ad nos refertur. Idemque etiam valet de malo. Quemadmodum

modum in genere ſpecialia, ſeu ſingularia multo clariora ſunt quam univerſalia præſertim hominibus, qui ſenſui plus tribuunt, quam rationi, evidentiæ, quam convictio largitur, ſenſu deſtituti; ita etiam in præſenti quod circumſtantiis ſingularibus convenit majorem certitudinem habere videtur, quam quod in genere evictum eſt.

§. 253.

Quoniam ſanitatem pretio ſuo æſtimaturus, omnia incommoda, quæ morbi poſt ſe trahunt ſibi perſpecta reddere debet (§. 252.); *conſultum foret, ut non modo ex obſervationibus Medicorum, quantum ad captum communem ſufficit, deſcriberentur ſinguli morbi, verum etiam dolores, quibus ægri excruciantur, damna, quæ faciunt ad munus ſuum obeundum vel labores conſuetos tolerandum parum apti, periculum vitæ ex morbo imminens, aut ejus diuturnitas, vel frequens ſive ſtato, ſive incerto tempore reditus, atque ſumtus in curationem inſumendi.* *De modo cognoſcendi morborum incommoda.*

Si quis incommoda morborum cognoſcere debet, conſultum eſt, ut ipſi innoteſcat multitudo tam morborum, quibus homines obnoxii fieri poſſunt, quam malorum, quæ morbi pariunt ægris. Multitudo morborum facit ad æſtimandam facilitatem incidendi in morbum & ad tollendam dubitationem, quaſi intemperantia non ſit morbi cauſa, quod videamus non omnes intemperantes incidere in hunc, vel iſtum morbum, qui intemperantiæ adſcribi ſolet. Inprimis utile eſt, ut recenſioni morborum adjiciantur exempla Gentium, apud quas plerique morbi fuerunt incogniti, propterea quod victu ſimplici & fere ſemper eodem inſtar animalium brutorum uſi. Ita conſtat Germanos antiquos, qui omnem intemperantiam & voluptates corporis ignorabant, & a prima infantia corpus robuſtum efficere ſtudebant, ut famem ac ſitim tempeſtatumque injurias tolerare poſſent, vitamque otioſam averſantes continuis exercitationibus robur

corporis conſervabant, arthritidem, calculum, variolas & morbillos, ſcorbutum, febres malignas ceterosque morbos epidemicos & chronicos ignoraſſe, niſi quod ſtrumis infeſtarentur & tabis quandam ſpeciem contraherent. Cauſa illarum tribuitur potui aquarum, in quas abit nix liquefacta; hujus vero cauſa ab injuria intempeſtarum derivatur, quia nudato pectore & regione ventriculi ſemper incedere ſolebant. Dantur vero hodienum Gentes barbaræ, quibus ſimplicitas vitæ adverſus plerosque morbos præſidium eſt. Multa hinc derivari poterant, quæ ad confirmanda de diæta ſuperius dicta faciunt. Quamvis vero ad communem uſum ſatisfaciat hiſtorica eorum cognitio; non inutilem tamen operam ſumeret philoſophus, qui in rationes eorundem inquireret, ſatisfacturus iis, quibus hiſtorica cognitio ſervit ad confirmandum veritatem, cujus convincuntur rationibus, & fidem hiſtoricam ab omni ſuſpicione liberat ratio ſuperaccedens, non ſola probabilitate ab autoritate ſcriptorum pendente innixam. Damna, quæ inferunt morbi, ad certas claſſes reducenda ſunt, in ipſa propoſitione ſufficienter indicata. Primam conſtituit impotentia obeundi munus, quod nobis demandatum eſt, aut fungendi laboribus, quos poſtulat vitæ genus; ſecundam privatio voluptatum innocuarum, quibus frui poteramus; tertiam dolor, quo æger cruciatur; quartum periculum, in quod conjicitur æger, quo pertinet non ſolum periculum, quod vitæ imminet, ſed etiam morbi diuturnitas atque reditus; quintam denique ſumtus, qui morbi cauſa faciendi. Facile patet, hæc genera malorum diverſis modis ſpecificari pro differentia morborum & conditionis perſonarum ac vitæ generis, quod ſequuntur. Differentiam, quam affert vitæ genus ac reliqua conditio ægri, unusquisque per ſe aſſequitur, ſi ſingula genera cum circumſtantiis, per quas determinatur ſtatus ipſius, conferantur. Qui tamen Pathologiam moralem conſcribere voluerit, ad ſpecies quoque explicandas deſcendere poterit obſervatis iis, quæ de veritatibus moralibus ad ſenſum communem reducendis

Digitized by Google

dis (§. 242. *& ſeqq. part. 1. Eth.*) & per exempla illuſtrandis atque confirmandis alias demonſtravimus (§. 266. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Nullus dubito fore, ut hoc modo intimius perſpiciatur, quantum malum ſint morbi, & ex adverſo quantum bonum ſit ſanitas, ſeu is ſtatus corporis noſtri, in quo non modo mala iſta a nobis procul remota, nec metuenda ſunt, verum etiam bonis oppoſitis fruimur. Illud quoque non negligendum eſt, ut mala, quæ infert morbus, referantur ad animum & conſiderentur affectus, qui pro diverſitate circumſtantiarum concitantur (§. 255. *& ſeqq. part. 2. Eth.*), ſicque innoteſcat differentia inter ſtatum ægri & ſani hominis, habita nimirum ratione non ſolum affectuum moleſtorum, quibus torquetur animus ægri, ſed quoque jucundorum, quibus animus ejusdem demulceri poterat, ſi eſſet ſanus. Bene, immo optime mereretur de genere humano, qui hujusmodi *Pathologiam* in uſum moralem conſcriberet, quam ideo *moralem* appello, quia uſui morali unice deſtinatur, quemadmodum ex adverſo peſſime de eodem merentur, qui artem fruendi voluptate nocua, vel innocuam in ſe convertendi in nocuam nefario auſu docere conantur, fato ſuo mox edocturi, quam fallax ſit ars iſta ſpuria, qua tam auguſtum nomen profanatur.

§. 254.

Si amorem ſanitatis in te concitare volueris, probe conſiderare De amore debes, quantum bonum ſit ſanitas, & amor ſanitatis odio morbi ſanitatis malorum, quibus ægros obruit, conſideratione concitato alendus. concitando. Etenim ſi probe conſideremus, quantum bonum ſit ſanitas, cum ex bono voluptas percipiatur, quamprimum id agnoſcitur (§. 558. *Pſych. empir.*), ex ſanitate voluptatem percipimus. Enimvero ſi agnoſcamus, ſanitati ineſſe, unde voluptatem multam percipere poſſumus, amor ſanitatis concitatur (§. 289. *part. 2. Eth.*), atque is non conſiſtit niſi in diſpo-

ſitione animi ad voluptatem ex ſanitate percipiendam (§. 657. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo conſideremus, quantum bonum ſit ſanitas (§. 251. & *ſeqq.*), amorem ejus in nobis concitamus. *Quod erat unum.*

Quodſi cognoſcere velimus, quantum bonum ſit ſanitas, omnia mala, quorum cumulum poſt ſe trahunt morbi, ſufficienter perſpicere & quam bene ſit homini ſano, quod iisdem careat, ponderare debemus (§. 252. 253.). Enimvero ſi malum cognoſcimus, tædium ſive moleſtiam ex eo percipimus (§. 569. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui ſanitati pretium ſtatuit ex malis, quibus hominem obruunt morbi, morbis ineſſe agnoſcit plurima, quæ moleſtiam multam nobis creare poſſunt, conſequenter cum odium rei inanimatæ, qualis eſt morbus, concitetur, quando agnoſcitur eidem quidpiam ineſſe, unde moleſtiam multam percipere poſſumus (§. 306. *part. 2. Eth.*), ſanitati pretium ex cumulo malorum, quem poſt ſe trahunt morbi, decernentes odium morborum concipimus, revera non conſiſtens niſi in diſpoſitione animi ad tædium, ſive moleſtiam percipiendi ex morbis (§. 682. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque amor ſanitatis conſideratione bonorum, quibus nos cumulat, concitandus, *per demonſtrata* n. 1. & odium conſideratione malorum, quibus nos obruunt morbi, & quorum abſentia manifeſtat magnitudinem boni, quo ſanitas æſtimanda, concitatum invicem copulantur, atque ea, quæ odium fovent, amorem ſanitatis intendunt; ſi quis amorem ſanitatis in ſe concitare voluerit, eum odio morbi conſideratione malorum, quibus ægros obruit, concitato alere debet. *Quod erat alterum.*

Si odium morborum cum amore ſanitatis coaleſcit, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum voluntate & nolun-

tate in conſenſum reducitur, ut nulla ex parte oriatur pugna, quæ ſtudium ſanitatis conſervandæ reddit difficile, multo minus prorſus irritum. Abſit autem, ut exiſtimes, odium morbi & amorem ſanitatis eſſe affectus contrarios, quorum prædominans extingvit alterum (§. 440. 431. *part. 2. Eth.*). Affectus enim moleſti & jucundi ſibi invicem contrarii non ſunt, quando averſatio ſenſitiva, veluti in præſenti morbi, influit in appetitum ſenſitivum, veluti ſanitatis, ita ut quo magis averſemur morbum, eo fortius appetamus ſanitatem. Coaleſcit autem odium morborum cum amore ſanitatis, ſi confuſa perceptio affectuum concitatrix involvit perceptiones præteritas tam malorum, quæ creant morbi, quam bonorum, quibus abundat ſanitas, ut affectus quidam mixtus oriatur, in quo prædominatur amor, ut præter vehementiam amoris, quæ ab odio ſtimulante dependet, & in appetitu rationali conſtantiam operatur, vix quicquam aliud ad odium pertinens obſervetur. Quinam actus ſimplices in mixto, quo animus fertur in ſanitatem, contineantur, omnium optime cognoſcimus, ſi eundem perinde ac perceptionem confuſam ejus concitatricem evolvamus, ut ſtatus præteriti in præſentem influentes, vel in eodem concurrentes a ſe invicem diſcernantur. Etenim ſi huic evolutioni adſueſcere velimus, neceſſe eſt ut recordemur ſigillatim eorum, quæ antea ſanitatem pretio ſuo æſtimaturi expendimus, & quænam eorundem vis ſit in appetitum & averſationem inquiramus. Ita nimirum evolutio evadet promtior & plenior, quæ alias ad pauciora procedit, prouti circumſtantiæ præſentes attentionem in hoc, vel iſtud trahunt, quod in idea confuſa involvitur. Fruſtranea foret omnis opera, quæ in emendationem animi confertur, niſi ſimultanea perceptionum præteritarum reproductione naſcerentur perceptiones confuſæ appetitus & averſationis determinatrices & volitionum ac nolitionum mediantibus actibus appetitus & averſationis ſenſitivæ conciliatrices, ut ſine motivo, quippe quod diſtincte non expendimus, nobis velle, vel nolle videamur, omnibus nimirum tacite in-

fluentibus in determinationem volitionis, vel nolitionis. Quibus hæc obſcuriora videntur, quam ut ea perſpicere poſſit; is ſaltem perpendat, actiones ex habitu proficiſcentes & rationes earum, ſine quibus poſſibiles non concipiuntur, ex illis exercitiis, quibus acquiſitus eſt habitus, conquirat (§. 84. *part. 1. Eth.*).

§. 255.

Quo odium morbi & amor ſanitatis tendant.

Odium morbi & amor ſanitatis ad idem tendunt. Quoniam enim odium rerum inanimatarum, in quarum numero morbi ſunt, tendit ad eas deſtruendas, aut e conſpectu noſtro removendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); odium morborum tendit ad morbos, in quos incidimus, depellendos &, in quos incidere poſſumus, avertendos. Ex adverſo quoniam amor rerum inanimatarum, in quarum numero ſanitas eſt, tendit ad eas conſervandas (§. 294. *part. 2. Eth.*); amor ſanitatis tendit ad ſanitatem conſervandam. Enimvero ſanitatem conſervari conſtat, quamdiu a morbis immunes ſumus, qui eadem nos privant. Quamobrem dum anima tendit ad morbum a ſe removendum, eo ipſo quoque tendit ad ſanitatem conſervandam, aut, ad amiſſam recuperandam, ſeu, quod perinde eſt, qui vult eſſe ſanus, morbo carere vult, & qui a morbo vult eſſe immunis, is vult eſſe ſanus. Odium itaque morbi & amor ſanitatis ad idem tendunt.

Hinc jam facilius intelligitur, quomodo fieri poſſit, ut odium morborum cum amore ſanitatis coaleſcat, nec affectus unus contrarius ſit alteri, ut ſimul ſubſiſtere nequeant.

§. 256.

De influxu odii vitii in amorem virtutis.

Odium vitii alit amorem virtutis, ſeu hunc efficit ardentiorem, & voluntatem magis conſtantem. Quia enim odium rerum inanimatarum tendit ad eas deſtruendas, vel e conſpectu noſtro

ſtro removendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); odium vitii, quod ex illarum numero eſt, tendit vel ad liberationem a vitio, quo nos imbutos agnoſcimus, vel ad præcavendum, ne eodem inficiamur. Ex adverſo quoniam amor rerum inanimatarum tendit ad eas conſervandas, aut, ſi perfici poſſunt, ad eas perficiendas (§. 294. *part. 2. Eth.*); amor virtutis tendit ad virtutem, qua pollemus, conſervandam, & perficiendam, aut, ſi eadem adhuc caremus, ad eam acquirendam. Enimvero cum virtus & vitium eidem oppoſitum ſibi mutuo repugnent, nec una in eodem ſubjecto ſubſiſtere poſſint (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi appetitus fertur vi amoris in virtutem, averſatio vi odii eundem retrahit, aut avertit a vitio. Dum igitur appetitus & averſatio ſibi invicem minime contrariantur, ſed ille potius hac juvatur; odium vitii amorem virtutis alit, ſeu ardentiorem efficit. *Quod erat unum.* *tutis & voluntatem.*

Enimvero quoniam nulla datur pugna inter partem animæ ſuperiorem ac inferiorem in cultura virtutis, ſi odium vitii amorem virtutis inflammat *per demonſtrata n. 1.* fieri quoque non poteſt, ut a propoſito colendi virtutem ulla ratione nos dimoveri patiamur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque voluntas conſtans eſt, ſi nulla ratione a propoſito nos dimoveri patiamur, ſi odium vitii amorem virtutis alit, voluntas efficitur magis conſtans. *Quod erat alterum.*

Quomodo odium vitii ingignatur & amor virtutis inſtilletur, alias jam docuimus (§. 230. 234. *part. 2. Eth.*). Hic vero oſtendimus, quomodo odium vitii influat in amorem virtutis & conſtantiam voluntatis, quæ ad virtutem requiritur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Atque ita clarius perſpicitur, quod alias jam monuimus (*not.* §. 229. *part. 2. Eth.*), ſine amore virtutis & odio vitii non poſſe concipi virtutem. Obiter monemus, ex tendentia affectuum, quam in parte ſecunda

Digitized by Google

cunda Ethicæ demonſtravimus, omnium optime deduci, quinam affectus coaleſcere poſſint: id quod ad plenarium conſenſum omnium facultatum in agendo plurimum confert & ad tollendam omnem pugnam firmandamque maxime conſtantiam voluntatis atque noluntatis apprime requiritur. Præſtat tamen talia ante demonſtrari in virtutibus particularibus, quam ad theoremata generalia procedatur, cum non ſolum ſpecialia majore luce fulgeant, qua mens plurimorum illuminatur, quam univerſalia, quorum evidentia inſtar lucis nimiæ mentem convictionis a priori ignaram confundit, verum etiam vi eorum, quæ paulo ante de perceptione confuſa appetitionum & averſionum concitatrice dicta ſunt (*not.* §. 254.), fortius movent appetitum & averſationem. In praxi morali plurimum conducit, ut generalia lucem quandam contineant a ſpecialibus mutuatam, quæ miſcetur evidentiæ & hujus ſenſum modificat eidemque majorem vim addit cum in aſſentiendo, tum in movenda facultate appetendi atque averſandi. Commendatur eo fine conſtans connubium rationis & experientiæ, cujus quanta ſit vis in vulgus notum eſt. Et hinc quoque æſtimanda eſt vis exemplorum, alias a nobis demonſtrata (§. 260. 269. 283. 299. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 257.

De cauſa intemperantiæ & ebrietatis.

Voluptas, quam guſtus creat, ſeu quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, intemperantiæ atque ebrietatis cauſa eſt. Etenim cum temperans cibum ac potum non appetat niſi ſanitatis conſervandæ cauſa (§. 407. *part. 1. Jur. nat.*), & cibum ac potum non capit, niſi quem putat eſſe ſalubrem, nec majore quantitate capit, niſi quam ventriculus digerere poteſt & quæ reſtituendo ei, quod per tranſpirationem inſenſibilem abſumtum eſt, ſufficit (§. 404. 405. *part. 1. Jur. nat*); ex adverſo intemperans nec qualitatem, nec quantitatem cibi ac potus capiendi ex conſervatione ſanitatis æſtimat, nec hujus conſideratione

tione appetitum determinat. Quoniam itaque nihil appetimus, niſi quatenus voluptatem inde percipimus (§. 156. *part. 2. Eth.*); voluptas ex cibo ac potu in ſe ſpectato percepta illum moveat neceſſe eſt. Enimvero voluptas hæc ex ſapore percipitur, ideoque guſtus eandem creat (§. 72. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet voluptatem, quam guſtus creat, ſeu quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, eſſe intemperantiæ cauſam. *Quod erat unum.*

Quoniam ebrius nimio potu ſeſe ingurgitat, quo functiones cerebri turbantur (§. 422. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque intemperantiæ quædam ſpecies eſt, quam effectus potiſſimum præſentaneus ab intemperantia reliqua diſtingvit, intemperantiæ vero cauſa eſt voluptas, quam guſtus creat, ſeu quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, *per demonſtrata n. 1.* ebrietatis quoque cauſa eſt voluptas, quam guſtus creat, ſeu quæ ex ſapore potus percipitur. *Quod erat alterum.*

Stare ſolent homines ſenſuum judicio, ubi ratio deficit, bonum a malo non diſcernentes, niſi ex eo, quod voluptatem creat (§. 4. *part. 2. Eth.*), ut bonum habeatur, quicquid voluptatem parit (§. 5. *part. 2. Eth.*). Ideo cibum ac potum dicunt bonum, qui bene ſapit, bonitatem æſtimantes ex ſapore, quo guſtum hilarat, cum, ſi rationem audiamus, is demum bonus dicendus ſit, qui ſanitati conducit. Quoniam hoc judicium difficillimum eſt, quemadmodum ex ſupra demonſtratis & annotatis abunde patet (§. 214. 215.); tanto facilius contingit, ut in notione boni a prima infantia ingenita (§. 5. *part. 2. Eth.*) acquieſcant, quamvis ex ſapore grato ſalubritas cibi ac potus dignoſci nequeat (§. 213.), ideoque notio cibi ac potus boni a guſtu derivata deceptrix evadat (§. 6. *part. 2. Eth.*). Non alia cauſa ciborum varietatem cum in eadem menſa, tum in diverſis introduxit, cum conſtet ſenſus varietate delectari, eandem vero voluptatem continuo

uſu vileſcere, immo tandem in faſtidium degenerare. Eadem de cauſa factum eſt, ut, quod ſapori ciborum natura negavit, id ars ſuppleat, ſicque tota ars coquinaria, qua caruerunt Gentes barbaræ ac hodienum carent, ad guſtum hilarandum compoſita ſit. Qui victu ſimplici & fere ſemper eodem utuntur initar animalium & quibus potus aquæ ſatisfacit, quemadmodum ſeſe potu inebriante ingurgitare nequeunt, ita nec facile nimio cibo ventriculum opplent, deficiente invitamento ad nimietatem. Temperantes igitur facit natura, quod etiam in infantibus ubera materna ſugentibus obſervatur, quos arte coquinaria introducta ars facere debet. Temperantia homini perinde ac brutis naturalis eſt, quamdiu victu ſimplici ſemperque eodem utuntur, & intemperantia vitium ignotum, ſicuti morbi ortum inde trahentes ignoti ſunt (*not.* §. 253.), ubi vero potus alius, quam aquæ, aut qui guſtui ſe parum probat, notus eſt, ebrietas quoque ignoratur. Quodſi hæc perpendamus, nulli dubitamus, quin voluptas, quam guſtus creat, ſit intemperantiæ ipſiusque ebrietatis cauſa, aut, ſi mavis, appetentiæ nimii potus, quo ſeſe ingurgitantes inebriantur. Agitur enim hic de cauſa ebrietatis morali, non phyſica. Ceterum notandum eſt, nos hic agere de cauſa, quæ intemperantiam primum introduxit, cum antea eſſet ignota. Poſtquam enim vitium hoc invaluit, dantur adhuc cauſæ aliæ, quæ cum illa concurrunt, nunquam tamen per ſe absque illa forent ſufficientes, niſi quando apparet neceſſitas actionis invitæ, veluti ſi quis vi aut metu adducitur ad cibum vel potum capiendum, quo abſtinere mallet, aut ratio quædam perſuadet in eo ſequi morem aliorum.

§. 258.

De intemperantia & ebrietate vitanda.

Quoniam voluptas, quam guſtus creat, intemperantiæ ac ebrietatis cauſa eſt (§. 257.), qui vero temperans eſſe vult, ſanitatem amare (§. 250.), conſequenter voluptatem ex ea percipere debet (§. 657. *Pſych. empir.*), & qui ebrietatem

Digitized by Google

tatem vitare vult, odium ejus habere (§. 245.), conſequenter tædium, ſive moleſtiam ex ea percipiat neceſſe eſt (§. 682. *Pſych. empir.*); *ſi quis intemperantiam & ebrietatem fugere vult, neceſſe eſt ut voluptas ex ſanitate percepta & moleſtia ex ebrietate vincat voluptatem ex ſapore cibi ac potus perceptam*, conſequenter *neceſſe eſt, ut voluptatem utramque ſuo pretio æſtimare & moleſtiam ex ebrietate percipiendam intimius cognoſcere ſtudeat.*

Huc igitur faciunt, quæ de amore ſanitatis (§. 251. *& ſeqq.*) & de odio ebrietatis concitando demonſtravimus (§. 247.). Prædominium voluptatis ex ſanitate percipiendæ arduum omnino eſt ac obtentu difficile, & plurimæ dantur cauſæ accidentales noſtro præſertim tempore, quæ difficultatem augent. Et in genere difficile eſt, ut ratio prævaleat adverſus ſenſus & iis conformem conſuetudinem inprimis inveteratam. Demonſtrandum tamen in Moralibus eſt, quid valeat ratio, & quomodo eidem obſequium præſtandum, ſi felices eſſe velimus.

§. 259.

Voluptas, quam guſtus creat, tranſitoria eſt, &, ubi ad intemperantiam nos ſeducit, nocua fit. Voluptas enim, quam guſtus creat, delectatio ſenſualis eſt (§. 72. 552. *Pſych. empir.*). Enimvero omnis delectatio ſenſualis voluptas tranſitoria eſt (§. 409. *part. 1. Jur. nat.*). Voluptas ergo, quam guſtus creat, tranſitoria eſt. *Quod erat unum.* *Qualis ſit voluptas ex guſtu percepta.*

Enimvero cum voluptas, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, intemperantiæ cauſa ſit (§. 257.); qui eidem indulget, ad intemperantiam ſeducitur. Quoniam vero temperanter vivere debet, qui ſanitatem conſervare vult (§. 199.); qui intemperanter vivit, periculum faciendi jacturam ſanitatis ſubit, &, quamvis effectus nocui non ſemper

ſtatim obſerventur in corpore (§. 231.), id ipſum tamen ad morbos ſuſcipiendos diſponitur, ut facile in eos incidat (*not. §. cit.*). Quamobrem cum maxima ſint mala, quæ morbi poſt ſe trahunt (§. 253.); ſi voluptas ex ſapore cibi ac potus hominem ad intemperantiam ſeducit, cum ex malis moleſtia percipiatur (§. 569. *Pſych. empir.*), moleſtiam parit, vel in eam degenerat. Quoniam itaque voluptas nocua eſt, quæ moleſtiam parit, vel in eam degenerat (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*); voluptas, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, nocua fit, ubi ad intemperantiam nos ſeducit. *Quod erat alterum.*

Uberius jam declaravimus, quam tranſitoria ſit voluptas, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur. Quoniam vero homines ad intemperantiam ſeducit (§. 257.), tumque nocua efficitur, admodum quoque periculoſa eſt. Æſtimandum enim eſt periculum partim ex multitudine & magnitudine malorum, quæ ortum ex intemperantia trahunt, partim ex difficultate vi ſeductrici reſiſtendi (*not.* §. 258.). Quamobrem ne periculo huic nos exponamus, ut, quantum valeat, cognoſcamus & probe ponderemus neceſſe eſt.

§. 260.

Quomodo voluptas ex potus & cibi ſapore percipienda ſuo pretio ſit æſtimanda.

Qui voluptatem ex cibo ac potu percipiendam pretio ſuo æſtimare vult, ponderare debet, quod momentanea ſaltem ſit ejus duratio, quod nimis frequenter percepta ſenſim ſenſimque vileſcat, quod ſit irritamentum intemperantiæ, cui difficulter reſiſti poteſt, quod eidem indulgens malis plurimis obnoxius fieri poſſit, pro datis circumſtantiis cumulandis, quod animum felicitatis cupidum minime ſatiet, nec in adverſis ſolatium afferat. Quodſi enim conſideremus, voluptatem ex ſapore cibi ac potus percipiendam nonniſi momentaneam eſſe, ut, quamprimum uterque per gulam in ventri-

ventriculum fuerit demiſſus, protinus evaneſcat, nec unquam ejus memoria reſuſcitari poſſit, quodque continuo langveſcat, quo frequentius eandem percipimus, tandemque vileſcat, immo faſtidium pariat; quam parum ea conferat ad felicitatem hominis, ſtatum voluptatis perennem (§. 636. *Pſych. empir.*), ſatis ſuperque intelligimus, conſequenter cum voluptatem iſtam non alio fine inhiemus, quam ut appetitum, qui per naturam in felicitatem fertur (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſatiemus, quam parvi æſtimanda ſit hæc voluptas, haud difficulter perſpicimus, modo habeamus animum ab omni affectuum impetu liberum, ne attentionem noſtram deſiderari patiamur, nec rationem nebula velemus. Quodſi jam porro perpendamus, voluptatem iſtam eſſe irritamentum intemperantiæ, cum nocua fiat, quando ad eandem ſeducit (§. 259.), voluptas autem nocua moleſtiam pariat, atque in eam degeneret (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod periculo non careat eadem frui videmus, ut conſultius ſit eadem abſtinere, quamdiu appetitum moderari nondum didicimus. Periculum vero hoc tanto majus eſſe agnoſcitur, quod irritamento ad intemperantiam difficulter reſiſtere poſſimus, tum quia objecta præſentia, quæ guſtum hilarant, ob majorem claritatem perceptionis attentionem magis in ſe trahunt & appetitum ſenſitivum fortius movent, quam ſymbolica repræſentatio noxitudinis voluptatis vi imaginationis producta ob minorem claritatem perceptionis attentionem allicit & appetitum rationalem movet (§. 96. *Pſych. empir.* & §. 367. *Pſych. rat.*), niſi orta pugna (§. 917. *Pſych. empir.*), pars ſuperior vincat inferiorem, quatenus nimirum voluntas, quæ fertur in ſanitatem, & noluntas, quæ tendit ad abſtinendum ſeſe ab intemperantia, prævalet adverſus cupiditatem hilarandi guſtum

ſtum (§. 562. *part. 2. Phil. pract. univ.*), tum quia conſuetudo hilarandi guſtum præſertim inveterata, cum altas jam in animo egerit radices, non unico actu eradicatur, ut alia taceamus, quæ ex accidente difficultatem augent. Quodſi vero ulterius expendantur omnia mala tam corporis, quam animi, immo pro datis quoque circumſtantiis mala fortunæ, quæ ſtatum noſtrum externum imperfectiorem reddunt (§. 556. *Pſych. empir.*), ex intemperantia, cujus genetrix voluptas eſt, quam guſtus creat (§. 259.), manantia; voluptatem ex cibo ac potu percipiendam magis eſſe metuendam, quam deſiderandam agnoſcimus: id quod valorem ejus ita imminuit, ut parvitatis contemtibilis merito exiſtimetur. Quodſi ergo jam porro cogitemus nos per ipſam naturam noſtram felicitatem appetere (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſari (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque voluptatem, quæ adeo cito evaneſcit, continuata vero tantum ad infelicitatem hominis confert, non eſſe eam, quæ appetitum hominis naturalem ſatiare poſſit; quam exiguum eidem ſtatuendum ſit pretium palam eſt. Quodſi denique conſideremus, voluptatem iſtam nullum afferre in adverſis ſolatium, ideoque ne minimum quidem conferre ad minuendum moleſtiam, quam adverſa creant, cum hæc illa valde prædominetur (§. 529. *Pſych. empir.*), quemadmodum experientia dudum comprobavit; quam parvus ejusdem ſtatuendus ſit valor hinc diſcimus. Patet itaque, ſi voluptatem ex ſapore cibi ac potus percipiendam ſuo pretio æſtimare velimus, ea omnia ponderanda eſſe, quæ in propoſitione præſente urgentur.

Nemo eſt, qui neſciat, quanti ab hominibus fiat voluptas, quæ guſtum hilarat, ita ut dudum in morem abierit diebus feſtis hilarare guſtum & ea obſederit animos hominum

num opinio, quaſi non melius alteri ſignificare valeamus amorem noſtrum ac venerationem, quam guſtum ejus hilarando. Sicuti vero dato uno abſurdo ſequuntur plura; ita quoque perverſa iſta opinio plures peperit alias, ex quibus enati ſunt mores, quos diuturnus uſus inviolabiles fecit, ſancte nimirum ſervandos, ſi a communi cenſura liberam ſervare velis famam. Sed de his apertius dicendi locus alibi eſt. Ex eodem fonte manavit opinio, quod magnam felicitatis noſtræ partem faciat voluptas ex guſtu cibi ac potus percepta, & quod feliciores putentur, quibus eadem frui datum eſt, quam quibus eadem negatur. Non igitur eſt quod miremur, intemperantiam gentibus barbaris, quæ victu & potu ſimplici ac fere ſemper eodem utuntur, ignotam eſſe inter gentes doctas & cultiores vitium admodum familiare. Immo quod magis mirandum, non deſunt hodie, qui, cum Philoſophi ſupra alios eminentes audiri velint, & mirifice ſibi blandiantur, ſi immerito hoc encomio ab adulatoribus ornentur, felicitatem hominis æſtimant ex delectationibus ſenſualibus, quas inter principem fere locum ſibi vindicat voluptas ex ſapore cibi ac potus percepta, mox felicitatis theoriam geometricam condendo ejus æſtimationem ad quadraturas curvarum cum *Craigio* in Principiis Theologiæ chriſtianæ mathematicis revocaturi, ut novus naſcatur campus calculum infiniteſimalem exercendi. Iſta autem opinio omnium maxime ſeſe commendat voluptuoſis, quorum voluntas per delectationes ſenſuales determinabilis (§. 166. *part. 2. Eth.*). Quamobrem patet, quam neceſſarium ſit, ut voluptatem, quam guſtus creat, ſuo pretio æſtimare diſcamus, ne felicitatem inhiantes nubem pro Junone amplectamur, nec, dum nos felices eſſe putamus, nos in abyſſum malorum demerſos videamus & de miſeria humana injuſtas querelas moveamus ac naturam novercam accuſemus. Quæ vero ad voluptatem, quam guſtus creat, ſuo pretio æſtimandam faciunt, eo potiſſimum tempore conſideranda ſunt, quo animus liber eſt ab omni affectuum impetu, ne contra appetitum ſenſitivum ſit pugnandum,

dum, nec quicquam adſit, quod attentionem requiſitam impedire poſſit. Quam multa autem ante ſint cognoſcenda, quam huic meditationi utiliter vacare valeamus, ex anterioribus patet. Abſit igitur ut exiſtimes, nullo negotio eam abſolvi poſſe, ut legiſſe ſufficiat, quæ in propoſitione præſente dicuntur. Ethica non eſt ſcientia ſpeculativa, ut in veritatis cognitione acquieſcere poſſimus; ſed practica, quæ exigit, ut veritas agnita vim acquirat in appetitum & averſationem & hæ facultates ad actus inſuetos diſponantur, in caſu emergente prompte eliciendos.

§. 261.

Quomodo voluptate, quæ guſtum hilarat, ſit utendum.

Quoniam voluptas, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, momentanea ſaltem eſt & nimis frequenter repetita ſenſim ſenſimque vileſcit, ubi vero eidem indulgemus ad intemperantiam ſeducti periculo malorum plurimorum exponimur (§. 260.); *Qui ſapore cibi ac potus delectatur, appetitum temperare debet*, ne ſcilicet in quantitate aſſumti peccet, *eodemque non continuo, ſed rarius frui & cum cautione ſufficiente, ne ſibi ſit inſalubris.*

Quamvis cibum ac potum nonniſi ſanitatis conſervandæ cauſa appetere debemus (§. 408. *part. 1. Jur. nat.*), ex duobus tamen cibis ac potibus ſalubribus unum alteri ob ſaporem gratum præferre licet (§. 411. *part. 1. Jur. nat.*), utut ſolius voluptatis percipiendæ gratia non appetendum (§. 412. *part. 1. Jur. nat.*). Si quis ergo ſapore cibi ac potus delectatur, cavere ſibi debet, ne ſit inſalubris (§. 214. 215.), & ne quantitate nimia, quæ ſanitati nocet (§. 401. *part. 1. Jur. nat.*), aſſumatur (§. 208. 209.). Ita nimirum voluptas ex ſapore cibi ac potus percepta, cum ſit innocua (§. 259.), æquipollet veræ (§. 285. *part. 1. Jur. nat.*) & felicitatem auget (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*), nec illicita eſt (§. 287. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero quia quantitas voluptatis æſtimanda eſt ex ejus

eius beneficium & detrimentum (§. 104. part. 1. Hyg.), dubitari non potest, an gradum aliis omnibus praeferendum sit, vel ne? an quidem attendendo ad ea, quae praecipua quoad eum habent, quae ad vitam necessaria sunt, quae ad commoditatem, quae ad delectationem, & ad hominem ratione & animo instructum in gradu, ubi ordinandus. Nemo hoc vel, qui nullam, vel non sufficientem facultatem habuit hac attendere, ut qui fortuna natum se existimat, quam ut ei opus sit, ut qui ad vitam necessaria ab hominibus, ita ut ab omnibus petenda sunt. Quamobrem qui voluptati, quam gustus creat, illicitam & damnosam, se dedit, is non sibi cibos, quos libet, sumat, quamdiu illos sibi, quae ipse & alii voluptatis ac lucri ergo exposuere & vendere, ut studium exercere. Cum enim hoc in casu, omnium incommodorum, vile vitae nec ad incorporandum fit, nec ad reficiendum, nec ad augendum, nec ad ornandum (§. 104. part. 1. Hyg.) apta sint, & ea diligens fuga, quae, longe dirus mentorum, quantum homini in natura, sufficiunt cibaria ac potus optima: debemus (§. 104. part. 1. Hyg.) ea, quae, longe optima & homini facere cognita, ea, quae ad vitam necessaria, ad commoditatem, ad delectationem & ad hominem ratione & animo instructum, quae ad vitam commodam pertinent, & ea, quae ad vitam sanam & longam, & ad vitam elegantem, quae ad vitam elegantem, quae ad vitam elegantem, quae

§. 262.

De circumſpectione neceſſaria, ne voluptati ex ſapore perceptæ miſceantur peregrinæ.

Qui voluptatem ex ſapore cibi ac potus perceptam ſuo pretio æſtimare vult, ſibi cavere debet, ne voluptati, quæ guſtui accepta ferenda, miſceat peregrinam occaſione ita ferente aliunde ſimul perceptam. Etenim ſi voluptati ex ſapore cibi ac potus perceptæ miſceantur aliæ aliunde ſimul perceptæ, cum ſoli ſapori tribuatur, quod præterea alias habet cauſas, & complexus voluptatum plurium majorem habeat intenſitatis gradum, quam una earum ſigillatim ſpectata; voluptas ex ſapore cibi ac potus percepta major videtur, quam revera eſt. Quoniam itaque qui voluptatem ex ſapore cibi ac potus percipiendam ſuo pretio æſtimari vult, eam in ſe ſpectare tenetur, ab omnibus aliis, quæ ſimul percipi poſſunt, ſejunctam; ideo ſibi cavere debet, ne eidem miſceat peregrinam occaſione ita ferente aliunde perceptam.

Quando actu voluptatem ex ſapore cibi ac potus percipimus, modo animum ad eandem ſufficienter attendamus, ne ferventi adhuc alii ſe ſociam præbeat, facile cavetur, ne in intenſitate ipſius obſervanda aberremus. Enimvero quando ſaltem voluptatis perceptæ meminimus, facillime contingit, ut aliæ ſimul aliunde perceptæ eidem miſceantur, quemadmodum oſtendimus & a poſteriori confirmavimus, cum de notione boni confuſa ageremus (§. 591. *Pſych. empir.*). Atque tunc opus eſt evolutione perceptionis confuſæ vi imaginationis reproductæ. Ita e. gr. contingit, ut voluptatem ex conſortio in convivio perceptam imaginatio miſceat voluptati, quam guſtus creavit, & eidem accedit voluptas ex donatione cibi vel potus lauti. Immo nec infrequens eſt, ut cibi raritas, vel pretioſitas augeat voluptatem, quam guſtus creat, immo idem evenit, ſi opinio hominum cibo, vel potui cuidam pretium immeritum affinxit. Cum voluptas ex ſapore cibi ac potus percepta intemperantiæ cauſa ſit, (§. 257.); propo-

Digitized by Google

propoſitio præſens magnum momentum habet in praxi morali (§. 595. *Pſych. empir.*), præſertim cum contingat, ut cibum ac potum commendent voluptates peregrinæ, etiamſi ea, quæ ex ſapore percipitur, langveſcat.

§. 263.

De ſtultitia & abſurditate intemperantis.

Intemperans ſtultus eſt, & intemperantia a ratione maxime aliena atque contra naturam humanam. Quoniam enim qui temperans eſt cibum ac potum non appetit niſi ſanitatis conſervandæ cauſæ (§. 407. *part. 1. Jur. nat.*), non vero ſolius voluptatis percipiendæ gratia (§. 412. *part. 1. Jur. nat.*); qui intemperans eſt, ſolius ſanitatis cauſa cibum ac potum appetere nequit, conſequenter cum nemo quidpiam appetat, niſi quatenus voluptatem inde percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), nimiam quantitatem cibi ac potus, aut cibum, vel potum ſibi minime ſalubrem appetere nequit, niſi quia guſtum hilarat, de cibi ac potus quantitate & qualitate ſtatuens ex ſapore, quem haud raro imaginatio peregrina voluptate commendat (§. 262.). Quando igitur cibo ac potu delectatur, ſe felicem eſſe putat, quod eodem fruatur (§. 638. *Pſych. empir.*). Quamobrem appetitum, qui per naturam ſuam ad felicitatem fertur (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), voluptate ex cibo ac potu percipienda ſatiare intendit (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quando voluptas, quæ guſtum creat, ad intemperantiam ſeducit, nocua fit (§. 259.), ac per conſequens vel in moleſtiam degenerat, vel eandem parit (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque infelicitatem creat (§. 639. *Pſych. empir.*). Mediis igitur utitur ad felicitatem conſequendam, quæ eidem contraria ſunt (§. 937. *Ontol.*). Quamobrem cum ſtultus ſit, qui per præcipitantiam de mediis ad finem intentum conſequendum neceſſariis ſtatuit (§. 458. *part. 1. Eth.*), intemperans ſtultus eſt. *Quod erat primum.*

Quia voluptas, quam guſtus creat, infelicitatis cauſa eſt, quando ad intemperantiam nos ſeducit, *per demonſtrata, n. 1.* intemperantia medium felicitatis non eſt. Quamobrem cum intemperans falſo hoc ſibi perſuadeat, rationi autem contrarium ſit, quod veritatibus univerſalibus contradicit (§. 485. *Pſych. empir.*); intemperantia a ratione maxime aliena eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum homo per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem vero averſetur (§. 325. *part. 2. Phil pract. univ.*), intemperans vero citatim in infelicitatem contendit *per demonſtrata n. 1.* intemperantia contra naturam humanam eſt. *Quod erat tertium.*

Equidem oſtendimus, defectum ſapientiæ ſtultitiam non eſſe (§. 461. *part. 1. Eth.*); cavendum tamen eſt, ne in præſenti caſu defectui ſapientiæ tribuas, quod utique ſtultitiæ tribuendum. Etenim intemperans defectum ſapientiæ obtendere nequit ad excuſandam intemperantiam. Sapientia ſane non deficit, niſi quando quis ignorat, aut ſaltem hæſitat, utrum propter finem aliquem ſit agendum, nec ne, &, ſi agere velit, quibusnam mediis ſit utendum ad finem conſequendum (§. 678. *Pſych. rat.*), ideoque ſequitur conſilium aliorum, quamvis id ſatis dijudicare neſciat, aut in agendo imitatur id, quod plurimos facere videt, ſola expectatione caſuum ſimilium fretus (§. 503. *Pſych. empir.*). Nimis craſſa & ſupina ignorantia eſt, ſi quis neſciet, cibum ac potum eſſe debere medium conſervandi vitam ac ſanitatem, nequaquam vero felicitatem noſtram promovendi, ut pro invincibili habenda ſit. Nec alia ignorantia eſt malorum, quorum genetrix intemperantia. Et, ſi vel maxime excuſatius peccet vulgus, quod tanto facilius vivit ad ſimilitudinem aliorum, quando delectatio ſenſualis hunc vivendi morem commendat; nullo tamen modo excuſari poſſunt, qui, cum philoſophi

loſophi videri velint & acuminis palmam aliis ſurripere, maximam felicitatis partem in voluptate ex cibi ac potus ſapore percepta poſitam eſſe contendunt, ſtultiſſimi vel hoc nomine, quod ſtultitiam ſuam agnoſcere nolint, quam quævis bruta redarguunt. Carent bruta ratione, quæ homini conceſſa eſt, ut eidem convenienter dirigat appetitum, quem ſolo inſtinctu naturali in brutis moderatur natura, ſicque in homine virtutis ſit, ac laudem mereatur, quod in brutis neceſſitatis eſt, nec in laudem verti poteſt. Inſtinctus iſte non minus hominibus eſt, quam brutis, quemadmodum ex anterioribus ſatis liquet. Quamvis autem brutis non cedat laudi, quod eidem obſequantur; homini tamen vituperium parit, quod ad eundem animum non attendat, ſed voluptatum nocuarum illecebris ab eo eundem avocari patitur. Abutitur intemperans cibo ac potu ad deſtruendam ſanitatem, quam natura deſtinavit ad eam conſervandam: quo nil magis rationi adverſum cogitari poteſt. Omnium autem abſurdiſſimi ſunt, qui ſibi & aliis perſuadere contendunt, rationem eſſe ejurandam, ne nos impediat, quo minus intemperanter vivamus. Et in eundem cenſum referendi ſunt, qui conqueruntur de miſeria humana, propterea quod ſapore cibi ac potus guſtum hilarare nequimus, quantum ad ſatiandum animum ſufficit. Aſt quis non novit, dato uno abſurdo ſequi plura, & omnia confundi, ubi ſemel a veritate diſceſſeris, ſicque in ſtultos degenerare, qui ſapientes videri volunt?

§. 264.

Homini nullum jus eſt ad cibum ac potum, niſi quatenus eodem De jure ho-
utitur ad ſanitatem ac vitam conſervandam. Homo enim vitam *minis ad ci-*
(§. 350. *part. 1. Jur. nat.*) & ſanitatem conſervare debet (§. 393. *bum & po-*
part. 1. Jur. nat.). Quamobrem cum ſine cibo ac potu vita *tum.*
& ſanitas conſervari nequeat (§. 380. *part. 1. Jur. nat.*), jus
vero, quod ipſi competit ad cibum & potum (§. 383. *part. 1.*

Digitized by Google

Jur. nat.), ex obligatione vitam & ſanitatem conſervandi naſcatur (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*); homini quoque jus nullum ad cibum ac potum competit, niſi quatenus eodem utitur ad ſanitatem & vitam conſervandam.

Quoniam jus omne oritur ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*), quantum illud ſit & quousque pateat, ex obligatione æſtimandum, unde originem ſuam deducit. Quodſi vita & ſanitas ſine cibo ac potu conſervari poſſet, nullum quoque nobis eſſet jus ad cibum ac potum, neque etiam opus eſſet ſtimulo ad cibum ac potum capiendum, fame nimirum ac ſiti. Non eſt quod objicias, cibum ac potum eſſe in dominio noſtro, ideoque nos de eodem diſponere poſſe pro arbitrio noſtro (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*). Diſtingvendus enim eſt uſus juris ab abuſu ejusdem. Etenim cibo ac potu noſtro aliter uti non debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi vitam & ſanitatem noſtram, vel etiam aliorum (§. 643. *part. 1. Jur. nat.*) conſervandi (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*), alias eodem abutimur (§. 168. *part. 1. Jur. nat.*), etſi aliis non competat jus abuſum impediendi (§. 169. *part. 1. Jur. nat.*). Cum conſtet Deum eſſe autorem legis naturalis (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec is homini præſcribere potuerit legem naturali contrariam (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus quoque aliud ad cibum ac potum homini concedere non potuit, niſi quo indiget ad vitam ac ſanitatem conſervandam, nec homo aliunde quicquam juris habet, niſi quod a Deo ipſi fuit conceſſum. Deo competit dominium earum rerum, quæ cibo ac potui inſerviunt (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque ipſius eſt diſponere de cibo ac potu, quomodo ipſi viſum fuerit (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*). Diſponit autem, cum ratio ſumma ipſi competat (§. 279. *part. 1. Theol. nat.*), rationi convenienter. Quamvis itaque jus ſuum in hominem tranſtuliſſe ponatur, non tamen id aliter tranſtuliſſe fingi poteſt, quam quale ipſius eſt, nimirum ut de uſu cibi ac potus diſpo-

diſponatur rationi convenienter, ideoque homo vitæ ac ſanitatis conſervandæ cauſa eodem utatur. Sane in tota rerum natura id obtinet, ut nihil deſtruatur niſi conſervandi univerſi cauſa, utque totum univerſum conſervetur, corruptio unius ſit generatio alterius. Et quia voluntati divinæ conforme eſt, ut cibus ac potus inſerviat conſervationi corporis, eidem utique repugnat, ut cibo ac potu corpus noſtrum deſtruatur. Patet itaque conſenſus conſuetudinis naturæ cum lege naturali, cujus utriusque autor Deus eſt ſibi in omnibus conſentiens.

§. 265.

Ad guſtum cibo ac potu hilarandum homini jus nullum eſt, niſi quatenus ſalva ſanitate id fieri poteſt. Homini enim jus nullum eſt ad cibum ac potum, niſi quatenus eodem utitur ad ſanitatem ac vitam conſervandam (§. 264). Jus igitur ipſi eſt ad cibum ac potum omnem, qui ſanitati conducit, conſequenter libera ipſi eſt electio, modo non eligatur niſi ſalubris (§. 395. *part. 1. Jur. nat.*), nec ultra cibum ac potum capiat, quam ſanitati conducit (§. 402. 404. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum homini jus ſit fruendi delectationibus ſenſualibus, ſi fuerint innocuæ (§. 410. *part. 1. Jur. nat.*); ipſi quoque jus eſt hilarandi guſtum cibo ac potu, ſi ejus uſus fuerit innocuus, conſequenter ſanitati minime adverſus. Jus igitur homini ad guſtum cibo ac potu hilarandum nullum eſt, niſi quatenus ſalva ſanitate id fieri poteſt. *De jure ad guſtum cibo ac potu hilarandum.*

Non eſt quod objicias, Deum velle, ut homo ſit felix (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter cum voluptas ex ſapore cibi ac potus percepta ad felicitatem hominis faciat (§. 638. *Pſych. empir.*), ipſum quoque homini conceſſiſſe jus ad guſtum cibo ac potu hilarandum. Quamvis enim obligemur omnem dare operam, ut ſimus felices (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*),

nat.), ex hac tamen obligatione minime ſequitur jus ad guſtum cibo ac potu hilarandum, quia id non neceſſario requiritur, ut obligationi huic naturali ſatisfaciamus (§. 159. *part. 1. Jur. nat.*). Felicitas hominis non conſiſtit in delectationibus ſenſualibus, etſi quando ſunt innocuæ quidpiam ad eam conferre poſſint. Ac ideo jus fruendi delectationibus ſenſualibus homini non eſt, niſi quatenus ſunt innocuæ (§. 410. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem etiam jus ad guſtum cibo ac potu hilarandum non aliter ipſi competit, quam in quantum voluptas inde percepta innocua eſt, conſequenter quando cibus ac potus aſſumtus nec qualitate, nec quantitate nocet. Jus igitur ad guſtum cibo ac potu hilarandum eſt acceſſorium juris ad cibum & potum, ex quo ideo metiendum. Ex obligatione ad felicitatem non poteſt fluere jus, quod repugnat obligationi ad vitam & ſanitatem conſervandam. In jure naturæ perpetuus concentus eſt.

§. 266.

Qualia bona ſint cibi ac potus.

Cibi ac potus in ſe ſpectati vera bona ſunt; abuſu autem efficiuntur mala. Etenim cibo ac potu conſervatur vita & ſanitas corporis; quamobrem cum ejus perfectio ſubſiſtat, quamdiu corpus ſanum eſt (§. 391. *part. 1. Jur. nat.*); cibi ac potus corporis noſtri ſtatum perficiunt. Quoniam itaque bonum verum eſt, quod revera ſtatum noſtrum perficit (§. 557. *Pſych. empir.*), cibi ac potus in ſe ſpectati vera bona ſunt. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi quis cibo abutitur, vel potu, ſolius guſtus hilarandi cauſa cibum & potum inſalubrem, vel etiam nimia quantitate ſalubrem capit, ſanitatis nulla habita ratione (§. 264. 265.). Quamobrem cum non modo cibus ac potus inſalubris (§. 397. *part. 1. Jur. nat.*), ſed etiam ſalubris quantitas nimia ſanitati noceat (§. 401. *part. 1. Jur. nat.*), abuſu cibi

cibi ac potus ſtatus corporis noſtri efficitur imperfectior. Quoniam itaque verum malum eſt, quod ſtatum noſtrum revera imperfectiorem efficit (§. 568. *Pſych. empir.*); cibi ac potus abuſu efficiuntur mali. *Quod erat alterum.*

Cum natura ipſa nos obliget ad vitam & ſanitatem conſervandam, quam ſine cibo ac potu conſervare non poſſumus; rem quoque nullam aliam in uſum cibi ac potus deſtinavit, quam quæ ad vitam & ſanitatem conſervandam apta eſt. Quamobrem qui cibo inſalubri veſcitur, is in cibum convertit rem contra intentionem naturæ, ſeu Dei autoris ejus, quæ ipſi in cibum data non erat. Res cibus non eſt, niſi quatenus apta ad alendum corpus, ut conſervetur. Ubi talis non eſt, nec cibus eſt, ſed perperam pro cibo habetur, cum in eſſe cibi conſtituatur ex deſtinatione naturæ. Unde nec abſurdum eſt, quod hinc ſequitur, rem unam eandemque eſſe cibum reſpectu unius, ſed non eſſe reſpectu alterius. Aſt cum hoc ſubtilius videatur, quam ut in communi ſermone obſervari poſſit, cibi nomen promiſcue tribuitur rebus, quæ ad corpus nutriendum aptæ ſunt, nulla habita ratione vel qualitatum noxiarum, vel conditionis ſubjectorum, & conſultius fuit eos dividere in ſalubres ac inſalubres: quo ipſo tamen nullum fit præjudicium veritati, quam in Moralibus attendere debemus, nimirum ut quilibet pro certo habeat, rem iſtam, quæ ſanitati ſuæ nocet, ſive morbum ſtatim inducendo, ſive corpus ad morbum diſponendo, non eſſe cibum quoad ſe. Neque hoc abhorret a notionibus communibus. Quis enim inter nos eſt, qui neſciat, ſi quis cibo quodam veſci renuit, eum vulgo dicere, quod non ſit cibus quoad ſe, quamvis, cum vulgo homines de cibo ac potu ex guſtu ſtatuant, a perverſo hoc cibi bonitatem æſtimandi modo formulæ quoque iſti loquendi reſpondens ſignificatus trahere poſſit, quæ non veritati reſpondent, quemadmodum loquendi inconſtantia idem in aliis accidit, præſertim ubi diverſæ de iisdem rebus hominum mentes occuparunt opiniones. Ut igitur

igitur cibus inſalubris ſibi ſit abuſui, quem homines faciunt, tribuendum, ideoque non dici poteſt, quod natura cibum malum faciat, ſapore, quo ſeſe commendat, nobis imponens, ſed nos eundem malum facimus, cum abuſus, quo malus efficitur, in totum nobis ſit tribuendus. Naturam novercam perperam accuſant, qui ſeipſos accuſare debebant, quod non ratione, ſed ſenſu regere maluerint comedendi, vel bibendi appetitum. Natura non miſcet venenum alimento, ſed homo contra naturam ſuam agens, hoc eſt, rationem abdicans, quæ ipſum a brutis diſtingvit, bonis naturæ abutitur & intemperantiæ ſuæ dat pœnam (§. 263.).

§. 267.

De beneficio Dei in cibo ac potu conſpicuo.

Quoniam cibi ac potus in ſe ſpectati vera bona ſunt, abuſu autem efficiuntur mali (§. 266.), Deus autem dator omnis boni eſt (§. 42. *part. 3 Eth.*), omnis autem actus, quo perfectio ſtatus noſtri gratis promovetur, beneficium eſt (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*); *quod Deus nobis cibum ac potum largiatur*, quo ſanitatem ac vitam conſervare poſſumus, *beneficium Dei eſt*, & *qui cibo ac potu abutitur*, hoc eſt, *intemperanter vivit*, *beneficio Dei ſe indignum reddit.*

Oſtendimus ante, Deum nobis non dediſſe jus ad cibum ac potum capiendum, niſi quatenus eodem utimur ad ſanitatem & vitam conſervandam (*not.* §. 264.). Quamobrem cum in eo beneficium Dei conſiſtat, quod nobis cibum ac potum largiatur; beneficium hoc ſub modo nobis datum intelligitur, nimirum ut eodem ſanitatem ac vitam conſervare ſtudeamus (§. 557. *part. 3. Jur. nat.*, quem adimplere tenemur (§. 562. *part. 3. Jur. nat.*), cibo ſcilicet ac potu non aliter utendo, quam ut ſanitatem ac vitam conſervemus (§. 558. *part. 3. Jur. nat.*). Equidem ea, quæ hic citamus, de promiſſione modali dicta ſunt; ſed, cum tot modis aliquid dari poſſit, quot modis promittitur, quæ de promiſſione modali dicta ſunt, ea etiam

Digitized by Google

etiam de donatione modali intelliguntur & ad beneficia quoque ſub modo data recte applicantur. Quemadmodum vero ſanitas maximum bonum eſt; ita quoque beneficium hoc Dei non vili pendendum, cujus magnitudo ex illo æſtimanda. Nihil vero abſurdius eſt tanto beneficio abuti contra intentionem benefactoris in detrimentum noſtrum.

§. 268.

Quia beneficium Dei eſt, quod nobis cibum ac potum largiatur (§. 267.), beneficiarius vero obligatur ad gratias benefactori agendas (§. 45. *part. 4. Jur. nat.*); *pro cibo ac potu Deo gratias agere debemus*, ideoque *cibo ac potu non frui niſi cum gratiarum actione*, conſequenter cum gratias agentes ſignificamus animum gratum (§. 44. *part. 4. Jur. nat.*), animus vero gratus conſiſtat in dilectione benefactoris ob beneficia in nos collata (§. 31. *part. 4. Jur. nat.*), *Deum* quoque *ob cibum ac potum, quo frui nobis datum eſt, diligere*, conſequenter *eum amare* (§. 243. *part. 3. Eth.*), ac propterea *bonitate ipſius delectari debemus* (§. 230. *part. 3. Eth.*).

De cibo ac potu cum gratiarum actione agenda ca-piendo.

Pauci ſunt, qui, dum comedunt & bibunt, de beneficio divino cogitant, quo fruuntur, & ejus conſideratione concitato amore Dei ad gratiarum actionem permoventur. Patebit autem ex ſequentibus, quantum hoc neglectu ſibi noceant. Equidem apud nos uſu receptum eſt, ut poſt prandium & cœnam gratiæ agantur Deo & preces quoque ante menſam ad Deum funduntur; ſed hoc magis moribus obſervatur, quam ut recitationi formularum conſuetarum adſit animus, qualis eſſe debet, ſi cibo ac potu animo grato fruamur. Excitandus is eſt, antequam cibum ac potum capiamus, conſervandus dum capimus, & ſignificandus, poſtquam cepimus. Et ſic demum comedendo ac bibendo gloriam Dei promovemus, ut jucunda cœnæ, vel prandii ad felicitatem hominis faciens memoria retineatur, quæ, dum indies minimum bis

renovetur, nulla ratione deleri poteſt. Abſit autem, ut exiſtimes iſtiusmodi ſtatum non convenire convivis, & arcere præſentiam animi, quæ requiritur, ſi una cum aliis cibum capias! Qui hanc opinionem ſibi perſuadent, pietatem affectatam cum vera confundunt, quæ animum hilarat, tantum vero abeſt, ut vultum mœſtum ac conturbatum, vel faciem prorſus torvam, vocem lugubrem faciat. Contrarium abunde patet ex iis, quæ ſequuntur. Nobis nihil magis diſpliceet, quam pietas affectata & pompoſa, de qua alias diximus, quid ſentiamus (§. 152. *& ſeqq.* & §. 395. *part. 3. Eth.*). Pietas vera, quæ omnes actiones noſtras moderatur, non impedit quo minus vultu hilari atque læto ſimus, nec efficit, ut abſque læto animo, cujus index vultus eſt, cibum ac potum capiamus, quemadmodum ſanitati quoque conducit.

§. 269.

Medium temperantiæ. Quoniam propter cibum ac potum Deum diligere debemus (§. 268.), conſequenter animum habere Deo obediendi (§. 243. *part. 3. Eth.*), ideoque faciendi, quæ Deus vult, & non faciendi, quæ non vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), Deus autem vult, ut ſimus temperantes (§. 406. *part. 1. Jur. nat.*), cibum ac potum appetentes ſolius ſanitatis conſervandæ (§. 407. *part. 1. Jur. nat.*), non vero ſolius voluptatis percipiendæ cauſa (§. 412. *part. 1. Jur. nat.*), ſi vel maxime ob ſaporem gratum eligamus cibum ac potum, quo fruimur (§. 411. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi Deum ob cibum ac potum, quo fruimur, diligimus*, conſequenter *utrumque non ſine ſenſu animi grati capimus, eo ipſo ad temperantiam ſervandam commovebimur, nec verendum eſt, ne aſſumendo cibo & potu vel in qualitate, quantum nobis ſcire datur, vel in quantitate peccemus, multo minus potu usque ad ebrietatem nos ingurgitemus, juris ad cibum ac potum* (§. 264.) *& ad guſtum eodem hilarandum rigidi obſervatores* (§. 265.).

Oſten-

Oſtendimus in genere ſtudium virtutis pietate facilitari (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*): ex demonſtratione autem præſenti patet, quomodo pietas facilitet temperantiam. Vidimus ſupra, quam difficile ſit eſſe temperantem (*not.* §. 258.); aſt difficultas illa tollitur, ſi cum ſenſu animi grati erga Deum comedamus atque bibamus, nec hic permittit, ut beneficio Dei nos indignos reddamus (§. 267.). Gratitudo tendit ad bonum bono referendum (§. 381. *part. 2. Eth.*). Non habet homo, quod Deo dare poſſit, niſi voluntatem ſuam (§. 179. *part. 3. Eth.*), ut nimirum voluntas Dei ſit ipſi loco voluntatis propriæ, atque ita animus obediendi Deo animo grato inſit (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Obedientia autem nobis in memoriam revocat, quod Deus nobis legem naturæ tulerit (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut actiones noſtras voluntati ipſius conformiter dirigamus (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque reſuſcitat ideam Dei legislatoris perſonam patris ſaluti liberorum ſuorum præceptis ac prohibitionibus ſuis conſulere ſtudentis (§. 189. *part. 3. Eth.*), ut lege divina delectemur (§. 190. *part. 3. Eth.*), conſequenter etiam temperantia ipſa eadem præcepta (§. 406. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hæc ipſa delectatio in appetitum influens amorem temperantiæ auget, atque contra intemperantiam fortiſſimum præſidium eſt. Agnoſcant hinc & ex ſimilibus, quæ paſſim annotantur, utilitatem receſſuum in animis noſtris, quam nobis minime conſciis præſtant, modo in cultura virtutum, quam in præſenti opere tradimus, induſtriam noſtram defatigari minime patiamur, quamvis ad eosdem ſpectantia in ipſis demonſtrationibus quoque deprehendet, qui ad earum analyſin animum attendere voluerit (§. 992. *Log.*). Receſſus animi conſiſtunt in influxu tacito præteritorum ſtatuum in præſentem (§. 72. *part. 1. Eth.*), quemadmodum omnium facillime obſervatur in actibus ex habitu profluentibus (§. 77. *part. 1. Eth.*). Quamobrem non eſt, quod exiſtimes, omnia illa, quæ influunt in ſtatum præſentem ſigillatim eſſe expendenda, ut ſingulorum tibi ſis conſcius. Prodit autem ſtatus

animi prorſus diverſus pro diverſitate eorum, quæ in eundem influunt. Quamobrem cum is ſaltem confuſe percipiatur, neceſſe eſt, ut eundem in nobis ipſis experiamur, atque tum ſeipſum nobis commendat dulcedine ſua, quemadmodum cibi ſaporem guſtus probat (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Antequam officia erga Deum in temperantiam influere poſſunt, neceſſe eſt ut habitus ea præſtandi acquiſiveris. Quemadmodum enim veritates demonſtrari non poſſunt, niſi præſuppoſitis aliis (§. 551. *Log.*), demonſtratione autem non convincitur, niſi qui ſenſum certitudinis habet (§. 998. *Log.*), aſſenſu ſucceſſive genito (§. 993. *Log.*); ita quoque actiones morales habere nequeunt eam formam, quam rectitudo exigit, niſi præſuppoſitis actibus, qui in eam tacite influere debent, ut naſcatur ſtatus animi per ea determinatus, quæ de eo demonſtrantur. Et ſicuti impoſſibile eſt, ut demonſtrationem capiat eademque convincatur, qui ignarus omnium præcedentium hoſpes & peregrinus in Geometria evolvit propoſitionem quandam a principiis primis procul remotam; ita quoque fieri non poteſt, ut actio aliqua moralis eam nanciſcatur formam, quam influxu officiorum aliorum acquirit, ſi nondum acquiſiti fuerint habitus officia iſta præſtandi, quorum dependentiam a ſe invicem demonſtrationes noſtræ morales manifeſtant. Verum hinc diſcant eruditi, quod non minus arduum ſit recte agere, & animum in agendo habere purum, quam veritates reconditas via demonſtrationis in apricum proferre, ut ideo recte dixerit *Cicero*, tantum unumquemque gloria excellere, quantum virtute plurimum præſtat, & agnoſcant, quantum virtus, ab eruditis proh dolor! adeo neglecta, aut ultra plebejam non evecta, laudem eruditi extollat (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 270.

De magnitudine voluptatis.

Voluptas, qua animus perfunditur, ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruimur, voluptatem, quæ ex ſapore cibi ac potus

tus perficitur, infinities major eſt. Si quis enim cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruitur, amor Dei concitatur & ipſe bonitate divina delectatur (§. 268.). Et quoniam qui Deum amat, ceteris quoque ejus perfectionibus delectatur (§. 1171. *part.* 1. *Jur. nat.*); delectatio iſta maximum inde capit incrementum. Cumque præterea accedat animus gratus (§. 269.), qui efficit ut lege divina delectemur (*not.* §. *cit.*); ea novum inde robur acquirit. Animus igitur voluptatibus pluribus confluentibus una demulcetur. Quemadmodum autem conſtat, voluptatem quamlibet animi plurimum diſtare ab ea, quæ ſenſum hilarat, ita ut illam expertus cum hac commutare nolit, dulcedinem amoris ſinceri plurimum demulcere animum, & maximam eſſe amoris erga Deum dulcedinem, quæ tanquam a poſteriori nota hic ſumenda ſunt, quamvis ex parte quoque pateant ex alibi demonſtratis; ita hinc colligitur, voluptatem, qua perfunditur animus, ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruimur, voluptatem ex ſapore cibi ac potus perceptam infinities ſuperare.

luptatis ex comeſtione ac bibitione cum ſenſu beneficii divini perceptæ.

Voluptas hæc rectius agnoſcitur, ſi eam in nobis ipſis experiamur. Quoniam cum voluptate, quæ ex ſapore percipitur, una percipitur, ſicque cum ea confunditur, ut ad guſtum attenti eandem totam ad hunc referamus, quaſi is eandem nobis creet, amor divinus & cum eodem conjunctus animus gratus optimum cibi ac potus condimentum eſt, ut læto animo cibo ac potu fruamur & cibus ac potus, qui ſapore aliis ſeſe non commendat, melius ſapiat quam lautiſſimus quicunque alius, quo guſtus aliorum hilaratur. Et hoc modo quivis pauperrimus tenui quocunque victu contentus majore voluptate cibo ac potu frui poteſt, quam quivis alius, qui opipare vivit. Non dubito fore plurimos, quibus non modo paradoxa, verum prorſus abſurda videbuntur, quæ hic dicun-

dicuntur. Aſt non ignoramus nos fabulam narrare non expertis. Ecquis incolarum ſub zona torrida non ridebit, ſi narretur, aquam tantam duritiem contrahere poſſe, ut currui onuſto non cedat? Quæ vero ratio alia eſt, niſi quod aquam in glaciem abire nunquam viderit, quod nobis qualibet hieme id videntibus paradoxum non videtur. Qui judicium ſuum deproperare non vult, experimentum ante in ſe capiat, quod omnino arduum eſſe ac difficile minime diffitemur (*not.* 269.). Voluptas hæc cum dependeat a ſtatibus præteritis & ſupponat plurimos habitus ante acquiſitos, in quibus omnibus magna differentia deprehenditur, pro conditione ſubjectorum plurimum variat, latebris ac receſſibus, qui dantur in animo, non iisdem exiſtentibus, nec eodem modo ſe habentibus. Quamobrem conſultiſſimum eſt, ut unusquisque eandem ſuo modulo metiatur, eandemque continuo augere ſtudeat praxi morali indefeſſam operam navans. Quodſi hoc fecerit, ea via contendet ad metam, quam monſtramus, voluptatem, quam guſtus creat, vili pendet, nec ejus carentia ſe infeliciorem exiſtimabit aliis, qui indies variatis delitiis guſtum hilarare conantur, nec ſortem ſuam cum ſorte illorum commutare deſiderabit. Sicuti vero temperanti licet ex duobus cibis vel potibus ſalubribus ob ſaporem gratum unum præferre alteri (§. 411. *part. 1. Jur. nat.*); ita amor quoque Dei cum animo grato conjunctus, quem optimum cibi ac potus condimentum diximus, ſingulari modo modificabit voluptatem ex ſapore perceptam, ut ad gradum excelſiorem evecta majore jure pro augmento felicitatis habeatur. Nolo jam uberius declarare, quomodo officia cetera erga Deum in voluptatem iſtam influere poſſint, quod pro diverſitate caſuum emergentium non ſemper ſit uno eodemque modo.

§. 271.

Quomodo intemperan-

Quoniam voluptas, qua animus perfunditur, ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruamur, voluptate, quam guſtus

guſtus creat, infinities major eſt (§. 270.), voluptas autem, quam guſtus creat, intemperantiæ ac ebrietatis cauſa eſt (§. 257.), & quam difficulter hujus illecebris reſiſtatur, quotidiana experientia docet, immo nec difficultate caret, ſi eandem pretio ſuo æſtimare debemus (§. 260.); *facilius ſibi homo cavere nequit, ne a voluptate, quam guſtus creat, ad intemperantiam ſeducatur, quam ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu frui adſueſcat* (§. 268. 269.), *atque hoc firmiſſimum adverſus intemperantiam præſidium eſt.* *tia facillime vitetur.*

Oſtendimus ſuperius, voluptatem ex ſanitate percipiendam ſuperiorem eſſe debere voluptate, quam guſtus creat, ſi intemperantiam & ebrietatem fugere, ſeu illecebras voluptatis, quam guſtus creat, vincere velimus (§. 258.). Monuimus vero etiam hoc prædominium obtentu difficile eſſe (*not.* §. 258.). Quamobrem cum influxus amoris erga Deum cum animo grato conjunctus difficultatem tollat, dum cibum ac potum conſideramus tanquam medium ſanitatis conſervandæ a Deo nobis datum; quam neceſſarium ſit, ut Deum amare & bonitatem ejus agnoſcere diſcamus, ſi temperantes eſſe velimus, abunde patet. Quoniam vero intemperantia & ebrietas multorum malorum genetrix eſt & felicitati noſtræ plurimum nocet; hinc quoque intelligitur, quomodo religio felicitatem noſtram promoveat, dum remedium adverſus infelicitatem ipſam partem quoque haud exiguam felicitatis noſtræ conſtituit. Inſignis enim iſta voluptas, reſpectu cujus ea, quam guſtus creat, pro nihilo habenda (§. 270.), niſi eidem robur quoddam addat (*not.* §. *cit.*), veræ felicitatis utique pars eſt (§. 637. *Pſych. empir.*), quæ ſola animum felicitatem per naturam ſuam inhiantem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*) ſatiare poteſt. Rideant ergo homines profani ſimplicitatem eorum, qui Deum ſincere colunt, rectius hi rident ipſorum ſtultitiam. Crepent illi acumen ſuum, hi rectius ſubſannant ipſorum ablepſiam. Extollant illi ſenſus, quos cum brutis

communes habent, in voluptate æſtimanda, ut ſint felices; hi rectius rationem, quæ hominem a brutis diſcernit, judicem competentem agnoſcunt in determinanda voluptate, qua ſi fruuntur ſunt felices. Nos non pudet confiteri, ratione nihil melius a Deo immortali homini datum eſſe, ut eadem actiones ſuas regendo vitam ac ſanitatem conſervet ac felicitate fruatur, quæ in hominem cadit, quia ratio ipſum a ceteris animantibus diſtingvit. Nequaquam homo eſt, qui ſenſum rationi præfert.

§. 272.

De influxu timoris Dei in temperantiam.

Qui Deum timet, lubens temperanter vivit, & timor Dei filialis voluntatem temperanter vivendi conſtantem atque perpetuam facit. Qui enim Deum timet, ejus animum tenet ſollicitudo nil quicquam committendi, quod voluntati divinæ repugnat (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum norit, quod temperantes eſſe debeamus (§. 406. *part. 1. Jur. nat.*); appetitus quoque ejus hoc ipſo timore ad temperantiam inclinatur. Quoniam itaque appetitus in nil fertur, niſi quatenus voluptatem inde percipit (§. 156. *part. 2. Eth.*), ex temperantia voluptatem percipit & per conſequens quia nobis id placet, ex quo voluptatem percipimus (§. 542. *Pſych. empir.*), temperantia ipſi placet. Enimvero quod nobis placet, lubenter facimus (§. 938. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui Deum timet, lubens temperanter vivit. *Quod erat ostendum.*

Quoniam igitur fieri nequit, ut contrarium ejus faciamus, quod lubenter facimus; qui Deum timet, quamdiu Deum timet, ſe a propoſito ſuo temperanter vivendi nulla ratione amoveri patitur. Quamobrem cum voluntas conſtans ſit, quando in dato caſu non mutatur, & perpetua, quan-

quando eodem casu redeunte eadem est (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); timor Dei filialis voluntatem temperanter vivendi constantem atque perpetuam facit. *Quod erat alterum.*

Qui lubens temperanter vivit, nullam in se sentit repugnantiam cupiditate in contrarium tendente, nec sine quadam molestia tollenda. Et, si vel maxime contingat, voluptate ex cibo aut potu percipienda cieri appetitum sensitivum, timor tamen Dei libentiæ creatrix eundem in consensum cum appetitu rationali, seu voluntate retrahit, aut saltem attentionem ab ea avertit, ne contrarietatis nobis conscii simus. Ostendimus jam in genere, timorem Dei influere in omnem virtutem (§. 339. *part. 3. Eth.*), tum per modum motivi, quatenus studium virtutis commendat, tum per modum medii, quatenus voluntatem constantem & perpetuam efficit (*not. §. cit.*): utrumque influxum deprehendimus etiam in temperantia, & poteramus propositionem præsentem per modum corollarii inferre ex propositione generali de influxu timoris Dei filialis in omnem virtutem, nisi consultius visum fuisset eundem in specie demonstrare, ob rationes in superioribus jam indicatas. Poterat pars prior propositionis præsentis etiam hoc modo demonstrari. Qui Deum timet, lubentissime Deo obedit (§. 325. *part. 3. Eth.*); consequenter facit, quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum Deus velit nos temperanter vivere (§. 406. *part. 1. Jur. nat.*); lubentissime vivit temperanter. Amor Dei gignit timorem filialem (§. 317. *part. 3. Eth.*), timor filialis obedientiam (§. 325. *part. 3. Eth.*). Quoniam vero ad rectitudinem actionis requiritur determinatio voluntatis per bonitatem & noluntatis per malitiam intrinsecam actionis (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad recte agendum autem obligamur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*); motiva hæc ab influxu timoris Dei in actionem non sunt separanda, sed cum eodem conjungenda: quo facto non modo influxus timoris

filialis in diverſas virtutes ſpecificatur, ſed ipſa quoque timorem filialem nutriunt, ut majores vires ad influendum in actionem virtuti reſpondentem acquirat. Oſtendamus hoc in caſu præſenti. Temperantes eſſe debemus ſanitatis conſervandæ cauſa (§. 407. *part. 1. Jur. nat.*) ideoque vitare intemperantiam, ut morbos vitemus (§. 346. *part. 1. Jur. nat.*). Temperantiæ igitur colendæ motivum ab intrinſeca bonitate actionum deſumta ſanitatis conſervatio eſt, motivum vero fugiendæ intemperantiæ ac ebrietatis ab intrinſeca turpitudine petitum morborum ceterorumque malorum ex ebrietate potiſſimum conſequentium vitatio. Cum ſanitas bonum longe maximum ſit (§. 251.), morbi malum longe maximum (§. 252.), & præterea mala plurima alia ex ebrietate conſequantur (§. 240.); bonitas Dei ſpeciali ratione inde agnoſcitur, quod velit nos eſſe ſobrios ac temperantes (§. 992. *part. 1. Theol. nat.*), ut idea Dei legislatoris tanquam patris ſaluti liberorum ſuorum præceptis ac prohibitionibus ſuis conſulentis quoad actus temperantiæ convenientes tam poſitivos, quam privativos ſingulari luce colluſtrata vividior efficiatur (§. 189. *part. 3. Eth.*), eademque amor Dei inflammetur (§. 228. *part. 3. Eth.*), ſicque timor Dei magis ferveat (§. 317. *part. 3. Eth.*), & lex naturæ ſive divina nobis ſit cara eademque delectemur (§. 190. *part. 3. Eth.*), ideoque obedientia, ad quam nos impellit timor filialis & quam facilitat (§. 326. *part. 3. Eth.*), ipſum quoque timorem nobis commendet atque conſtantiam ejus firmet. Velim hæc probe conſiderentur, ut appareat mutuus virtutum in ſe invicem influxus & intelligatur, quomodo pietas non tollat motiva ab intrinſeca actionum bonitate & malitia deſumta, ſed iisdem majorem tribuat efficaciam atque ab iis viciſſim virium ſuarum acquirat incrementum.

§. 273.

De timore Dei ſtudium nam

Timor Dei filialis nos impellit, ut ſollicite inquiramus, qui- cibi ac potus nobis ſint ſalubres, quænam ſit nobis conveniens quan-

quantitas & quinam uſus rerum ceterarum non naturalium ſanitati inquirendi noſtræ conveniat. Qui enim Deum timet, oblata quacunque *in res nobis* occaſione agendi ſollicite inquirit, utrum actio ſit voluntati *ſalubres ſu-* divinæ conformis, nec ne (§. 322. *part. 3. Etb.*). Quamob- *ſcitante.* rem cum Deus velit, ut cibo ac potu ſalubri utamur, ab inſalubri vero abſtineamus (§. 399. *part. 1. Jur. nat.*), ac nimiam cibi & potus quantitatem vitemus (§. 402. *part. 1. Jur. nat.*); timor Dei filialis nos impellit ut ſollicite inquiramus, quinam cibi ac potus nobis ſint ſalubres & quænam ſit nobis conveniens quantitas. *Quod erat unum.*

Enimvero cum Deus quoque velit, ut rerum ceterarum non naturalium uſum ſanitati convenientem faciamus (§. 419. *part. 1 Jur. nat.*), ſine quo diæta non concipitur (§. 418. *part. 1. Jur. nat.*); eodem quo ante modo patet, timorem Dei nos impellere, ut ſollicite inquiramus, quinam uſus rerum ceterarum non naturalium ſanitati conveniat. *Quod erat alterum.*

Prolixe oſtendimus in ſuperioribus, quænam danda ſit opera, ut uſum rerum non naturalium ſanitati convenientem cognoſcere ſtudeamus (§. 203. *& ſeqq.*), ſicque diætæ vitia vitemus, quantum in poteſtate noſtra eſt. Nullus dubito fore plurimos, quibus hoc ſtudium nimis moleſtum videbitur. Aſt moleſtiam non modo tollit timor Dei filialis, ſed eandem prorſus in voluptatem convertit, ut ſtudium iſtud nobis ſit delectabile.

§. 274.

Qui in providentia divina acquieſcit, contentus eſt eo cibo ac potu, quo frui ipſi datum eſt, nec aliis invidet cibum ac potum lauteriorem, nec propterea infelicior eſt, quod eodem careat. Qui enim in providentia divina acquieſcit ſorte ſua contentus eſt, nec aliis

De influxu acquieſcentiæ in providentia divina

na in temperantiam.

aliis invidet bona ſua (§. 438. *part. 3. Eth.*). Contentus igitur quoque eſt eo cibo ac potu, quo frui ipſi datum eſt, ſive quod lautiori careat, ſive quod ab eodem abſtinere cogatur, ſi ſanitatem ac vigorem corporis & animi, quatenus vigor animi a vigore corporis dependet, conſervare velit, nec aliis invidet cibum ac potum lautiorem, quo ipſis frui datum. *Quod erat unum.*

Quoniam vero voluptas, qua anima perfunditur, ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruamur, voluptatem, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, infinities ſuperat (§. 270.), illa autem voluptas vera eſt (§. 514. *Pſych. empir.*), quatenus nimirum cibo ac potu, quo frui nobis datum, eſt medium conſervandi ſanitatem ac vigorem corporis & animi, quæ veræ omnino perfectiones ſunt (§. 510. *Pſych. empir.*), ideoque ad veram hominis felicitatem pertinet (§. 637. *Pſych. empir.*), hæc ex adverſo, ubi ad intemperantiam ſeducit, nocua fit (§. 259.), ideoque ad felicitatem nonniſi apparentem facit (§. 638. *Pſych. empir.*), &, ſi vel maxime non ſit innocua, reſpectu tamen illius voluptatis vix ac ne vix quidem ullam attentionem meretur, & nonniſi contemtibile affert felicitatis incrementum, propterea quod quis careat cibo ac potu lautiori, quo utuntur alii, aut ab eodem ſeſe abſtinere cogitur, infelicior aliis non eſt. *Quod erat alterum.*

Monuimus jam ſupra, amorem Dei & cum eo conjunctum animum gratum eſſe optimum cibi condimentum, cum quo comparari nequit id, quod vel natura ipſi dedit, vel ars (*not.* §. 270.). Quamobrem hæc quoque officia erga Deum ſimul cum acquieſcentia in providentia in temperantiam influunt, quatenus animus temperanter viventis hac efficitur contentus & invidia arcetur, ſive quod non habere poſſimus cibum ac potum

potum lautiorem, quo utuntur alii, ſive quod natura noſtra non ferat ejus uſum, quem non reſpuit natura aliorum. Cum natura paucis contenta ſit, ſi ſpectes finem, cujus cauſa cibo ac potu fruimur, nimirum ſanitatem, non facile erit homo, qui cibi ac potus condimento iſto frui non poſſit & in providentia divina acquieſcens animum non habere contentum atque omni invidia vacuum. Et quia nemo judicare poteſt, num in alio ſtatu ſit felicior futurus, quam in præſenti eſſe poteſt (§. 428. *part. 3. Eth.*); in præſenti caſu ad acquieſcentiam in providentia divina, quatenus animum eo cibo ac potu contentum reddit, quo frui nobis datum eſt, & invidiam erga alios lautiore utentes arcet, haud parum confert, ſi conſideremus, annon voluptatis ex cibo ac potu percipiendæ illecebris ad intemperantiam, vel ebrietatem ſeduceremur, & quod non expoſiti ſimus periculo huic, nec contra appetitum ſenſitivum nobis ſit pugnandum. Quodſi vero a cibo ac potu, qui guſtum hilarare poterat, nos abſtinemus, quia eum ſanitati noſtræ nocere novimus; cum ipſam hanc notitiam in numerum beneficiorum divinorum referamus, ea delectabimur & beneficium hoc providentiæ divinæ acceptum ferentes tanto lubentius in eadem acquieſcemus. Patet hinc, omnia, quæ legi naturæ conveniunt, influere in felicitatem noſtram, modo iisdem ad eam promovendam uti velimus. Elucet quoque inde ſtultitia eorum, qui felicitatem hominis ex jucundis perceptionibus ac potiſſimum ex iis, quæ ſenſum hilarant, æſtimant & ſtramineo huic, ne dicam ſtercoreo fundamento philoſophiam moralem ſuperſtruere volunt. Ceterum perpendendum quoque eſt, Deum rectius judicare, quæ nobis bona ſunt, quam nos dijudicare poſſumus (§. 413. *part. 3. Eth.*). Atque hoc prodeſt, ut in providentia divina lubentius acquieſcamus, ſi careamus iis, quæ ſenſum noſtrum hilarant, aut natura noſtra eorum uſum non ferat.

§. 275.

§. 275.

De influxu fiduciæ in Deo in temperantiam & diætam.

Qui Deo confidit, diætam, quantum in poteſtate ſua eſt, ſervat, omnem vero ſanitatis ac vitæ conſervandæ curam Deo relinquit. Qui enim Deo confidit, meliora ſperans ſe totum resque ſuas providentiæ divinæ committit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), ne tamen ea degeneret in nimiam de Deo confidentiam, lege naturali prohibitam (§. 1194. *part. 1. Jur. nat.*), uſum faculiatum ſuarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo minime ſeparat (§. 1193. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum diæta conſiſtat in uſu rerum ſex non naturalium ſanitati corporis conveniente (§. 418. *part. 1. Jur. nat.*), in quorum numero ſunt etiam cibus ac potus (*not.* §. 418. *part. 1. Jur. nat.*), eaque ſanitatis conſervandæ medium ſit (§. 417. *part. 1. Jur. nat.*); diætam ſervare omni animi contentione ſtudet. Enimvero quoniam ex ſupra demonſtratis abunde conſtat, uſum rerum ſex non naturalium non prorſus ſubjacere poteſtati noſtræ (§. 203. *& ſeqq.*), conſequenter conſervationem vitæ ac ſanitatis non in totum ſubjacere poteſtati noſtræ; non tamen propterea inani cura angitur, ſed eam omnem Deo relinquit certus, quomodocunque res cadat, eventurum eſſe id, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*).

Ea eſt conditio humana, ut nemo ſemper certus eſſe poſſit, utrum cibus vel potus, quo frui datur, ſibi ſit ſalubris, nec ne, ut res quoque ceteræ non naturales nunquam ſubducantur poteſtati ſuæ, ut certo prævidere poſſit, ſibi ſemper fore copiam eorum, quibus ad vitam & ſanitatem conſervandam indiget, nec evenire poſſe caſus utrique funeſtos. Quodſi ergo quis in hisce certitudinem anhelet, quam habere nequit, aut ſi ineat conſilia de caſibus funeſtis evitandis; multiplici cura angitur animus, qua tamen carere poterat

poterat ac debebat, ſi Deo confideret. Hanc igitur omnem tollit fiducia in Deo tranquillitatem animi conſervans & voluptatem ex bonitate Dei nobis ſapienter providentis perceptam ſuſtentans. Sicuti virtuoſus actiones legi naturæ conformes cum gaudio committit (§. 348. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ita etiam non ſine gaudio temperans temperanter vivit ac diætam omnem, quantum datur, ſervat. Curæ gaudium hoc arcent atque animum inquietum & anxium reddunt. Aſt ne hoc fiat, fiducia in Deo prohibet omne curarum onus a nobis in Deum devolvens & gaudium ex temperantia ortum augens. Videmus itaque, quam neceſſaria ſit fiducia in Deo ad temperantiam, ſiquidem ex ea ſperanda felicitas minime perturbanda.

§. 276.

Qui intemperanter vivit, injuriam in Deum committit. Etenim qui intemperanter vivit, nec in quantitate, nec in qualitate cibi ac potus ſanitatis unice rationem habet (§. 405. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque Deus nobis jus nullum conceſſit ad cibum ac potum, niſi quatenus eodem utimur ad vitam & ſanitatem conſervandum (§. 264.), neque jus ad guſtum cibo ac potu hilarandum, niſi quatenus id ſalva ſanitate fieri poteſt (§. 265.); intemperans ſibi arrogat jus in re, quæ Deo propria eſt (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), contra voluntatem ipſius, conſequenter jus Dei violat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuriam alteri faciat, qui jus ipſius violat (§. 859. *part. 1. Jur. nat*); qui intemperanter vivit injuriam in Deum committit. *Quod intemperantia injuria in Deum ſit.*

Injuria in Deum intemperantia committenda remedium intemperantiæ efficax eſt, modo ſatis agnoſcatur. Principia vero demonſtrandi loquuntur, quænam ante cognita & perſpecta eſſe debent, ut ſatis agnoſci poſſit. Diſtincta inprimis

ſupponitur notio dominii divini & juris ad cibum atque potum nobis competentis. Atque hinc porro intelligitur, cur pauci admodum ſint, qui de injuria intemperantia in Deum commiſſa cogitant, conſequenter turpidinem intrinſecam intemperantiæ intime perſpiciunt. Quoniam pietas in omnes actiones hominis influere poteſt (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*) ac debet (§. 1128. *part. 1. Jur. nat.*); in bonitate & turpitudine intrinſeca earundem æſtimanda habenda etiam ratio eſt officiorum erga Deum, ut homo quoque conſideretur tanquam creatura Dei & ejus ad Deum relatio. Abſit igitur, ut hoc referas ad pietatem affectatam, a qua animus noſter procul abeſt, cum non defendamus, niſi quæ ex notionibus rerum neceſſaria conſequentia deducuntur. Odium intemperantiæ auget conſideratio injuriæ in Deum eadem commiſſæ, ſi quis fuerit pius: pii autem omnes eſſe debemus (§. *cit.*), odium vero iſtud plurimum prodeſt iis, qui amore ſanitatis atque vitæ ad temperantiam adducuntur.

§. 277.

Motivum temperantiæ ab animantibus brutis deſumtum.

Imago temperantiæ, quæ conſpicitur in brutis, motivum eſſe debet homini temperanter vivendi. Videmus animantia bruta eundem ſemper capere cibum & potu aquæ contenta eſſe, quo vitam & ſanitatem conſervant; ideoque non appetere cibum ac potum ſibi inſalubrem (§. 395. *part. 1. Jur. nat.*). Conſtat etiam ea non nimia cibi ac potus quantitate opplere ventriculum, ſed fame ac ſiti ſedata ab eo deſiſtere. Quamobrem cum temperantia requirat, ut cibum ac potum ea quantitate capiamus, quæ conſervationi corporis ſufficit (§. 404. 405. *part. 1. Jur. nat.*); imaginem temperantiæ in animantibus brutis conſpicimus. *Quod erat unum.*

Enimvero tota rerum natura conſequenter etiam animantia bruta, quæ cum ratione (§. 762. *Pſych. rat.*) & voluntate

tate libera carent (§. 763. *Pſych. rat.*), ſolo naturæ inſtinctu agunt, voluntati divinæ conformiter agunt (§. 969. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum nonniſi cibo ac potu ipſis ſalubri ea quantitate utantur, quæ conſervationi ipſorum ſufficit, *per demonſtrata n. 1.* inde intelligitur, voluntati divinæ conforme eſſe, ut cibum ac potum nobis ſalubrem ea quantitate capiamus, qui corporis conſervationi ſufficit, ſicque eſſe cibum ac potum medium corpus noſtrum conſervandi. Quoniam igitur hinc diſcimus, quod temperanter ſit vivendum ex intentione divina (§. 404. 405. *part. 1. Jur. nat.*), exemplum brutorum ad temperantiam nos permovere poteſt. Enimvero uſus rerum naturalium omnes ſunt fines a Deo intenti (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*). Inter hos itaque referri etiam debet, ut exemplo brutorum permoveamur ad temperantiam. Quare cum Deo ſit obediendum (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque faciendum quod Deus vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); imago temperantiæ, quæ in animantibus brutis conſpicitur, *per demonſtrata n. 1.* motivum eſſe debet homini temperanter vivendi. *Quod erat alterum.*

Qui non vim demonſtrationis capiunt, ſed obiter ſaltem dicta expendunt, iis abſurdum videbitur motivum temperantiæ deſumi a brutis, cum pecudum more vulgo vivere dicantur, qui nimis intemperanter vivunt: multo autem abſurdius videbitur, quod contendamus, nos motivum temperantiæ ab animantibus brutis ſumere debere. Neceſſe igitur eſt, ut nebulas, quæ menti offunduntur, diſpellamus. Imaginem Juris naturæ quoad actiones hominibus cum brutis communes, in quarum numero quoque eſt actus capiendi cibum ac potum, in animalibus brutis conſpici, dudum monuit Imperator in Inſtitutionibus, & nos uberius expoſuimus in Horis ſubſecivis Marburgenſibus A. 1729. Trim. Ver. num. 2. Nimirum lex naturæ quoad iſtas actiones eadem eſt hominibus ac bru-

tis præſcripta, ut, quam bruta obſervant inſtinctu quodam naturali ex eſſentia atque natura corporis animalis explicabili, quemadmodum ex ſupra hinc inde annotatis colligitur, eam homines ſervare debent duce ratione, falſas opiniones corrigente, ne cupiditates pravæ adverſus inſtinctum naturalem prævaleant: id quod intimius perſpiciet, qui cognita & perſpecta habet de uſu genuino facultatum humanarum in parte prima & ſecunda Ethicæ demonſtrata. Bruta igitur nos docere poſſunt, quod legi naturæ communi convenit. Quorum voluntas bona eſt, iis propoſitum firmum eſt committendi actiones legi naturæ convenientes (§. 119. 121. *part. 2. Eth.*), cui vero voluntas ſeria eſt legem naturæ ſervandi, ei convenientia actionis cum lege naturali eſt motivum agendi (§. 372. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ipſis bruta inſinuare poſſunt motivum agendi ſic, non aliter. Sunt enim bruta animantia vox Dei viva, qua docemur, quomodo actiones noſtras cum ipſis communes determinare debeamus (*not.* §. 357. *part. 3. Eth.*). Abſurdum itaque non eſt quod affirmemus, nos motivum temperantiæ ab ipſis brutis deſumere debere. Quando homines vitiis indulgentes cum brutis comparantur, id vel ideo fit, quod ſepoſito rationis uſu agant, ac ſi ratione inſtar brutorum carerent, vel quod quædam actiones naturæ humanæ repugnantes ſimilitudinem quandam habent cum actionibus quorundam animalium, quæ naturæ ipſorum minime repugnant. Non inanem operam ſumeret, qui hoc argumentum ex inſtituto diſcuteret. Monſtravimus viam, qua ſit eundum. Non utendum eſt principiis, niſi quæ in operibus noſtris proſtant, nec alia opus eſt methodo, quam qua nos utimur in philoſophando. Provocant ſubinde homines ſcelerati ad brutorum actiones, ſed easdem naturæ ipſorum non convenienter explicant, propterea quod propoſitiones in diſciplinis rite determinare non didicerunt, ut ex ſumtis procedat demonſtratio, quemadmodum exemplo jam declaravimus in Horis ſubſecivis Marburgenſibus *loc. cit.* Huc etiam pertinet quod de educatione prolis

prolis annotavimus (*not. §. 260. part. 7. Jur. nat.*). Quodſi igitur lex naturæ communis propoſitionibus determinatis exhiberetur, ut differentia actionum communium ex natura brutorum diverſorum generum, vel ſpecierum pateret; erroris manifeſto redarguerentur, qui in actionibus brutorum ſcelerum patrocinium ſibi inveniſſe videntur. Quo intimius veritas perſpicitur, eo clarius eluceſcit veritatum omnium per diverſas diſciplinas diſperſarum concentus. Id vero expectandum non eſt, niſi noſtra methodo philoſophari adſuerint diſciplinas tradentes.

§. 278.

Quoniam imago temperantiæ in brutis conſpicitur, eaque hominibus motivum temperanter vivendi eſſe debet (§. 276.); *ſupinæ negligentiæ tribuenda eſt opinio pſeudophiloſophorum, qui cibum ac potum felicitatis humanæ medium eſſe ſtatuunt ob voluptatem ex ſapore percipiendam.*

De craſſo errore illorum, qui cibum ac potum felicitatis medium eſſe ſtatuunt.

Qui perverſam hanc opinionem amplectuntur, ab animantibus brutis refutantur: id quod ipſis parum honorificum, præſertim cum de acumine ſuo glorientur, quo ceteros mortales vincere ſibi videntur. Nullæ ſunt ipſorum rationes, quas a natura humana ad defendendum errorem petunt, quaſi animalia defectu acuminis non agnoſcant ea, quæ nos felices reddere poſſunt. Alias enim ſatis evictum eſt, felicitatem humanam in longe alia voluptate eſſe quærendam (§. 400. *part. 1. Phil. Pract. univ.*). Et ſi theoria Juris naturæ proſtaret, de qua modo diximus (*not. §. 277.*), evidenter pateret ratio, cur homo frui poſſit felicitate, qua bruta carent. Ratio nimirum huc tandem redit, quod actiones brutorum legi naturæ communi conformes ſint neceſſitatis, quæ in homine ſunt liberæ voluntatis. Sed hoc indicaſſe ſaltem ſufficiat. Oſtendimus vero etiam jam ante, quam contemnendam particulam ad felicitatem humanam conferre poſ-

ſit voluptas ex cibo ac potu percipienda (*not.* §. 260.), & quanta cautione opus ſit, ut eſſe poſſit (§. 261.). Perperam ſtupiditati brutorum tribuitur, quod ſapientiæ Numinis, naturæ autoris, tribuendum. Falluntur præterea opinionis non minus nocuæ, quam abſurdæ patroni, quando ſibi perſuadent, jucundum ſaporem cum cibo ac potu ideo conjunctum eſſe, ut ſenſum hilarent: ratio enim hæc petitur ab hypotheſi idearum arbitrariarum alibi dudum a nobis deſtructa (§. 191. *part.* 1. *Theol. nat.*).

§. 279.

Præcipua cauſa neglectus diætæ.

Plerique omnes diætæ curam non habent, quod ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt a prima ætate. Qui enim ad ſimilitudinem aliorum vivunt, ea faciunt, quæ vident facere alios. Utuntur cibo ac potu, quo uti vident alios, nec de rebus ceteris non naturalibus cogitant, ſed fortunæ poteſtati earum uſum committunt, quemadmodum vident hoc ab aliis fieri. Et quoniam ſic vivere adſueverunt a prima ætate, conſuetudo hæc inveterata in alteram naturam degeneravit. Cumque ſic agant ex determinatione præterita (§. 923. *Pſych. empir.*); quod appetere vel averſari conſueverunt, id oblata occaſione appetunt & averſantur, nulla ratione diſtincte expenſa, cur appetant vel averſentur. Quamobrem edunt cibum & potum hauriunt, quem capere conſueverunt, ea quantitate, quam guſtus ipſis commendat, de ſalubritate ejus parum ſolliciti, nec quoad res non naturales ceteras ſanitatis ullam rationem habent. Quoniam itaque diæta in uſu rerum ſex non naturalium ſanitati corporis conveniente conſiſtit (§. 418. *part.* 1. *Jur. nat.*); qui a prima ætate ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt, diætæ curam minime habent. Docet autem experientia plerosque homines a prima ætate, in capiendo cibo ac potu &

quoad

quoad res ceteras non naturales adſueſcere imitationi aliorum. Quamobrem patet, plerosque omnes diætæ curam non habere, propterea quod ad ſimilitudinem aliorum vivere a prima infantia conſueverunt.

Maximum hoc temperantiæ ac curæ diætæ habendæ impedimentum eſt, Quoniam ad ſimilitudinem aliorum vivere adſueſcunt homines, ideo quoque aliorum exemplo defendunt, quod in ipſis reprehenditur, vel quo ipſis interdicitur, & exemplum aliorum ſufficiens ratio eſt, cur hoc faciant, vel non faciant. Inde manat judicium de ſalubritate cibi vel potus, ſi ea ſuſpecta redditur, immo quantitatem quoque præſertim cibi aliorum exemplo determinant, quod idem de potu obſervarent, niſi ſe inebriari experirentur. Qui tamen incommoda ebrietatis non curant, eandem aliorum exemplo tuentur. Cumque vulgo diæta ad ſolum cibum & potum reſtringatur, & temperantia ultra quantitatem cibi & potus non extendatur; plerique omnes ſibi perſuadent ſe diætam obſervare, ſi a nimia cibi ac potus quantitate ſe ſibi cavere putent. Rationis itaque uſus prorſus ſeponitur, quaſi nullus ſit in cura ſanitati habenda rationi locus. Naſcitur hinc quoque nimia de Deo confidentia, quaſi citra uſum facultatum ſuarum ceterorumque mediorum ſanitatis cura in totum Deo ſit relinquenda (§. 1193. *part. 1. Jur. nat.*). Diæta igitur plerorumque hominum caſui accepta ferenda, eamque inſcii, vel inviti ſervant, ut, quod naturale eſt, virtuti non ſit tribuendum, conſequenter nec laudi cedat.

§. 280.

Qui diætæ curam non habet, propterea quod ad ſimilitudinem aliorum vivere conſuevit, perpendere debet, quantum bonum ſit ſanitas, quantum malum ſint morbi, quam facilis ſit error in diæta commiſſus, & quanto periculo ſe exponat. Qui enim perpendit, quantum bonum ſit ſanitas, quantum malum ſint morbi

Remedium neglectus diætæ communi.

(§. 251.

(§. 251. *& ſeqq.*); is nihil magis in votis habere poteſt, quam ut ſit ſanus, atque ab omni morbo maneat immunis (§. 891. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum temperanter vivere & diætam obſervare debeat, qui ſanitatem conſervare vult (§. 199.); voluntas quoque ad temperanter vivendum & diætam ſervandum determinatur. Quodſi ergo porro novit, quam difficile ſit de ſalubritate cibi ac potus & quantitate juſta judicium (§. 203.), & quam ſollicita requiratur obſervatio quoad res ceteras non naturales (§. 216. *& ſeqq.*); quanta cura ſit neceſſaria, ne in diæta aberres (§. 418. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quam facile in ea committatur error, agnoſcet. Enimvero ſi omnem curam abjicit, ſanitatem in totum fortunæ committit, contentus ſe non facere, niſi quod alios facere videt, cum certus eſſe nequeat, utrum ſanitatem ſit conſervaturus, an jacturam ejus culpa ſua facturus, ut in morbum incidat, quam evitare poterat, periculo morborum ſeſe exponit. Quodſi ergo vi demonſtratorum perpendit, quanto periculo ſe exponat, quando errrorem in diæta committit; quin errores iſtos averſetur fieri non poteſt (§. 907. *Pſych. empir.*). Agnoſcet igitur, quam abſurdum ſit, nullam diætæ habere curam, ſed vivere ad ſimilitudinem aliorum, ideoque agnita curæ hujus neceſſitate, exemplo aliorum minime contentus eam diætæ habebit.

Neglectus curæ, quæ diætæ habenda, non aliam cauſam agnoſcit, quam quod non perpendantur ea, quæ perpendenda urget propoſitio præſens. Quodſi ergo ſingula ſatis conſiderentur, cauſa neglectus tollitur, ideoque eidem medemur. Patet autem ex anterioribus, quam multa conſideranda ſint, ſi ſingula, quæ præcipiuntur, expendenda ſint: id quod bene notandum ad præſcindendas inanes objectiones contra efficaciam remedii a nobis præſcripti.

§. 281.

§. 281.

Qui ſibi perſuadent, morbos a Deo hominibus immitti per modum pœnarum poſitivarum, diætam parum curant. Qui enim ſibi perſuadent morbos a Deo hominibus immitti per modum pœnarum poſitivarum, cum pœnæ poſitivæ cum actionibus humanis connectantur voluntate libera legislatoris, non vero ex iisdem per ſe ſequantur (§. 307. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ex erroribus in diæta commiſſis ea neceſſario conſequi, ſeu eſſe eorundem effectum non agnoſcunt. Quamobrem quoque putant, ſanitatis ſuæ conſervationem nullo modo a ſe pendere, ſed unice ab abſoluta Dei voluntate, prouti finibus a ſe intentis convenire is judicaverit, ut hic homo nunc hoc, vel iſto morbo affligatur. Immo cum non agnoſcant, Deum homini providere per nexum rerum in hoc univerſo (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), ſapientia & bonitate ipſius conſtitutum (§. 741. *part. 1. Theol. nat.*); in eam opinionem delabuntur, quaſi Deus immediate efficiat, ut cibus ac potus nobis ſit ſalubris, aut inſalubris, & ne res ceteræ non naturales nobis noceant, vel non noceant. Quamobrem curam diætæ habendam ſupervacaneam eſſe arbitrantur, aut eam ſaltem ad vitationem exceſſus nimii in capiendo cibo atque potu reſtringunt, cujus effectus ſtatim manifeſtus eſt. Qui igitur ſibi perſuadent, morbos a Deo immitti per modum pœnarum poſitivarum, diætam parum curant.

De falſa hypotheſi oriundum pœnarum poſitivarum, diætam parum curant.

Quando dicitur, morbos a Deo immitti per modum pœnarum poſitivarum, non attendendus eſt finis, ob quem a Deo immittuntur, an ſcilicet, ut ægrotus puniatur ob peccata commiſſa, an vero ut ſaluti ipſius quomodocunque conſulatur. Pœnæ igitur notionem a morbo jam removemus, licet alias jam oſtenderimus, morbos vitio diætæ contractos, quamvis culpæ hominis ſint tribuendi, hoc tamen non obſtan-

te recte haberi pro pœnis divinis (§. 305. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In præsente propositione redarguitur error eorum, qui effectus causarum secundarum quasi arbitrarios faciunt, ut a Deo determinentur hominum causa, prouti visum ipsi fuerit pro datis circumstantiis. Errorem hunc multorum obsedisse mentem, experientia docet, et a multis tacite eundem foveri, ex factis ipsorum colligitur. Nec ignota sunt dogmata, quæ ex hoc errore fluunt, & quæ illorum defensores saltim tacite supponunt. Falsa ista opinio, sive expresse defendatur, sive tacite irrepat in mentem, omnem attentionem a diæta avertit, ut nulla cogitatio de ea mentem subeat, sicque omnis cura eidem habenda prorsus cesset, non obstante bona voluntate, quam quis habet.

§. 282.

Remedium adversus neglectum diætæ ex hypothesi falsa de origine morborum ortum.

Si quis diætam parum curat, quia sibi persuadet, morbos a Deo hominibus immitti per modum pœnarum positivarum; is non modo convincendus, ant ad veritatem usque persuadendus, Deum rebus in hoc universo providere per nexum rerum essentiæ ac naturæ suæ convenienter agentium, verum etiam a posteriori docendus, quod homines diætæ vitio incidant in morbos, qui servata diæta evitantur.

Qui enim sibi persuadent, morbos a Deo immitti hominibus per modum pœnarum positivarum, aut causas secundas prorsus removent, aut eas immediate ad agendum determinari existimant, aut denique effectus earum pro arbitrio Dei modificari opinantur. Falsa igitur ipsorum opinio nititur opinione falsa alia de providentia divina, nimirum quod non agnoscatur, Deum nobis providere per nexum rerum in hoc universo, & res in universo inter se connexas agere essentiæ suæ convenienter, consequenter non alios esse posse ipsarum effectus, quam quos producunt (§. 927. *part 1. Theol. nat.* & §. 511. *Cosmol.*). Quodsi ergo quis diætam

diætam parum curat, quia ſibi perſuadet morbos a Deo hominibus immitti per modum pœnarum poſitivarum, error iſte ipſi eximitur, ſi convincitur, aut ad veritatem usque perſuadetur, Deum rebus in hoc univerſo providere per nexum rerum eſſentiæ atque naturæ ſuæ convenienter agentium. Quoniam vero exempla nos convincunt eorum, quæ docentur (§. 269. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & cognitionem vivam faciunt (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*); falſæ opinioni, ne noceat diætæ, vis detrahenda eſt per exempla eorum, quos diætæ vitio in morbos incidiſſe in dubium vocari nequit.

Modum, quo Deus providet rebus in hoc univerſo, non omnes facile capiunt, quia multa tanquam certa præſupponuntur, antequam ejus convincamur. Quamobrem non adeo facile eſt, ut hoc impedimentum diætæ ſervandæ, de quo agit propoſitio præſens, tollatur. Maxima igitur fiducia collocanda eſt in exemplis manifeſtis, ut negari minime poſſit, morbos diætæ vitio ſuiſſe contractos, aut a morbis immunes extitiſſe, qui vitium in diæta non commiſerunt. Vide, quæ ſupra de Germanis antiquis annotavimus (*not.* §. 253.).

§. 283.

Si quis ſibi perſuadet, diætæ curam ſuperfluam eſſe, quia non de- De præjudi-
ſunt exemplа hominum longævorum, qui intemperanter vixerunt & cio adver-
indies ſeſe vino ingurgitarunt, cum ex adverſo alii, qui ſollicitam ſus tempe-
admodum diætæ curam habuerunt, in optimo ætatis flore vitam cum rantiam a
morte commutarint; is perpendere debet, quod ob corporis conſti- longævitate
tutionem ad majorem ætatem perveniſſent, nec tot morbis obnoxii intemperan-
fuiſſent, quibus ſubinde laborarunt, immo in ſenectute majorem cor- tium deri-
poris vigorem habuiſſent, niſi intemperantiæ ac ebrietati ſe devoviſſent, vato.
ex adverſo autem illi, qui temperanter vixerunt & præmatura morte

extincti fuerunt, ob conſtitutionem corporis minus firmam adhuc citius diem ſupremum obituri fuiſſent, aut pluribus morbis obnoxii facti, niſi temperanter vixiſſent. Conſiderandum præterea eſt, non ſubſiſtendum eſſe in cibo ac potu, ſed perpendendas quoque eſſe res ceteras non naturales, quæ per accidens ſanitati vel profuerunt, vel nocuerunt. Imprimis autem probe perpendendum, quod illi, qui ultra annum nonageſimum, vel centeſimum vitam protraxerunt, temperanter & absque curis animum inquietantibus vixerint, ac plerumque per omnem vitam morbo nullo laboraverint. Diverſas eſſe conſtitutiones corporum, ita ut unum idemque uni magis noceat, quam alteri, in vulgus notum eſt. Nec minus notum eſt dari morbos, ad quorum unum alius, ad alium vero alius ſuſcipiendum magis diſpoſitus, ita ut uni morbus ſit funeſtus, alius vero morbo ſaltem excrucietur. Similiter conſtat, magnam eſſe differentiam inter ſenectutem vegetam & placidam atque inter ſenectutem infeſtam & inertem, majorem vero adhuc deprehendi in varietate rerum non naturalium, quarum omnium ſimul habendam eſſe rationem in ſanitate tuenda ex ſuperioribus conſtat. Quodſi igitur ætatem, ad quam perveniunt temperanter & intemperanter viventes, inter ſe conferre volueris, neceſſe eſt, ut utrobique ſingula, de quibus modo diximus, eadem ſint: quod cum non facile fieri poſſit, quia nobis ſingula explorata non ſunt, judicium deproperatur, quando ex ætate intemperanter viventium infertur, ut diætæ cura habeatur ſupervacaneum eſſe. Quamobrem ne hac opinione nobis imponentes curam omnem abjiciamus, ea probe perpendenda ſunt, quæ in propoſitione præſente inculcantur. Quoniam vero fieri non poteſt, ut opinio præjudicata, qua quis intemperantiæ ſuæ patrocinatur, evidenter refutetur, quia omnia iſta,

quæ

quæ ad judicium firmum ferendum requiruntur vi eorum, quæ modo enumeravimus, minime cognita atque perſpecta ſunt; ideo conſultiſſimum eſt, ut attentionem omnem convertamus in eos, qui præ ceteris longævi dici merentur, & ex quorum vitæ genere & aliis, quæ ſubinde commemorantur, circumſtantiis, ſaltem probabiliter colliguntur, quæ vitam longam fecerunt.

Negari haud quaquam poteſt, dari exempla nonnullorum, qui omnem ætatem crapula conſumſerunt, nec a vaga libidine ſibi temperarunt, hoc tamen non obſtante fato non ante functos fuiſſe, quam ultra annos octoginta vivendo attigiſſent. Mihi ipſi nota ſunt exempla, ad quæ tamen ut provocemus opus non eſt, cum, quod ultro conceditur, id a nobis confirmari opus non ſit. Novimus vero etiam, qualis fuerit eorum ſenecta, quot tormentis eos excruciaverit podagra & quantum mens imminuta fuerit, ut vix dubitem fore haud paucos, qui iſtiusmodi vitæ mortem ſint prælaturi: id quod exemplo ſine omni exceptione confirmare poteramus, niſi exempla iſtiusmodi forent odioſa. Optandum vero foret, ut vita hominum longævorum, qui ultra annos nonaginta & centum vixerunt, accuratius deſcriberetur, nec tantum numerus annorum in novellis hodie ubivis locorum uſitatis indicaretur, quantum nimirum ſufficit ad conſtitutionem corporis & influxum rerum non naturalium in ſanitatem cognoſcendum. Iſtiusmodi enim biographiæ majorem in Philoſophia morali uſum haberent & humano generi magis prodeſſent, quam multorum eruditorum, aut perſonarum illuſtrium. Quoniam vero conſtat, homines plerumque eſſe plebejos, quibus ea felicitas contingit, ut tam inſolitam ætatem vivendo attingant; corporis conſtitutio, temperantia & animus curis vacuus maxima ſaltem probabilitate inde colligitur: id quod pro præſenti inſtituto ſufficere poteſt, ubi probabilius minus probabili præferendum.

Digitized by Google

§. 284.

De ſalutari temperantiæ effectu dubitante.

Si quis in dubitationem adducitur, utrum temperantia ad vitam longam faciat & morbos arceat, nec ne, quia opponuntur exempla intemperanter viventium, itidemque temperantiam colentium in contrarium; is perpendere debet tutius eſſe temperanter, quam intemperanter vivere. Temperantiam ſanitati non nocere, nec morborum cauſam eſſe, nemo non fateri cogitur, conſequenter pro certo habendum, temperanter viventem morborum ac mortis periculo ſe non exponere, propterea quod temperans eſt. Aſt ſi in medium afferantur exempla intemperantium, qui diu vixerunt, nec pluribus morbis obnoxii fuerunt quam alii ab intemperantia alieni, ſaltem non æque intemperantes, vel etiam exempla temperanter viventium, qui in flore ætatis extincti ſunt, ſaltem dubitatur, num temperantia vitam longam faciat & adverſus morbos præſidium eſſe poſſit. Temperanter igitur vivere omni periculo vacat; ab intemperantia autem in caſu dubitationis non abeſt metus mortis & morborum, conſequenter ſi dubitans intemperanter vivit, ſanitatem ac vitam aleæ committit. Cum vero ſanitas bonum longe maximum ſit (§. 251.), vitaque prorſus inæſtimabilis, cujus amor (§. 185.), ſicuti ex adverſo horror mortis homini naturalis (§. 186.); quamvis ex dubitationum fluctibus emergere nequit animus, tutius tamen eſt temperanter vivere, quia ſanitati ac vitæ non noces, quam intemperanter, ut ſit verendum, ne noceas. Quoniam itaque nemo non fatetur, in caſu dubio eligendum eſſe id, quod eſt tutius; ne dubitatio de vita temperantiæ ſtudio conſervanda & ſanitate tuenda animum a temperantia avertat, & in intemperantia retineat, probe perpendendum eſt tutius eſſe, ut vivamus temperanter, quam intemperanter.

Quod

Digitized by Google

Quod ſapientiæ ſit, in caſu dubio præferre quod eſt tutius, in confeſſo eſt apud omnes. Id igitur concedendum eſt maxime in rebus magni momenti & quando immunitas a periculo opponitur metui periculi. Quamobrem cum difficile ſit perſuadere plerisque omnibus, qui intemperantia delectantur, quantas ſanitati ac ipſi vitæ inſidias ſtruant; nil reſtat, quam ut admoneantur ejus, quod in caſu dubio faciendum eſſe ipſimet diffiteri nequeunt. Ubi enim certitudo deficit, ſtandum eſt probabilibus, & quando in hisce ex dubitationum fluctibus emergere non potes, illud utique eligendum, quod periculo omni vacat. Sed uberior discuſſio ad doctrinam de cauſis dubiis pertinet, de quibus agere in præſenti non eſt inſtituti noſtri. Quamvis vero quæ de electione partis tutioris in caſu dubio dicta ſunt rationi adeo conveniant, ut aſſenſum nemo facile iis denegaverit, in caſu tamen præſenti renititur voluptas, quæ intemperantiam ſuadet (§. 257.). Quamobrem ut difficultas, quæ faceſſit, tollatur, ea ſuo pretio æſtimanda, quatenus tranſitoria eſt (§. 260.), cum jam in dubio relinquatur, utrum ſit etiam nocua, nec ne, & oſtendendum, quomodo temperans cibo ac potu ita frui poſſit, ut animus voluptate infinities majore perfundatur, quam quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur (§. 270.).

§. 285.

Quoniam temperanter vivere tutius eſt, quam vivere intemperanter, etiamſi dubites, num temperantia ad vitam longam quidpiam conferat & adverſus morbos præſidium ſit (§. 284.), ſapientiæ autem eſt & rationi maxime conformare, ut in caſu dubio eligatur quod tutius (*not. §. cit.*); *qui lutari effectu de ſalutari effectu temperantiæ hæſitans intemperanter vivere mavult, quam temperanter*, cum de mediis vitam & ſanitatem conſervandi per præcipitantiam ſtatuat, *ſtultus eſt* (§. 458. *part. 1. Eth.*), *& id eligit, quod a ratione maxime alienum.*

De ſtultitia intemperantis, etiamſi hæſitet de ſalutari effectu temperantiæ.

Oſten-

Oſtendimus jam ſuperius intemperantem ſtultum eſſe & intemperantiam a ratione maxime alienam, quatenus intemperantia in ſe ſpectatur (§. 263.), hic vero idem evincitur in caſu particulari, quando quis de ſalutari effectu temperantiæ dubitat, ut appareat, dubitationem eum a ſtultitia & irrationabilitate non abſolvere. Neque eam imminuit voluptas intemperantiam ſuadens (§. 257.), ſi vel maxime in cenſum veniat. Etenim tum voluptas ex cibi ac potus ſapore percepta comparanda eſt cum ſanitate & vita. Quando igitur in dubio ſtatuendum, ſpes fruendi voluptate iſta conferenda eſt cum metu jacturam ſanitatis, aut vitæ ipſius faciendi. Notum vero eſt, ſpem emolumenti exigui cedere damno ingenti. Contrarium igitur qui facit, ſtultus eſt & irrationalis.

§. 286.

De eo, qui vitam voluptuoſam brevem præfert longæ, quæ voluptatibus corporis privatur.

Si quis vitam brevem, qua voluptatibus corporis indulgere datur, longæ iisdem carenti præfert, ideoque intemperanter, quam temperanter vivere mavult, ei repræſentanda ſunt morborum incommoda, idemque exemplis convincendus, quod morte inſtante aliter ſit ſenſurus, additis rationibus particularibus, quas cujusvis conditio ſuppeditat. Qui vitam brevem, qua voluptatibus corporis indulgere datur, longæ iisdem carenti præfert, felicitatem æſtimat ex perceptionibus jucundis, præſertim iis, quæ ſenſum hilarant, ideoque putat, melius eſſe, ut non diu vivamus, felices vero ſimus, quam ut vivamus diu ac felicitate careamus. Quodſi ergo quis hac opinione ad intemperantiam ſe ſeduci patitur, cum intemperantia plurimorum morborum cauſa ſit, omnia illa incommoda, quæ morbi hominibus conciliant, repræſentanda ſunt & cum voluptate ex ſapore cibi ac potus percepta pretio ſuo æſtimata (§. 260.) conferenda, ut quam nocua ſit voluptas iſta intelligatur (§. 283. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter agnoſcatur, eam

eam non esse tantam, ut tot tædiis atque molestiis, quæ inde consequuntur, eandem luere velimus. Demto igitur errore, quod voluptates corporis vitam faciunt beatam, nec intemperans vitam brevem ob voluptates corporis præferet longæ, qua iisdem carere cogitur. Quodsi igitur porro perpendat, quod de vitæ jactura aliter sentire solent homines, morte instante, quam quando vitam vili pendunt, quamdiu periculum morbis non metuitur; se judicium de vita voluptuosa brevi vitæ longæ, sed voluptatibus corporis carenti præferenda deproperare intelliget. Mente igitur mutata consultius judicabit vitare intemperantiam, ne sero nimis pœniteat. Et quoniam in emendando appetitu nihil omittendum, quod ad persuadendum contrarium prodesse potest, nec negligendæ sunt rationes particulares, quas cujusvis conditio suppeditat, veluti quod mors immatura detrimentum afferat liberis nondum educatis, præsertim cum constet, haud raro rationem quandam particularem a conditione personæ desumtam efficacius movere voluntatem, quam alias ex ipsa re petitas. Patet itaque, si quis intemperanter vivit, propterea quod putat vitam brevem voluptuosam præferendam esse longæ voluptatibus corporis vacuæ, ea ipsi repræsentanda esse, quæ in propositione urgentur, ut errore, quo mens imbuta est, agnito animum mutet.

Qui felicitatem hominis in voluptatibus corporis consistere arbitrantur, se mundo frui dicunt, si sensus cibo præsertim ac potu hilarant, quasi propterea in hoc mundo locum obtinuerint, ut mundo fruantur, suo nimirum sensu. Quamobrem non est quod miremur, si vitam parum curent, quæ voluptatum corporis expers, pretium eidem ex his decernentes. Hypothesi ergo ipsorum convenit, ut vita brevis,

qua voluptatibus corporis indulgere datur, præferatur vitæ longæ harum voluptatum experti. Aſt dum ita ſtatuunt, de morte minime cogitant, aut ſaltem quid ſibi mors velit minime perpendunt. Perverſa hæc opinio maxime convenit hypotheſi Materialiſtarum noſtri temporis, qui deſtructa corporis machina hominem in nihilum converti arbitrantur, ut non habeat, quod poſt mortem ſperet. Quemadmodum vero falſis opinionibus ſi non ſemper expreſſe, tacite tamen inſunt contradictiones, ita quoque ſententia de vita brevi intemperantis vitæ longæ temperantis præferenda illorum hypotheſi contradicit. Quodſi enim felices ſint, ſi voluptatibus corporis fruuntur ſenſum hilarantes, infelices vero, ſi iisdem carere coguntur; maxime conſentaneum opinioni erat omnem navare operam, ut voluptate iſta diu fruantur, conſequenter ut diu vivant. Nulla eſt exceptio accuſare naturam novercam, quaſi felicitatem homini invideat, cujus appetitum eidem indidit: delectationes enim ſenſuales eo vividius ſenſum efficiunt, quo rarior earundem uſus. Rariorem vero & moderatum uſum exigit temperantia, quæ vitam longam facit, ceteris rebus non naturalibus faventibus, quatenus earum uſus poteſtati noſtræ non ſubjacet, ut ideo temperantiam ac ſollicitam omnis diætæ obſervationem commendet ipſa illorum hypotheſis, modo in luce meridiana non exercitent, rationis uſu ſepoſito in ſenſuum uſu acquieſcentes. Quodſi vero mortis periculum imminet, mors nemini acerbior quam illis, qui ſeſe ideo vivere putant, ut ſenſus hilarent, præſertim ſi mortem omni felicitate, quam inhiat appetitus inſatiabiliter, ſe privare putant, qua frui poterant, ſiquidem diutius vivere ipſis contigiſſet. Non deſunt exempla horroris, quem mors incuſſit, pſeudophiloſophis iſtiusmodi, cum e vita eſſet migrandum, dum vix ad eam ætatem pervenerant, quæ florem ejus conſtituere unanimi conſenſu cenſetur. Abſit itaque ut exiſtimes, te in articulo mortis de brevitate vitæ tam benigne judicaturum, quemadmodum pronuncias, quamdiu mors tibi metuenda non videtur.

Digitized by Google

tur. Acerbitatem vero mortis utique haud parum auget, si quis sibi fuerit conscius, quod culpa sua mortem sibi accelleravit, & jam damnantem audias voluptatem, ob quam vitam brevem longæ præferendam esse contendebat. Tantum mutatus ab illo.

§. 287.

Qui decorum in edendo & bibendo observare vult ad omnes actiones animum attendere debet, quæ ad cibum ac potum capiendum, cibum masticandum, utrumque deglutiendum requiruntur, easque ita determinare, ut rationem convenientiæ a temperantia reddere possit. Quomodo decorum in capiendo cibo & potu observetur.

Qui enim ad omnes actiones animum attendit, quæ ad cibum ac potum capiendum, cibum masticandum & utrumque deglutiendum requiruntur, cum cibus atque potus in ventriculum sit ingerendus, quando edimus & bibimus, omnes actiones ministras, sine quibus edere ac bibere nequit, cognoscit (§. 427. *part. 1. Jur. nat.*). Quodsi ergo hasce actiones singulas ita determinet, ut ratio convenientiæ a temperantia reddi possit, omnes actiones ministræ in edendo ac bibendo temperantiæ convenienter determinantur. Quamobrem cum actiones ministræ decoræ sint, si temperantiæ conveniunt (§. 443. *part. 1. Jur. nat.*), aut indecoræ, quæ eidem disconveniunt (§. 444. *part. 1. Jur. nat.*); qui decorum in edendo & bibendo observare vult, ad actiones omnes animum attendere debet, quæ ad cibum ac potum capiendum, cibum masticandum & utrumque deglutiendum requiruntur.

Propositio præsens docet modum discernendi actiones decoras ab indecoris in edendo & bibendo, quales urget ipsa lex naturæ (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Agitur autem hic de decoro naturali, non arbitrario, quod moribus introductum: hoc enim certam normam non habet, quemadmodum

illud, quod rationem convenientiæ in ipſa virtute agnoſcit, ad quam actiones miniſtræ accedunt. Fieri equidem poteſt, ut decorum, quod moribus obſervatur, cum naturali conveniat; ſed tum pro naturali habendum, cui mores non contradicunt. Et profecto qui virtutem familiarem experitur, ei virtus ipſa, quamvis de eo non cogitet, actiones decoras naturaliter inſinuat, appetitu, qui moderatur actionem, quæ virtutis eſt, moderante quoque actiones miniſtras, niſi perverſa conſuetudine eas aliter determinare adſueveris, antequam virtutis habitum fueris conſecutus, aut niſi ex accidente influant cauſæ quædam eas modificantes, vel etiam culpa quædam accedat. Propoſitio præſens itaque docet, quomodo procedendum ſit, ſi decorum in edendo & bibendo obſervandum inveſtigare volueris, ut exactam ejus theoriam condas. Præſupponuntur autem hic, quæ de decoro & indecoro naturali in genere demonſtravimus (§. 427. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), & unde principium generale de decoro in edendo & bibendo obſervando deduximus (§. 441. *part. 1. Jur. nat.*). Poſtquam vero nobis innotuit, quænam actiones ſint decoræ, quænam indecoræ, propoſitio præſens hunc habet uſum, ut earum meminerimus, dum iisdem adſuefcere volumus, ne nobis parum conſciis irrepat contraria. Quando enim habitum acquiſivimus, actiones ſingulæ quaſi ſua ſponte componuntur ad normam decori, nec opus eſt, ut ſigillatim expendantur, quemadmodum obtinet in omni caſu, in quo ex habitu agimus. Dedimus jam exempla, cum principium generale de decoro in edendo & bibendo obſervando explicaremus (*not.* §. 441. *part. 1. Jur. nat.*), quæ videri poſſunt. Et quoniam ea ſatis oſtendunt, quomodo in ceteris ſit progrediendum; noſtrum quoque in præſenti eſſe non exiſtimamus theoriam completam decori naturalis in edendo & bibendo obſervandi condere, cum nobis potiſſimum propoſitum ſit docere, quænam virtutis ſint & ad ejus culturam faciant. Quamobrem ſaltem adhuc addimus propoſitionem ſequentem, ut manifeſtior evadat decori cum virtute concentus.

§. 288.

Digitized by Google

§. 288.

Quoniam decorum naturale in edendo & bibendo ob- *Idem ſpecia-*
ſervaturus actiones ſingulas ad edendum & bibendum requi- *lius expen-*
ſitas ita determinare debet, ut ratio convenientiæ a tem- *ditur.*
perantia reddi poſſit (§. 287.), temperans autem cibum ac potum juſta quantitate capit (§. 405. *part. 1. Jur. nat.*), quanta nimirum corpori conſervando ſufficit (§. 405. *part. 1. Jur. nat.*), non vero ſolius voluptatis percipiendæ cauſa (§. 412. *part. 1. Jur. nat.*); *ut indecorum in edendo & bibendo vitetur, decorum obſervetur, actiones ad bibendum & edendum requiſitæ tales eſſe debent, ut appetitum moderatum, non vero aviditatem ad cibum & potum; animum contentum & tranquillum, non vero oblectamentum inſatiabile indicent.*

Temperantia tanquam virtus habitus voluntatis eſt: actio igitur temperantis interna eſt & in appetitione cibi ac potus conſiſtit. Hæc recta eſt, ſi cibus & potus appetitur ſanitatis conſervandæ, non ſolius voluptatis percipiendæ cauſa, ideoque ſalubris juſta quantitate (§. 397. *part. 1. Jur. nat.*). Actiones autem miniſtræ ſunt externæ, quibus appetitioni ſatisfit, & quæ pertinent vel ad cibi ac potus ingeſtionem in os, vel ad cibi manducationem, vel denique ad deglutitionem. Hisce nimirum factis deſiderium animæ fuit expletum. Ut decorum ſpectetur in iisdem, neceſſe eſt ut ex iis colligi poſſit, edentem ac bibentem eſſe temperantem, ideoque ſunt inſtar ſignorum temperantiæ (§. 952. *Ontol.*). Sunt autem temperantiæ ſignum, ſi inde appareat, cibum ac potum non appeti ſolius voluptatis percipiendæ, ſed ſanitatis conſervandæ cauſa. Atque ideo indicare debent moderationem appetitus, quæ non fert aviditatem, & animum contentum atque tranquillum, cui repugnat oblectamentum inſatiabile. Nimia nimirum aviditas & oblectamentum inſatiabile voluptatis cupiditatem loquuntur. Actio recta requirit conſenſum exter-

næ cum interna. Quamobrem non ſufficit, ut in rectitudine quoad internam nihil deſideretur; ſed externa quoque eidem ex aſſe convenire debet. Quæ hic de temperantia dicuntur, facile applicantur ad virtutem aliam quamcunque, mutatis mutandis.

§. 289.

De vitando neglectu conſervationis integritatis organorum corporis.

Ne in cura conſervandi integritatem membrorum ſimus negligentes; perpendendus eſt uſus ſingulorum membrorum corporis. Quodſi enim perpendamus uſum ſingulorum membrorum corporis, cum eodem carere cogamur, ſi vel jacturam membri facimus, vel id ad eum uſum, quem habere debet, ineptum reddatur, quanti interſit, ut integritatem ſingulorum membrorum corporis conſervemus, inde patet, nec minus liquet, quantum damnum nobis detur & quam miſera ſit conditio noſtra, ſi ea non conſervetur. Quamobrem cum repræſentatio boni ſit motivum voluntatis, repræſentatio vero mali motivum noluntatis (§. 889. *Pſych. empir.*); ſi quis ſerio perpendit uſum ſingulorum membrorum corporis, ad curam conſervationi eorundem habendam impellitur. Ne igitur in ea conſervanda negligentem ſe præbeat, uſus membrorum ſingulorum corporis perpendendus eſt (§. 750. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Nemo hominum eſt, qui non membra ſingula corporis ad uſum ſuum apta habere malit, quam uſu iſto carere. Quodſi ergo animum ad eundem advertamus, fieri non poteſt, quin membrorum integritas nobis ſit cara, & uſus eandem nobis commendet. Quemadmodum vero contingit, ut, quamdiu ſanitate fruimur, nulla cogitatio de ea ſubeat mentem, nec quantum ea ſit bonum agnoſcatur, ita etiam de uſu membrorum corporis non cogitamus, quamdiu ea integra ſunt, ut iis uti poſſimus, ſicuti occaſio exigit. Ut igitur integri-

tas

tas membrorum corporis nobis non ſit cara, nec de ea conſervanda ſolliciti ſimus, conſequenter negligentia noſtra haud raro vel jacturam eorundem faciamus, vel ipſorum uſu privemur, cauſa alia non eſt, quam ut de uſu eorum non cogitemus, nec quantum bonum ſit ſingulorum integritas. Quamobrem patet, quam neceſſe ſit, ut uſum ſingulorum nobis cognitum atque perſpectum reddamus, & quoties aliquo membro utendum eſt, excitetur cogitatio de utilitate ejus, ſicque circumſpectus efficiatur ejus uſus.

§. 290.

Quoniam curam conſervandi integritatem membrorum corporis minime neglecturus perpendere debet uſum ſingulorum (§. 289.), perpendere autem eum nequit, niſi qui eundem cognoſcit, quod per ſe patet; *curam conſervandi integritatem membrorum corporis minime neglecturus, omnem dare debet operam, ut eum intime perſpiciat*, conſequenter *quoties membro aliquo utimur, ad uſum ejus animum attendere debemus, ſimulque perpendere, quod facta jactura membri, vel integritate ipſius quomodocunque læſa, eo carere cogamur &, quando videmus alios, qui vel jacturam alicujus membri fecerunt, aut id ad uſum ſuum minus aptum experiuntur, conſideremus, quam miſera ſit eorum conditio. Inprimis autem maxime conſultum eſt, ut expendamus ea, quæ ex carentia uſus pro ſtatu noſtro conſequuntur*, ut nimirum ejus neceſſitas & utilitas ex parte noſtra agnoſcatur, cum miſeria propria nos propius tangat, quam aliena. *Quomodo uſus membrorum corporis intime perſpiciatur.*

Uſus membrorum corporis omnium optime ac facillime cognoſcitur a poſteriori, quando ſcilicet vel nos iisdem actu utimur, vel alios iisdem uti videmus. Et quoniam intimius perſpicitur, quanti æſtimandus ſit ex eo, quod uſu iſto conſequimur, & quod obtinere non poteramus, ſi eodem deſtitueremur; huc quoque attendendus eſt animus. Ita nimirum

mirùm certam uſus cognitionem acquiremus, nec de ejus utilitate ulla ſupererit dubitatio (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Domeſtica experientia ad uſum membrorum corporis cognoſcendum maxime neceſſaria, quoniam is variat pro diverſa hominum conditione: quamobrem quoque conſultum eſt, ut, quando uſum in aliis deficere obſervamus, ſedulo inquiramus, qualis foret conditio noſtra, ſi nos eodem defectu laboraremus. Pertinet hoc ad cognitionem ſui, cujus non contemnenda pars eſt, & uſus membrorum corporis ſub diſpoſitionibus facultatis locomotivæ ſupra comprehendimus (§. 9.).

§. 291.

Quomodo cura integritati membrorum corporis habeatur.

Si quis integritatem membrorum corporis conſervare voluerit, caſus cognoſcere debet, in quibus damnum iisdem inferri poteſt, & in omni eorum uſu perpendere, quodnam damnum inferri poſſit. Quodſi enim cognoſcamus caſus, in quibus damnum quoddam membris corporis inferri poteſt, nobis exploratum eſt, quanam de cauſa jacturam membri facere poſſimus, vel id ad uſum ſuum ineptum efficiatur. Quodſi ergo in uſu ejus perpendamus, quodnam damnum eidem inferri poſſit, inde intelligimus, quomodo nobis cavere debeamus, ne in id incidamus, ſicque jacturam ejus, aut depravationem vitare ſtudeamus. Quamobrem cum integritas membrorum conſervetur, ſi præcaveatur, ne ea deſtruantur, aut depraventur; ſi quis eam conſervare voluerit, cognoſcere debet caſus, in quibus damnum inferri poteſt membris corporis, & in eorum uſu perpendere, quodnam damnum hic & nunc, pro datis nimirum circumſtantiis, inferri poſſit.

Pertinent huc vulnera, rupturæ, fracturæ, luxationes, quibus partes læſæ deſtruuntur ac depravantur, immo haud raro majora mala procreantur (§. 736. 737. *part. 4. Jur. nat.*).

nat.). Quoniam vero tam vulnera, quam ruptura, fractura & luxationes morbis accenſentur (§. 738. *part. 1. Jur. nat.*); quæ de morbis in ſuperioribus dicta ſunt, ad has quoque corporis læſiones applicanda. Huc vero etiam pertinet depravatio organorum ſenſoriorum per violentum eorum uſum, qualia ſunt oculorum vitia optica abuſu contracta, veluti ſi in luce crepuſculari legere ſolemus ſcripturam minutam, aut ad minima, oculorum aciem effugientia, ſpectandum viſum in nimium intendere conamur. Etenim non modo in organorum ſenſoriorum, verum etiam ceterorum valet iſtud pervulgatum, omne nimium, ſeu violentum naturæ inimicum eſſe. Ad uſum moralem ſufficit, ſi quod nimium eſt & cauſæ organa depravantes a poſteriori cognoſcantur, ut ideo ſeduli ſimus in obſervando, ex caſu alieno diſcentes quid ſit vitandum. Phyſici vero eſt ea tradere, quæ ad cognitionem a priori ſpectant. Cum tamen jam alias oſtenderimus, quantum valeat perpetuum rationis & experientiæ connubium; qui ultra vulgus ſapere poteſt, cui magis ſenſuum, quam rationis uſus conceſſus eſt, cognitionem a priori, modo certa haberi poſſit, cum cognitione a poſteriori recte copulat. Non ſpectatores otioſi eſſe debemus in hoc univerſo, ſed omnia, quæ obſervamus, ad nos applicare & in uſum noſtrum convertere tenemur. Ita demum perſonam hominis agimus, cui facultates non fruſtra datæ ſunt, ſed qui eas impendere debet in ſui conſervationem atque perfectionem, ut fruatur felicitate tam privativa, quam poſitiva, cujus particeps fieri poteſt. Abſit igitur, ut exiſtimes nos injungere homini nimiam in agendo ſcrupuloſitatem, quam ægre obſervare poſſit. Quamvis enim non diffiteor, id initio moleſtum accidere; moleſtiam tamen tollit conſuetudo, & attentio ad agendum afferenda nullum negotium affert adſuetis. Hæc ipſa vero attentio, quæ niſi præviis obſervationibus neceſſariis afferri nequit, non ſolum requiritur ad recte agendum; verum etiam eandem urget ipſa ſalus noſtra, cui maxime convenit, ut omnia damna, quæ corpori aut membris

ejus inferri & facultatem locomotivam quocunque modo imminuere poſſunt, ſedulo averſemur. Multo plura quoad rectitudinem actionum tam phyſice, quam moraliter ſpectatam ab homine præſtari poſſunt, quam vulgo putatur, modo vincamus moleſtiam, quam in habitu recte agendi acquirendo ſentimus. Vinceretur autem ea facillime, ut pro nulla habenda foret, ſi a teneris ungviculis ad recte agendum ab educatoribus adduceremur & conſuetudinem obſervandi & obſervationes ad nos relatas in uſum noſtrum convertendi contraheremus. Tum enim prorſus evaneſceret objectio, quod non ſuppetat otium ad talia perpendenda, nec tantam in agendo obſervari poſſe ſcrupuloſitatem, quæ actionem nimis retardaret. Imputamus homini culpam, ſi quis caſus funeſtus contingit, quam culpa quædam progreſſa eſt, admodum acuti in pervidendis nævis aliorum. Aſt culpa iſta evitari non poterat, niſi ea cura impenſa, quam in propoſitione præſente injungimus. Sed quamdiu nexus veritatum non perſpicitur, qui nonniſi in ſyſtemate veri nominis perſpici poteſt; non eſt quod miremur, adeo contradictoria eſſe hominum judicia diverſo tempore lata.

§. 292.

De ſtimulo naturali vitandi læſiones & depravationes membrorum corporis.

Dolor, qui in læſione membri percipitur, & ſenſus moleſtus, qui comitatur uſum organi alicujus violentum, vel nimium, ſtimulus naturalis eſt, ut illi medelam afferre ac in poſterum eandem cavere, hunc vero vitare ſtudeamus. Quando enim dolorem ex læſione membri alicujus percipimus, cum averſemur, quod nobis moleſtiam creat (§. 156. *part. 2. Eth.*), appetitus fertur in ſublationem ejus, quod dolorem creat (102. *part. 2. Eth.*). Quoniam itaque dolor iſte homini naturalis eſt (§. 511. *Coſmol.*); dolor, qui in læſione membri percipitur, ſtimulus naturalis eſt, ut ei medelam afferamus. *Quod erat primum.*

Enim-

Enimvero læſionem, quam experti ſumus, ob ipſum illum dolorem, quem nobis creavit, non poſſumus non pro mala habere (§. 4. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum eandem averſemur (§. 907. *Pſych. empir.*); dolor iſte ſtimulus naturæ eſt, quo nos ad læſionem iſtiusmodi in poſterum vitandam incitat. *Quod erat ſecundum.*

Quando denique ſenſus moleſtus comitatur uſum organi alicujus violentum, vel nimium, natura eundem nobis repræſentat tanquam malum (§. 4. *part. 2. Eth.*), ut eum averſemur (§. 907. *Pſych. empir.*). Enimvero ſi moleſtia movet facultatem averſandi, appetitus excitatur ad eam depellendam (§. 102. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum moleſtia depelli nequeat, niſi ceſſante uſu, tollendo nimirum effectum ſublata cauſa (§. 898. *Ontol.*); ſenſus, qui comitatur uſum organi, moleſtus ſtimulus naturalis eſt, ut hunc vitare ſtudeamus. *Quod erat tertium.*

Apparet etiam hinc, quantum natura ipſa provideat conſervationi integritati membrorum corporis, quam adeo providam eſſe vidimus in avertendis aliis, quæ nobis nocent, & commendandis iis, quæ proſunt. Huc etiam pertinet, quod eodem fine vi mechaniſmi corporis homines obſervent leges Staticæ, quas ignorant, veluti cum in inceſſu linea directionis retrahitur in pedem alterum, uno elevato & promoto, ut interea totum corporis pondus pedi firmiter inſiſtenti incumbat. Senſu moleſto, qui comitatur uſum violentum, aut nimium, natura nos admonet, eo eſſe abſtinendum. Conſilium igitur ipſius qui ſequitur, depravationem organi evitat, & alia incommoda, quæ inde ſequuntur. Quamvis adeo difficile ſit, ut beneficio rationis depravationem membrorum corporis vitemus; ipſa tamen natura defectum rationis ſupplet, atque vitationem facilitat, modo monenti aures præbere velimus. Late admodum patet inſtinctus naturæ, nec

inutilem operam ſumeret, qui eum in omni ſua latitudine explicaret. Spargimus hinc inde ſemina, quæ ut in alienis hortis efflorescant optamus.

§. 293.

De bonitate Dei ac uſu organorum corporis elucente.

Aptitudo membrorum corporis ad eos, quos habere poſſunt, uſus, & ipſe dolor ex læſione eorum percipiendus ac ſenſus moleſtus, qui comitatur uſum organorum violentum, vel nimium, beneficium divinum eſt, & Dei bonitatem inde agnoſcimus. Cum enim ratio, cur membra corporis ad eos, quos habere poſſunt, uſus apta ſint, in ſtructura eorum contineatur (§. 278. *Coſmol.*), integra autem ſerventur, quamdiu nihil in ſtructura eorundem vitiatur (§. 320. *part. 1. Jur. nat.*); organa ſingula tam ſenſoria, quam motoria ad ſuos uſus apta ſunt, quamdiu integra manent. Quamobrem cum perfectio corporis qua ſentientis & ſe moventis tamdiu ſubſiſtat, quamdiu conſervatur integritas organorum ſenſoriorum & motoriorum (§. 327. 334. *part. 1. Jur. nat.*); aptitudo membrorum corporis ad eos, quos habere poſſunt, uſus corpus noſtrum perfectum reddit. Enimvero cum Deo acceptum ferre teneamur, quod corpus noſtrum iſtiusmodi organis inſtructum ſit (§. 779. 777. *part. 1. Theol. nat.*), omnis vero actus, quo perfectio alterius gratis promovetur, beneficium ſit (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*); aptitudo membrorum corporis ad eos, quos habere poſſunt, uſus beneficium divinum eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam dolor ex læſione membrorum corporis percipiendus ſtimulus naturalis eſt ad illi medelam afferendam (§. 292.), cum aptitudine eorum ad ſuos, quos habere poſſunt, uſus perfectio corporis promoveatur, *per demonſtrata n. 1.* conſequenter eadem ſublata, vel ipſo organo deſtructo, cor-

corpus imperfectius reddatur; is nobis a Deo, naturæ autore (§. 822. *part. 1. Theol. nat.*), datus eſt ad præcavendam imperfectionem corporis. Quoniam itaque omnis actus, quo perfectio corporis noſtri ab alio gratis promovetur, beneficium eſt (§. 22. *part. 4. Jur. nat.*); ipſe dolor ex læſione membrorum corporis percipiendus, quatenus nimirum ſtimulus eſt ad medelam læſioni afferendam, pro beneficio divino habendus. *Quod erat ſecundum.*

Similiter quia ſenſus moleſtus, qui comitatur uſum violentum, vel nimium, ſtimulus eſt ad eum vitandum (§. 292), conſequenter cum motu violento, vel nimio depravetur organum, vel etiam morbus, aut mors ipſa inde ſequatur, pro diverſitate organorum, quemadmodum experientia docet, ut ante *n. 2.* patet, ſenſum iſtum pro beneficio divino eſſe habendum. *Quod erat tertium.*

Denique cum tam aptitudo membrorum corporis ad ſuos, quos habere poteſt, uſus, quam dolor, quatenus ſtimulus eſt ad medelam læſioni afferendam, quam ſenſus moleſtus, quo ſtimulamur ad uſum violentum & nimium nobis nocuum vitandum, beneficia Dei ſunt, *per demonſtrata n. 1. 2. & 3.* conſequenter bona a Deo nobis data (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*), bonitas vero Dei agnoſcatur ex bonis in nos etiam per naturam collatis (§. 42. *part. 3. Eth.*); bonitas quoque Dei inde agnoſcitur, quod membra corporis ſint apta ad eos uſus, quos habere poſſunt, quod dolor ex læſione eorum percipiatur, quod ſenſus moleſtus comitetur violentum, vel nimium organorum uſum. *Quod erat quartum.*

Illud facile conceditur, integritatem membrorum corporis eſſe beneficium divinum, nec difficulter admittitur, ſenſum moleſtum, qui comitatur motum violentum, aut nimium

nullam experimur, quamvis inde intelligamus eo ipso ea, quæ ipsis tribuuntur, nullo modo posse existere. Quamobrem, &c. Et sane quidquid hactenus haud per quid in medium quoque existere reiicere debui ac videre potui, ego, qui non eiusmodi hominem me esse agnosco, qui duo inania non dubito fieri posse ita positorum, ut hoc fortasse non reformidet, ille, qui ita est, ut ego sum, facere non formidet. Eiusmodi propositiones, quæ, si ex principiis fluerent, absurdæ essent, ego, quod nobis notum est, absurdas non putarem ad discutiendum real principia et summa fontes, quæ ea parte locorum (§ 273 part. I. Dial. sec.) latent, absque ea fi quidem nullum principium quod immediate evidenter, nec duo nobis hactenus data, quæ ad ea reducere possem, ut ea ex his demonstrem. Imo, quamvis videre nequeam, quomodo duo inania in pristino situ positorum præsumenda, adversarii non dubie putabunt eos, ad idem incommodum, ac ego, deprehendam necessum. Atque hac ratione confidam, si ea propositiones, quæ ex duobus inanibus fluunt, ipsi quid deprehendam (§ 277 part. I. Dial.). Nec nobis, quæ nobis placent, quæ ex eiusdem hominum sensibus confluxerunt, & in quorum tutore eam latuisse nonnemo, quorum nobis ego nonnullos, nobis habuerit pro principiis, quæ ipsis tribuuntur, nullo modo posse existere. Quamobrem, &c. Et sane quidquid hactenus haud per quid in medium quoque existere reiicere debui ac videre potui, ego, qui non eiusmodi hominem me esse agnosco, qui duo inania non dubito fieri posse ita positorum, ut hoc fortasse non reformidet, ille, qui ita est, ut ego sum, facere non formidet. Eiusmodi propositiones, quæ, si ex principiis fluerent, absurdæ essent, ego, quod nobis notum est, absurdas non putarem ad discutiendum real principia et summa fontes, quæ ea parte locorum (§ 273 part. I. Dial. sec.) latent, absque ea fi quidem nullum principium quod immediate evidenter, nec duo nobis hactenus data, quæ ad ea reducere possem, ut ea ex his demonstrem. Imo, quamvis videre nequeam, quomodo duo inania in pristino situ positorum præsumenda, adversarii non dubie putabunt eos, ad idem incommodum, ac ego, deprehendam necessum. Atque hac ratione confidam, si ea propositiones, quæ ex duobus inanibus fluunt, ipsi quid deprehendam (§ 277 part. I. Dial.). Nec nobis, quæ nobis placent, quæ ex eiusdem hominum sensibus confluxerunt, & in quorum tutore eam latuisse nonnemo, quorum nobis ego nonnullos, nobis habuerit pro principiis, quæ ipsis tribuuntur, nullo modo posse existere. Quamobrem, &c.

§. 294.

Quoniam aptitudo membrorum corporis ad ſuos, quos habere poſſunt, uſus beneficium divinum eſt (§. 293.), beneficiarius vero obligatur benefactori ad gratias agendas (§. 45. *part. 4. Jur. nat.*); *homo* quoque *Deo gratias agere debet, quod membra integra ipſi dederit & providentia ſua conſervaverit.*

De gratiis pro integritate membrorum Deo agendis.

Ingens admodum Dei beneficium eſt, quod membra integra habeamus: quod ut agnoſcatur, utilitas ex eorum uſu percipienda probe conſideranda eſt eo, quem paulo ante indicavimus, modo (§. 290.). Si quis magnitudinem hujus beneficii penitius perſpicit, bonitatis Dei victus, quin Deum benefactorem ſuum celebret, eidemque gratias agat, fieri non poteſt. Aſt referendum hoc beneficium eſt in numerum eorum, quæ vulgo non agnoſcuntur, tum quod longe plurimi Deum datorem omnis boni minime agnoſcant, cui tribuendum, quicquid boni vel natura habemus, vel ſtudio ac labore noſtro, aut quocunque modo alio acquiſivimus (§. 42. *part. 3. Eth.*), tum quod Deum nobis per nexum rerum providere ignorent, aut prorſus negent, ut ideo mala, conſequenter læſiones membrorum, quæ vi nexus rerum avertuntur, a Deo averſas non agnoſcant (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), quod denique in bona ſua non ſatis inquirant, ideoque iisdem non accenſeant, quæ maxime accenſenda fuerant. Pertinet utique ad notitiam ſui, ut bona noſtra norimus, nec ignoremus, cuinam ea accepta ferre debemus, ne gratitudo erga Deum deficiat, cui nos totos & res noſtras omnes debemus. Ceterum hæc gratiarum actio non modo convenit precibus matutinis & veſpertinis, verum etiam locum habet in omni membrorum corporis uſu per totum diem continuo, & excitatur mens ad eandem, ſi attentionem convertimus in utilitatem præſentem, quam uſus membrorum corporis nobis præſtat, & qua careremus, ſi uſus iſte nobis conceſſus non fuiſſet. Neque enim gratiarum actio multas verbo-

verborum ambages exigit, ſed paucis abſolvi poteſt, immo ubi adſuetus fueris pro beneficiis Deo gratias agere, ac in ſpecie pro data & conſervata membrorum integritate, ſolo motu cordis, ut dicitur, ſeu appetitus ſenſitivi abſolvitur, qui ſi in notionem diſtinctam reſolvitur gratiarum actionem verbis expreſſam prodit. Sed hoc pertinet ad ea, quæ unumquemqne in ſe experiri præſtat.

§. 295.

Motivum membris corporis recte utendi.

Similiter quia aptitudo membrorum corporis ad ſuos, quos habere poſſunt, uſus eſt beneficium divinum (§. 294.), ſi vero beneficium divinum nobis præſtitum agnoſcamus, gratitudo concitatur (§. 377. *part. 2. Eth.*), quæ rendit ad bonum bono referendum (§. 381. *part. 2. Eth.*); cum homo non habeat, quod Deo reddere poſſit, niſi voluntatem ſuam (§. 179. *part. 3. Eth.*), quam Deo dat, ſi eidem obedit (§. *cit.*), *quando agnoſcimus, aptitudinem membrorum corporis ad ſuos, quos habere poſſunt, uſus eſſe beneficium divinum, hac ipſa conſideratione compellimur, ut membris voluntati divinæ conformiter utamur*, nimirum *ad explenda officia lege naturali nobis præſcripta* (§. 225. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *abuſum vero*, qui in actionibus contrariis conſiſtit, *vitemus.*

Rectus membrorum uſus non eſt, niſi qui impenditur in actiones legi naturæ, conſequenter voluntati divinæ conformes, propter quas Deus autor naturæ nobis ea dedit & providentia ſua conſervat. Indignum beneficio ſe reddit, qui aliter utitur, quam eo fine, in quem ipſi datum eſt. Nemo bonus eſt, qui non reprehendat beneficiorum abuſum eodemque indignum judicet, qui abutitur. Quamobrem quoque indignus eſt integritate membrorum, qui iisdem abutitur, vel non utitur, quemadmodum vult Deus. Quodſi hæc perpenderent homines, puderet eos membrorum ſuorum abuſus, nec

tam

Digitized by Google

tam negligentes in uſu membrorum ſe præbèrent, quemadmodum indies obſervamus. Quoniam vero uſus membrorum rectus eſt, qui impenditur in actiones legi naturæ convenientes, in abuſum vero abit, quando ad actiones legi naturæ contrarias adhibetur; in peccatis quoque, quæ ſunt actiones legi naturæ contrariæ (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſiderandus eſt abuſus membrorum, ut ex indignitate beneficii & cum ea conjuncta ingratitudine, aut ſaltem deficiente grato animo, penitius agnoſcatur turpitudo peccati.

§. 296.

Si membris corporis voluntati divinæ convenienter uti velimus, perpendendum nobis eſt, quod non ſimus domini, ſed ſaltem uſuarii organorum corporis. Quoniam nimirum Deus eſt dominus corporis noſtri (§. 379. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ſingulorum organorum, ex quibus corpus componitur, nullus vero hominum dominium in corpus ſuum, vel ullum ejus organum habet (§. 374. *part. 1. Jur. nat.*), qui vero dominium habet, ei competit jus de re pro arbitrio ſuo diſponendi (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*); de uſu quoque membrorum corporis non noſtrum eſt ſtatuere, ſed Dei. Quia igitur ſaltem uſuarii ſumus organorum corporis (§. 378. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non aliud nobis jus competit, quam iisdem utendi (§. 377. *part. 1. Jur. nat.*); iis aliter uti non licet, quam Deus voluerit. Quamobrem ſi perpendamus, nos non eſſe dominos, ſed ſaltem uſuarios membrorum corporis, certi ſumus, nobis non aliter membris corporis uti debere, quam quomodo Deus voluerit. Quodſi ergo membris corporis voluntati divinæ convenienter uti velimus, perpendendum nobis eſt, quod non ſimus dominı, ſed ſaltem uſuarii membrorum corporis. *Motivum organis corporis recte utendi.*

Omne jus uſuarii metiendum eſt ex voluntate domini, qui id conceſſit (§. 1520. *part. 5. Jur. nat.*). Domini eſt determinare, qualis eſſe debeat uſus, nec ultra eum, quem tibi concedit, alium arrogare potes, niſi in jus domini involare velis. Contra jus domini eſt omnis uſus voluntati domini contrarius, ideoque ſine injuria in dominum fieri nequit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hinc patet turpitudo abuſus organorum corporis, ſi quis nimirum iisdem aliter utitur, quam Deus voluerit. Per ſe patet, turpitudinem hanc non cognoſci niſi ab eo, qui Deum exiſtere non dubitat, & qui jus in creaturas ipſi competens non ignorat. Aſt ad praxin moralem requiri agnitionem Dei & juris quoque divini in creaturas, in anterioribus jam demonſtravimus. Immo ſupra evicimus, ſine agnitione Dei mancam eſſe notitiam ſui (§. 31.), quam in praxi morali maximum momentum habere nemo negare auſit, niſi qui nondum didicit, quid ſit notitia ſui.

§. 297.

Signum curæ integritatis membrorum.

Qui integritatem membrorum corporis curæ habet, ab omni violento & nimio uſu abſtinet, omne periculum læſionis evitat &, ubi tale metuendum, circumſpectum ac providum ſe gerit, & contra. Qui enim integritatem membrorum curæ habet, ſibi cavet, ne ullo modo lædantur, aut ne prorſus alicujus jacturam faciat, quantum in ſe eſt. Quamobrem cum conſtet violento & nimio uſu ea depravari; a violento & nimio uſu abſtinet. *Quod erat primum.*

Qui ſibi cavet, ne ullo modo lædantur organa corporis, ubi novit periculum quoddam imminere, quin eidem ſe committat fieri nequit, metu mali eventu poſſibilis conſideratione concitato (§. 393. *part. 2. Etb.*) ad idem avertendum tendente (§. 396. *part. 2. Etb.*). Quoniam itaque qui membrorum

brorum corporis integritatem curæ habet, ſibi cavet, ne ullo modo lædantur; periculum quoque læſionis vitat. *Quod erat ſecundum.*

Denique quando periculum læſionis imminet, quod vitari non poteſt, cum ſollicitus ſit, ne damnum quoddam organis corporis inferatur, ad ea diligenter animum attendit, quæ periculum creant, & perpendit, quale damnum pati poſſit, & quomodo ſibi caveat, ne patiatur. Quamobrem cum providus ſit, qui ad malum in dato caſu eventu poſſibile, quod prævidere poteſt, animum attendit (§. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & circumſpectus, qui ad ſingula attendit, quæ obſervanda ſunt, ne quid a ſe omittatur, quod facere poterat atque debebat, conſequenter ne qua negligentia ipſi imputari poſſit (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui membrorum corporis integritatem curæ habet, ubi læſionis periculum metuendum, providum ac circumſpectum ſe gerit. *Quod erat tertium.*

Contra qui a violento & nimio membrorum corporis uſu abſtinet, cum eum ſibi noxium agnoſcat (§. 892. *Pſych. empir.*), neceſſe eſt ut agnoſcat eodem illa lædi. Hanc igitur læſionem vitare ſtudet. Quamobrem cum animum ejus teneat ſollicitudo, ne membra corporis lædantur, in hac ſollicitudine autem cura conſiſtat; qui a violento & nimio membrorum corporis uſu abſtinet, integritatem membrorum corporis curæ habet. *Quod erat primum.*

Similiter qui periculum læſionis membrorum corporis vitat, cum per ſe pateat, quod id faciat eo animo, ne ea lædantur, ejus animum omnino tenet ſollicitudo, ne vel jacturam alicujus membri faciat, vel id depravetur, ſeu ad

uſum ſuum ineptum reddatur. Qoniam itaque in hac ſollicitudine cura conſiſtit; qui periculum læſionis membrorum corporis vitat, integritatem eorum curæ habet. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi quis providum & circumſpectum ſe gerit, quando periculum metuendum, quod tamen ſubire tenetur, cum providus animum attendat ad malum, quod eventu poſſibile prævidet (§. 764. *part. 1. Phil. pract. univ.*), circumſpectus autem ſingula obſervat, quæ facienda ſunt, ne quid eorum a ſe omittatur, conſequenter ne negligentiæ reus fiat (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quin is ſit ſollicitus, ne membra corporis lædantur, dubitandum non eſt. Quamobrem cum in hac ſollicitudine cura conſiſtat; qui, ubi periculum læſionis membrorum corporis metuendum, quod tamen ſubeundum, providum & circumſpectum ſe gerit, integritatem membrorum corporis curæ habet. *Quod erat tertium.*

Habemus itaque ſigna curæ integritatis membrorum corporis. Integritatem membrorum corporis amant omnes: nemo enim mortalium eſt, qui non malit omnia membra corporis habere ad eos uſus apta, quos habere poſſunt, quam inepta, aut iis prorſus carere, ſit ita quod per communem oſcitantiam de eo non cogitent. Accidit idem in aliis. Ecquis enim eſt, qui non malit bona valetudine frui quam iniqua conflictari, quamvis de ſanitate non cogitet, quamdiu bene valet. Pauci tamen ſunt, qui integritatem membrorum curæ habent, ſicuti nec curæ habent ſanitatem, ſed caſui omnia committunt. Peccatur hic plerumque culpa (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*), inprimis ignorantia, quod non novimus, quod hoc, vel iſto modo membrum aliquod lædi poſſit, aut periculum quoddam læſionis adſit (§. 27. *part. 1. Phil. pract. univ.*), incogitantia, quod non ſatis attendamus ad

Ita Cicero, (pro Sext. 120 sect. 1 Phil. 2118 sect.) corpus, quemadmodum, quod dixerim, quod recens publicis pacibus concessum, non confidentius (p. 754 sect.) Phil. 2118 sect. Cicero, (pro Sext. 120 sect. 1 Phil. 2118 sect.) quam fuerat defendatur (p. 1150 sect.) Phil. 2118 sect. Qui ergo cura laborat vili insuper tuitus membrorum corporis, non solum corpus vili desuescit fore idem. Quomodo enim si eorum libro corpus vitam finire, cum omnes ordinem, (p. 1150 sect.) Phil. 2118 sect. Cicero, (pro Sext. 120 sect. 1 Phil. 2118 sect.) quod quod, ut habent, vili sunt, quamvis de cura corporis quemadmodum, ut pro Sextio accusator (p. 1150 sect.) Phil. 2118 sect. Cicero, (pro Sext. 120 sect. 1 Phil. 2118 sect.) magistratu sit. Nisi vel ignominiæ remittuntur, non ut ipsi, quod ipsi, ut habent, vili sunt, quamvis de cura corporis quemadmodum legationem. Ubi dicit, quod ne culpa videatur in cura corporis quemadmodum (p. 649 sect.) Phil. 2118 sect. Cicero, (pro Sext. 120 sect. 1 Phil. 2118 sect.) quod ut ipsi, ut habent, vili sunt, quamvis de

externis, & viciſſim externi etiam internis; qui tamen ea obſervaverit, quæ ſupra de ſanitate tuenda præcepimus & hic de integritate membrorum corporis conſervanda inculcantur; is ſibi proſpiciet, quantum datur, ne in explendo officio ſe conſervandi ſibi defuiſſe redargui poſſit.

§. 298.

Cura veſtimentorum ad quamnam pertineat.

Cura veſtimentorum pertinet ad curam cõrporis. Etenim veſtimentis corpus adverſus injurias tempeſtatis munire debemus (§. 445. *part. 1. Jur. nat.*). Conſiſtunt autem tempeſtates in ſtatu aëris variabili quoad qualitates & meteora, præſertim præter ventum aquea, quales ſunt pluvia, nix, ros, pruina. Quamobrem cum non omnis aëris ſtatus ſanitati conducat (§. 217.), cura autem corporis ſanitatis conſervationem potiſſimum reſpiciat; cura veſtimentorum pertinet ad curam corporis.

Si ipſa natura corpus noſtrum defenderet adverſus injurias tempeſtatum, veſtimentis carere poteramus. Quod igitur natura nobis negavit, id ars ſupplere debet. Sicuti ergo cibus ac potus inſerviunt corporis ſanitati conſervandæ, ita quoque veſtimenta deſtinantur defenſioni corporis adverſus tempeſtatum injurias, ne periculum inde immineat ſanitati. Quare quemadmodum in capiendo cibo & potu ſanitatis habenda eſt potiſſimum ratio, ut ea tanquam finis principalis intendatur, nec admittatur finis quidam alius, niſi cum illo ſimul obtineri poſſit; ita quoque veſtimentorum uſus primario ſanitatem tanquam finem reſpicit, nec finis quidam alius probatur, niſi quatenus cum illo una obtinetur. Utrobique neceſſitatis eſt, ut ſanitatis conſervatio intendatur; ſi qua præterea intenduntur, ea ſaltem licita & magis arbitrii ſunt.

§. 299.

§. 299.

Qui veſtimentorum cura perfungi vult, conſiderare tenetur, num ſint aptæ ad corpus contra injurias tempeſtatum tuendum, & ad partes obſcœnas velandum, ac præterea commodæ agenti ad id, quod iis indutus agere debet. Homo enim veſtimentis corpus munire debet adverſus injurias tempeſtatum (§. 445. *part. 1. Jur. nat.*), iisque partes corporis obſcœnas velare (§. 448. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum obligatio naturalis ſit neceſſaria & immutabilis (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); officio noſtro ſatisfacturi uti debemus veſtibus aptis ad corpus contra injurias tempeſtatum tuendum & obſcœnas corporis partes velandum. Et quoniam veſtes quoque commodæ eſſe debent agenti ad id, quod iis indutus agere tenetur; ad hanc quoque commoditatem animum attendere debemus. Quodſi ergo cura veſtimentorum perfungi volumus, conſiderare tenemur, num ſint aptæ ad corpus contra injurias tempeſtatum tuendum & ad partes obſcœnas velandum, ac præterea commodæ agenti ad id, quod iis indutus agere debet.

De cura veſtimentorum.

Cum cura veſtimentorum ſit pars curæ corporis, ideo hic ſaltem docemus, quænam de iis obſervanda, quatenus corporis curam nobis injungit lex naturæ. Notum eſt, in Jure naturæ diſtingvi debitum a licito (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Illud tantæ neceſſitatis eſt, ut, ſi contrarium facias, pecces (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*): in hoc magis regnat arbitrium humanum, quamvis hic quoque nil fieri debeat ſine ratione ſufficiente, ac inprimis cavendum ſit, ne ex accidente quicquam committatur, quod quodammodo contra officium quoddam eſt, conſequenter ne veſtimentorum uſus vitii cujusdam labe inficiatur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In præſenti itaque non aliud quæritur, quam quidnam circa uſum veſtimentorum in ſe ſpectatorum ſit debitum, & per conſequens quales eſſe debeant veſtes, ut cura corporis rite per-

perfungamur. Corpus conſervare debemus, ideoque ad hunc finem dirigere quoque tenemur uſum veſtimentorum. Quamobrem qui quamcunque ob rationem veſtibus corpus adverſus injurias tempeſtatum ſufficienter non munit, ſed alias ad hunc finem conſequendum parum aptas præfert; is non modo facit, quod rationi adverſatur, verum etiam peccat. Nocet ſanitati, aut ſaltem periculo eidem nocendi ſeſe exponit. Non eſt quod objicias exemplum hominum, qui nudi incedunt: in illis enim regionibus, quas incolunt, non eam experiuntur aëris inclementiam, quæ ſanitati inſidias ſtruit. Conſpectus membrorum obſcœnorum corporis irritamentum libidinis eſt (§. 447. *part. 1. Jur. nat.*). Nemo eſt qui neſciat, quam proni ſint plerique homines in libidinem. Tanto major itaque eſſe debet ſollicitudo, ne irritamentis libidinis concedatur locus. Quamvis vero gentes barbaræ actibus proluſoriis accendere non ſoleant libidinem, quemadmodum apud moratiores uſu venit, quæ in voluptatibus corporis intendendis ratione abutuntur, quemadmodum etiam in aliis vitiis contingit, ideoque partibus obſcœnis non accenſent, quæ nos iisdem annumeramus; non tamen in eo ſtandum eſt ipſarum moribus, ſed potius noſtris. Vide, quæ jam alias monuimus (*not.* §. 447. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi veſtes fuerint parum commodæ, non ſolum in agendo nobis creant moleſtiam, quam evitare poteramus, ideoque etiam debebamus (§. 451. *part. 1. Jur. nat.*); ſed & haud raro actiones culpoſas efficiunt, quas vitare obligamur (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*). Cum culpæ vitatio non adeo facilis ſit, id quod nemo negaverit, qui ad ea, quæ culpa fiunt, indies animum advertit; abſurdum quoque eſt nulla urgente neceſſitate vitationem culpæ per ſe difficilem reddere adhuc difficiliorem. Ex propoſitione præſente itaque dijudicanda eſt moralitas uſus veſtimentorum in ſe ſpectatorum. Pendet ea potiſſimum ab obligatione conſervandi ſanitatem. Atque hinc intelligitur, quanti ſit momenti, & per conſequens mores eſſe peſſimos, quibus quidpiam in contrarium introductum.

ductum. Ipſa autem hæc moralitas nos impellere debet ad curam veſtimentorum ſtricte obſervandum.

§. 300.

De tollendo impedimento curæ veſtimentorum.

Qui putant, veſtimentorum uſum in ſe prorſus indifferentem eſſe, contrarii convincendi ſunt ex Jure naturæ. Etenim qui putant veſtimentorum uſum in ſe indifferentem eſſe, ita ut perinde ſit, quales ſint veſtes, illi vel ignorant, qualis eſſe debeat veſtimentorum uſus, aut eum in dubium vocant. Quamobrem cum in Jure naturæ demonſtretur, uſum veſtimentorum, qui intendi debet, hunc habere finem, ut corpus contra injurias aëris defendatur, & per conſequens ſanitas conſervetur (§. 446. *part. 1. Jur. nat.*), partes obſcœnæ velentur (§. 449. *part. 1. Jur. nat.*), & quod præterea commodæ eſſe debeant agenti ad id, quod veſtibus indutus agere tenetur (§. 452. *part. 1. Jur. nat.*); veritatum harum convincendus eſt, ut ab ignorantia & dubitatione liberetur. Agnita nimirum obligatione, quæ a lege naturali venit, & immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non amplius indifferens ipſi videbitur, utrum veſte hujusmodi, vel alia utatur.

Equidem ipſa inclementia aëris hominibus perſuadet, ut cogitent de veſtibus, quibus corpus adverſus injurias tempeſtatum defendant; non tamen hoc ſufficit in Moralibus, nec hoc modo tollitur opinio de indifferentiſmo veſtimentorum. In Moralibus nimirum omnia facere debemus cum ſenſu officii & animo obediendi Deo. Quamobrem neceſſe eſt, ut agnoſcamus nos ad hoc faciendum lege naturali eſſe obligatos (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & Deum velle, ut faciamus (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*), & actio recta, qualis eſſe debet omnis actio humana (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), requirit motivum ab intrinſeca actionum bonitate deſumtum

(§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Phyſica vero neceſſitas, qua quis adducitur ad uſum veſtium aptarum ad tuendum corpus adverſus injurias aëris, veſtes iſtiusmodi ſaltem ſuadet tanquam medium evitandi moleſtias, quas creat inclementia aëris, & quas num ferre velimus, an nolimus, arbitrii noſtri eſſe exiſtimat. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas, ad moralitatem ut animus advertatur neceſſe non eſſe. Conſultum eſt, ut ea nobis in memoriam revocemus, quæ de puritate animi demonſtrata ſunt (§. 599. *& ſeqq. part. 2. Eth.*). Neque exiſtimandum eſt, quaſi quoad animum perinde ſit, ſive hujusmodi veſte utaris ſola neceſſitate phyſica permotus, ſive attenta moralitate. Diverſitas ſtatus animæ dependet a motivis, quæ non ſaltem expreſſe, ſed etiam tacite influunt in actionem: quo etiam referendus eſt influxus officiorum erga Deum, qui quantum variet ſtatum hominis internum ex iis conſtat, quæ in parte tertia abunde demonſtravimus. Statum iſtum experiri præſtat, quam prolixe a nobis deſcribi. Convictio a priori, cognitis licet ac perſpectis omnibus cauſis, nondum ſufficit, ut dulcedinem ejus deguſtet inexpertus. Veniendum eſt in rem præſentem, & omni animi contentione in conſequendo ſummo bono progrediendum, ut indies omnium facultatum uſus, qui requiritur ad omnimodam actionis rectitudinem indeque pendentem puritatem animi, magis magisque perficiatur.

§. 301.

De decoro in veſtibus obſervando.

Qui decorum in veſtibus obſervare vult, conſiderare tenetur tam ſtatum internum animi, quam ſtatum ſuum externum, & inquirere, quænam inde ratio reddi poſſit, cur veſtes tales eſſe debeant, dandumque etiam in his moribus eſt, quantum ſalvis officiis fieri poteſt. Quoniam hominem decent veſtes ſtatui interno animi & ſtatui externo ipſius convenientes (§. 453. *part. 1. Jur. nat.*), dedecent vero, quæ ſive ſtatui animi interno, ſive

ſtatui

ſtatui hominis externo disconveniunt (§. 454. *part. 1. Jur. nat*); ratio, cur veſtes tales eſſe debeant, petenda eſt partim a ſtatu animi interno, partim a ſtatu hominis externo (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui decorum in veſtibus obſervare vult, conſiderare tenetur tam ſtatum animi internum, quam ſtatum ſuum externum, & inquirere, quænam inde ratio peti poſſit, cur veſtes tales eſſe debeant. *Quod erat unum.*

Enimvero cum opinione hominum introduci ſoleat decorum, ſine ullo rationis conſilio, ut nonniſi caſu contingat, id eſſe rationale, ſeu ſtatui hominis ſive interno, ſive externo convenire, conſtet autem opinionem hominum, qua mores introducuntur, eſſe tyrannum, ut contemtui pateant mores eidem contrarii; præter decorum naturale, quod quomodo obſervari poſſit, demonſtravimus *n. 1.* datur etiam arbitrarium, quod opinio hominum effinxit & mores approbant. Quoniam itaque fieri poteſt, ut ſiniſtra aliorum judicia nobis noceant, quod tamen præcavere debebamus, quantum in nobis eſt (§. 493. *part. 2. Jur. nat.*); dandum utique in obſervando decoro in veſtimentis moribus eſt, quantum ſalvis officiis fieri poteſt, utpote inviolabilibus (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat alterum.*

Indicamus ſaltem fontes decori, ad ſpecialia vero non digredimur, ſingula excuſſuri, quæ in ſtatu hominis ſint expendenda, ut pateant rationes decori. Indicavimus jam quædam alias (*not.* §. 453. *part. 1. Jur. nat.*), quæ lucem quandam effundunt, quando propoſitionem præſentem applicare volueris in caſu dato, & inferius, quando de uſu rerum acturi ſumus, particularia in medium proferemus. Decorum duplex eſt: aliud naturale, quod in natura & ſtatu hominis rationem agnoſcit, aliud vero arbitrarium, quod ſolis

moribus opinione hominum introductis nititur. Cum detur lex naturalis decori (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quamvis vulgo non agnoſcatur; decorum naturale obſervare debemus, ut actionibus noſtris nihil inhæreat, quod jure poſſit reprehendi. Aſt decorum arbitrarium tum demum obſervandum, ſi illæſis officiis obſervari poteſt, neglectus vero nobis officit. In ſtatu naturali homines omnes æquales ſunt, ideoque tum nulla datur diverſitatis veſtium ratio, ut decorum, vel indecorum habeatur, ſi quis hac vel alia veſte utitur: aſt in ſtatu civili perſonarum inæqualitas introducta, unde non minus naturale quoddam decorum manat, quam arbitrarium effingitur. Cumque mundum regi opinionibus nullibi magis valeat, quam in ſtatu civili; ideo quoque in ſtatu civili tantum dandum opinionibus, quantum ſalvis officiis fieri poteſt, immo ipſa officia haud raro nobis imponunt neceſſitatem tyranno huic parendi. Dabitur inferius occaſio apertius de his dicendi. Cum hoc loco de uſu veſtium ſaltem agamus, quatenus ad ſanitatem tuendam requiritur; ad ea jam non digredimur, quæ de veſtibus alio reſpectu obſervanda ſunt.

§. 302.

De ornatu in veſtitu licito.

In veſtitu obſervare licet ornatum. Etenim corpus ornare licitum (§. 490. *part. 1. Jur. nat.*), & homini jus eſt ad ea, quæ ornamentis parandis inſerviunt & ad eos actus, quibus parantur, & quos requirit eorum uſus (§. 493. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum conſtet, ornamenta quoque, quæ ſcilicet tantummodo corpori ornando, non vero tegendo, qui veſtium uſus eſt, inſerviunt (§. 492. *part. 1. Jur. nat.*), veſtibus accedere poſſe, vel etiam inſeparabiliter inhærere; quin in veſtitu obſervare liceat ornatum, dubitandum non eſt.

Veſtes

Veſtes ab ornamentis optime diſtinxerunt Romani, quod illæ tegendo, hæc ornando corpori inſerviant (§. 492. *part. 1. Jur. nat.*). Veſtes igitur carere non debent ea aptitudine, quam in ipſis urget lex naturæ. Aptæ nimirum eſſe debent ad tegendum corpus, ut & contra injurias aëris defendatur, & partes obſcœnæ velentur (§. 450. *part. 1. Jur. nat.*). Illud convenit conſervationi ſanitatis; hoc præcavet irritamenta libidinis. Veſtibus itaque homini conſulitur, ut ſit mens ſana in corpore ſano, in quantum ab iis auxilium ſperandum. Qui huc animum advertentes a veſtitu omnem ornatum ſive acceſſorium, ſive inſitum removent, a ſcopo utique aberrant & nimis auſteri morum cenſores ſunt. Non perpendunt jus hominis ad ornatum corporis, quod facit, ut veſtibus accedant licite ornamenta, vel etiam ipſæ vertantur in ornamenta. Veſtes ſunt neceſſitatis, quatenus conducunt ſanitati; ſi ornamenta accedunt, aut in ornamenta vertuntur, fiunt libertatis, quatenus conducunt pulchritudini artificiali. Libertatem tamen hanc regunt officia, ne eadem abutaris, ſicque quod per ſe licitum erat labe quadam inficiatur ab eo, quod illicitum eſt.

§. 303.

An cura pulchritudinis virtutis ſit.

Cura pulchritudinis virtutis eſt. Etenim homo obligatur ad pulchritudinem naturalem conſervandam (§. 482. *part. 1. Jur. nat.*), atque pulchritudo artificialis, quæ defectum naturalis ſupplet eamque auget (§. 484. *part. 1. Jur. nat.*), prohibita non eſt (§. 485. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non illicita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo ad eam non negligendam homo obligatur, ſi in ſtatu ipſius externo, vel interno continetur aliqua ejus ratio (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui pulchritudinem corporis curæ habet, actiones ſuas legi naturæ convenienter determinat. Quoniam itaque habitus actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi

ſtrum ſuum, ſed ſuum ſuum. Et ſic ſuum ſuum ſuum

judicatarum opinionum, quæ mentem faſcinarunt, ignarus, facile perſpiciet, cur ornamenta gentium barbararum ab ornamentis cultiorum adeo differant, & quælibet juſto pretio æſtimabit. Multa patebunt, quæ nunc in abyſſo latent, quando rectam philoſophandi viam ingredientur, qui animum ad philoſophandum appellunt, nec omnem in ſenſu fiduciam collocaturi ſunt, quemadmodum faciunt, qui omni ſcientiæ extra Matheſin interitum minantur.

§. 304.

Quid in pulchritudine artificiali ſpectandum.

In pulchritudine artificiali ſpectatur potiſſimum decorum, & ratio moris habetur, quantum ſalvis officiis fieri poteſt. Etenim ad pulchritudinem artificialem non negligendam obligamur, quantum ſcilicet in poteſtate eſt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*), ſi in ſtatu ejus externo, vel interno contineatur aliqua illius ratio (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*). Decet autem pulchritudo artificialis hominem, ſi in ſtatu hominis externo vel interno contineatur aliqua ratio hujus pulchritudinis (§. 486. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque ornamenta, quæ corpori pulchritudinem artificialem conciliant (§. 476. 492. *part. 1. Jur. nat.*), ſua etiam gaudeant pulchritudine, cum tamen hic agatur de ipſorum uſu; in pulchritudine artificiali potiſſimum ſpectatur, quod hominem decet, ſive decorum (§. 194. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Quod erat unum.*

Quoniam vero ornamenta corporis opinione hominum introducuntur, ſepoſito tantum non ſemper rationis conſilio, & uſus eorum in morem abit, cum plerique omnes ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverint; in pulchritudine artificiali habendam quoque eſſe rationem moris, quantum ſalvis officiis fieri poteſt, eodem modo demonſtra-

rur,

Digitized by Google

tur, quo idem de decoro in veſtitu obſervando oſtendimus (§. 301.). *Quod erat alterum.*

Pulchritudo artificialis corpori humano conciliatur ornamentis, quæ vel veſtibus inſita ſunt, aut adhærent, vel ab iis ſeparata per ſe ſubſiſtunt. Et illa ſpectantur vel in materia, vel in forma veſtium, aut earum acceſſoriis, quæ ſalva veſtium ſubſtantia abeſſe poterant. Gentes, quæ nudæ incedunt, cum veſtium uſu careant, niſi quatenus ad eas referri poſſunt tegumenta genitalium, ornamentis ſeparatis utuntur. Sed ubi veſtes in uſu ſunt, utrumque ornamentorum genus obtinet. Ornamenta vero duplici modo ſpectantur, vel tanquam res artificiales, ſine reſpectu ad uſum, quem habere debent, vel tanquam ornamenta corporis humani, ubi potiſſimum attenditur uſus, quem habere debent, nimirum ut pulchritudo corpori concilietur, quam a natura non habet. Rebus artificialibus qua talibus ſua competit pulchritudo, partim a qualitatibus materiæ, partim ab arte artificis, qua materiam ſpecificavit, ſeu formam eidem induxit, dependens. Aſt hæc per ſe non facit ad pulchritudinem artificialem corporis, nec cum hac confundenda, quamvis vulgo confundi ſoleat. Neque enim omnia, quæ in ſe pulchra ſunt, vera etiam corporis ornamenta ſunt, ſeu ipſi pulchritudinem conciliant: id quod ſubinde etiam a vulgo obſervatur, quemadmodum ſatis indicant judicia de ornamentis lata. Negari tamen quoque non poteſt, pulchritudinem ornamentorum, quam tanquam res artificiales habent, ſi ad pulchritudinem artificialem accedunt, eandem augere. Quodſi homines omnia in rationis trutina ſuſpenderent, ut in minimis quoque ejus ductum ſequerentur, ſingula, quæ diximus & quæ hisce ſimilia addi poterant, ſiquidem ex inſtituto telam hanc pertexere nobis propoſitum eſſet, accurate obſervarent, ita ut in ipſa quoque ornatione corporis nihil committeretur, quod ſit a ratione alienum ejusdemque tribunal horreat. Sed nondum eſt ea felicitas ſeculi, ut rationis imperio ſeſe ſubjiciant

jiciant homines in eo genere actionum, quæ virtutem propius tangunt, & quarum cum ratione convenientiam urget ſalus humani generis. Quamobrem facile iis condonandum, ſi in decoro ipſorum mores rigorem rationis non ferant, niſi caſu felici in convenientiam cum ea inſcii incidant. Aberrationum cauſæ ex latebris & receſſibus in animis eorum eruendæ: quod ſane majoris laboris eſt, quam forſan putatur. Multæ ſunt præjudicatæ opiniones, quæ altas in mente radices egerunt, & tacite in judicia inventorum ornamentorum de pulchritudine influunt, atque non minus in judicium eorum, quibus eorundem probantur uſus, ut taceam vitia, quorum etiam in eo ſunt haud raro ſuæ partes, & ipſæ ſubinde opiniones iſtæ altius repetendæ. Theoria igitur ornamentorum rationalis, qualis convenit Ethicæ, ſcientiæ morali, nunc quidem magis eſſet curioſitatis, quam utilitatis, cum in decoro nos componere debeamus ad mores receptos, quantum ſalvis officiis fieri poteſt (§. 301.). Cumque pulchritudo, quæ ornamentis tanquam rebus artificialibus per ſe ineſt, ab arte artificis ea facientis, non vero a poteſtate iisdem utentis dependeat; theoria ipſa ſpecialis tam conditoris operam, quam uſum ejus in eligendo eluderet. Non tamen propterea prorſus inutile exiſtimari debet id, cujus uſus non ſtatim obtineri, aut prævideri poteſt. Multa, cum primum detegunturs videntur inutilia & oblectamentis curioſorum accenſentur, quorum tamen ſucceſſu temporis, dum in veritate indaganda ulterius progrediuntur curioſi, maxima deprehenditur utilitas. Sola Matheſis plura ſuppeditat exempla, modo ad talia animum advertant qui eidem operam navant, & memini Dn. de *Tſchirnhauſen* in Medicina Mentis dediſſe alia, quæ ad tollendum præjudicium inutilitatis veritatum faciunt. Multi ſunt uſus rerum, quos prævidere non datur, ſed qui demum innoteſcunt, ubi eæ nobis fuerint cognitæ, & ſæpe occaſio uſum inexpectatum nobis inſinuat, de qua nunquam cogitaſſemus, niſi hæc veluti ſponte ſua ſe obtuliſſet.

§. 305.

Digitized by Google

§. 305.

Qui putant pulchritudinem corporis ſive naturalem, ſive artificialem non poſſe eſſe objectum obligationis naturalis, conſervationem pulchritudinis naturalis fluere ex principio Juris naturæ, determinatione nimirum actionum liberarum per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur & in pulchritudine artificiali ſpectari decorum naturale, quod lex naturæ urget.

De eo, qui dubitat, num pulchritudo ſit objectum obligationis naturalis.

Quodſi enim quis putet, pulchritudinem corporis ſive naturalem, ſive artificialem non poſſe eſſe objectum obligationis naturalis, contrarii convincendus eſt. Quod igitur attinet pulchritudinem naturalem, nos ad eam conſervandam obligari oſtendimus (§. 482. *part. 1. Jur. nat.*). Ad veritatem demonſtrandam ſumimus, actiones liberas per easdem rationes finales determinandas eſſe, per quas determinantur naturales: quod eſſe genuinum principium legum naturalium evicimus (§. 179. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quod igitur ex hoc principio infertur, id eſſe Juris naturalis dubitandum non eſt. Quamobrem cum obligatio naturalis ſit, quæ a lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*); conſervationem pulchritudinis naturalis non minus eſſe objectum obligationis naturalis, quam ſanitatis conſervationem (§. 393. *part. 1. Jur. nat.*), intelligitur. *Quod erat unum.*

Quod attinet porro pulchritudinem artificialem, qua defectus naturalis ſuppletur eademque augetur (§. 484. *part. 1. Jur. nat.*); in ea ſpectatur decorum (§. 304.). Enimvero datur decorum naturale (§. 194. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad hoc obſervandum obligamur (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo obligatio ad obſervantiam decori, quemadmodum ex demonſtratione apparet (§. *cit.*), ex eodem principio deducitur, ex quo fluit obligatio naturalem pulchritu-

Digitized by Google

dinem conſervandi. Eodem igitur, quo ante *n. 1.* modo porro intelligitur, pulchritudinem artificialem eſſe objectum obligationis naturalis, ad quam non negligendam nos obligari, quatenus decorum naturale ipſi ineſt, oſtendimus (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Quæ de obligatione pulchritudinem naturalem conſervandi & de artificiali non negligenda hic dicuntur, iis equidem ſufficiunt, qui ad convincendum apti ſunt; ſed qui ea obiter ſaltem inſpiciunt, iis non perſuaſeris, ne a pulchritudine ſive naturali conſervanda, ſive artificiali non negligenda omnem obligationem removeant, nec utramque parum curent. Etenim ſi quem vi demonſtrationis convincere volueris, demonſtratio eo usque continuanda, donec in ſyllogismis, qui eam ingrediuntur, perveneris ad præmiſſas ei certas, vel, ubi in principiis adhuc hæret, ad definitiones, axiomata & experientias indubitatas (§. 991. *Log.*): id quam difficile ſit, ex analyſi demonſtrationum patet (§. 992. *Log.*), quæ ſucceſſivam aſſenſus generationem manifeſtat. Quamobrem diximus in propoſitione ea, unde pendet obligatio, eſſe expendenda, conſequenter omnem dandam eſſe operam, ut & certitudinem principiorum demonſtrandi & rectam demonſtrationum formam agnoſcas. Alterutrum enim ſi deficiat, non eradicabitur opinio de nullitate obligationis quoad pulchritudinem. Ut vero quis aptus ſit, qui convincatur, eam afferre debet ad demonſtrationem attentionem, ut agnoſcat nullum principium ſumi, quod non ſit certum, nec a forma demonſtrandi aberrari (§. 998. *Log.*). Hæc autem aptitudo homini naturaliter non ineſt, ſed ſtudio acquirenda, & in eo ſupponitur, qui quæ demonſtrantur perpendere debet. Quamobrem qui omnia perpendere vult, quemadmodum neceſſe eſt, Philoſophiæ practicæ univerſalis theoriæ, quæ in parte prima traditur, operam debitam navare tenetur & ex Jure naturali addere, quæ in demonſtrationem ingrediuntur. Ut vero facias, quantum datur, ad reductionem ad captum communem confu-

confugiendum & argumentis ſuaſoriis utendum, quæ pro diverſitate ſubjectorum variant. Ita nemo non agnoſcit, pulchritudinem naturalem eſſe bonum aliquod phyſicum, idque Deo acceptum ferendum, & pulchritudinem artificialem, ſi ea recte ſe habeat, ſupplere defectum naturalis, ita ut propter hanc nobis placeat, qui propter illam non placeret, aut magis placeat, quam propter illam ſolam. Quoniam amor concitatur, ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet (§. 645. *Pſych. empir.*), non exiguum momentum in praxi morali habet pulchritudo, quæ efficit, ut placeamus aliis. Cumque Deus amoris vinculo conjungi velit animos hominum; medium hoc ad hunc finem obtinendum ipſa voluntate divina conſtitutum eſſe haud difficulter agnoſcitur. Quodſi ergo Deus vult ut contendamus ad finem, voluntati quoque ejus convenit, ut mediis utamur licitis &, ſiquidem ipſe medium dedit, idem quoque conſervare ſtudeamus. Atque ex hoc ipſo clarius jam intelligitur, de quo forſan dubitare quis adhuc poterat, actus ad pulchritudinem naturalem conſervandam & ad artificialem conciliandam requiſitos per easdem rationes finales determinari, per quas naturales determinantur, quæ in pulchritudinem naturalem influunt. Et quoniam nemo non facile largitur, pulchritudinem naturalem facere ad perfectionem corporis, ad quam tendere debent actiones liberæ (§. 152. *part. i. Phil. pract. univ.*), eadem facilitate hinc agnoſcitur obligatio ad pulchritudinem conſervandam, qua agnoſcimus obligationem conſervandi ſanitatem. Ea qui conſiderat, pulchritudinem non adeo vili pendet, ut abſurdum exiſtimet eam obligationi naturali ſubeſſe. Non parum juvat, ut ſedulo obſervemus, quomodo homines commendet pulchritudo tam naturalis, quam artificialis, in qua decorum naturale elucet, quod a vitiorum influxu immune, qui effectum pulchritudinis impedire poterat. Quamvis enim iſtiusmodi obſervationes vulgares ſint, merentur tamen attentionem mentis acie pollentium, cum in iis, quæ vulgaria ſunt, haud raro profunda lateant, quæ in apricum

producuntur, ſi rite conſiderentur, ita ut ex iis plurimum ſapere diſcamus.

§. 306.

Quænam conſervatio pulchritudinis naturalis requirat.

Qui pulchritudinem naturalem conſervare vult, obſervare debet caſus, in quibus ſymmetria vel eurythmia, quæ in corpore ſpectatur, violari, partium externarum corporis figura, color aliæque qualitates ſenſibiles immutari poſſunt. Pulchritudo enim corporis dependet ab eurythmia & ſymmetria (§. 479. *part. 1. Jur. nat.*) & a partium externarum figura, colore aliisque qualitatibus ſenſibilibus (§. 486. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem pulchritudo tamdiu ſubſiſtit, quamdiu in hisce omnibus nihil immutatur, vitium vero nunc majus, nunc minus contrahit, prouti hæc, vel iſta ceteris ſubſiſtentibus mutantur. Quodſi quis mutationem præcavere velit, neceſſe eſt ut ipſi perſpectæ ſint cauſæ, quæ mutationem inducere poſſunt, aut ſaltem caſus, in quibus aliqua mutatio accidere poteſt, ut nimirum conſtet, an in poteſtate noſtra ſit mutationem vitare. Quodſi ergo pulchritudinem naturalem conſervare velimus, cum theoria pulchritudinis humanæ huc usque in deſideratis ſit, ideoque aliter quam experientia nobis conſulere nequeamus, obſervare tenemur caſus, in quibus ſymmetria vel eurythmia, quæ in corpore ſpectatur, violari & partium externarum corporis figura, color aliæque qualitates ſenſibiles immutari poſſunt.

Pulchritudinem eſſe mutabilem in vulgus notum eſt, ut ideo contingat, ut ei tanquam rei caducæ perexiguum pretium, immo fere nullum ſtatuant, qui ſupra vulgus ſapere volunt. Accedit, quod plerique omnes, cum in notione pulchritudinis confuſa acquieſcant, nec partium pulchritudinem a pulchritudine totius corporis diſtingvant, niſi quædam

ad

ad pulchritudinem pertinentia attentionem in ſe trahant, eam poteſtati noſtræ prorſus ſubtrahant, quaſi tota a caſu dependeat, in quem nobis nulla poteſtas eſt. Quo major enim ignorantia eſt, & quo minus res diſcutiuntur, eo magis extra poteſtatem noſtram eſſe putantur. Non omnia, quæ vulgaria exiſtimantur, ſtatim per ſe in oculos incurrunt, ut nulla discuſſione opus ſit. Quodſi ergo judicium deproperare nolimus, neceſſe eſt, ut notionem pulchritudinis diſtinctam habeamus (§. 479. 480. *part. 1. Jur. nat.*), quæ proderit tum ad pulchritudinem, quæ nobis cuidam ineſſe videtur, accuratius dijudicandam, tum ad caſus obſervandos, in quibus eidem inſidiæ ſtruuntur, tum denique ad definiendum, in quantum pulchritudinis conſervatio in poteſtate noſtra ſit, in quantum non ſit. Atque hæc omnino prærequiruntur, ſi quis animum ad theoriam pulchritudinis naturalis condendam animum appellere decreverit. Cum pulchritudini agnoſcendæ lucem quoque affundat deformitas, quæ eidem opponitur; proderit etiam attentius conſiderare deformitatem, ob quam nobis perſona quædam diſplicet, & inquirere in rationem, cur diſpliceat, ut appareat, tum quæ abſunt, ideoque deſiderantur, quo minus ſit pulchra, tum quæ adſunt, ideoque deformitatem faciunt: id quod etiam juvabit disquiſitionem de mutabilitate pulchritudinis. In ejus mutationem influit læſio membrorum externorum corporis, influunt etiam morbi. Quatenus igitur in poteſtate noſtra eſt vitare læſionem membrorum & præcavere morbos, in noſtra quoque poteſtate eſt conſervare pulchritudinem naturalem. Obligatio vitandi læſionem membrorum, conſequenter integritatem eorum conſervandi, & præcavendi morbos, conſequenter ſanitatem tuendi, facile admittitur, nec quisquam in dubium eam vocare auſit, niſi inſanire velit. Quamobrem in hoc caſu pulchritudinem naturalem conſervandi obligationem negare nequit, quæ in illa continetur, nec ab eadem ſeparari poteſt. Et quo intimius pulchritudinem naturalem inſpexeris, eo magis quoque videbis, quemadmodum

ejus

ejus conſervatio cum aliis officiis cohæreat, quæ extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt. Hæc ſi agnoſcuntur & perpenduntur, tanto minor erit difficultas agnoſcendi obligationem conſervandi naturalem corporis pulchritudinem, quæ adeo abſurda videbatur, nec tantilla habebitur amplius, ſicuti ante, quando nexus cum ſanitate corporis & integritate membrorum externorum nondum perſpectus erat, & vitiorum influxus in mutationem pulchritudinis ignorabatur. Quousque extendatur cohæſio conſervationis pulchritudinis cum conſervatione ſanitatis & integritatis membrorum, & num cauſæ quædam aliæ, quæ mutationem inferunt pulchritudini, tacite quoque influant in ſanitatem, tum demum patebit, quando exacta pulchritudinis naturalis theoria proſtabit, qua in apricum producenda, quæ in occulto latent. Obſervanda hæc ſunt, ne nimia ſcrupuloſitate utamur in admittenda obligatione naturali conſervandi pulchritudinem, quando eam ſaltem in ſe ſpectamus citra nexum cum ſanitate.

§. 307.

De præjudicio, quaſi pulchritudo artificialis mulieres, non viros deceat.

Qui putant pulchritudinem artificialem magis decere fœminas, quæ aliis carent, quibus ſe commendent, quam viros, quorum alia ſunt merita, quibus ſe commendant aliis; perpendere tenentur, non minus operam dandam eſſe fœminis, ut iis virtutibus excellant, quæ ſexum ſuum ornant, quam viris, hoc tamen non obſtante non negligendam eſſe pulchritudinem artificialem, quatenus ea urget decorum, nimiam autem non minus in fœminis, quam in viris reprehendi, etſi nimietas utrobique non eandem habeat æſtimationem. Virtutes tam intellectuales, quam morales ornamenta animi ſunt, & habitus facultatis locomotivæ, qui illarum exercitio inſerviunt, ornamenta hominis, quatenus ad animam & corpus ſimul referuntur. Cumque virtutem colere debeamus, quatenus homines ſumus, obligatione naturali, quæ ex lege naturæ venit (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cui actiones ſuas

ſuas conformiter determinare virtutis eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), rationem ſufficientem habente in ipſa eſſentia & natura hominis (§. 129. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ornamenta iſta non minus fœminas, quam viros decent (§. 332, *part. 1. Theol. nat.*). Et quamvis virtutes intellectuales, ſi materialiter ſpectentur, pro diverſitate negotiorum varient, quæ vel fœminarum, vel virorum ſunt, varient quoque habitus facultatis locomotivæ, eædem tamen non minus ſexum muliebrem ornant, quam viros. Neque diffitendum, virtutes tam fœminas, quam viros magis ornare, quam ornamenta corporis, ut, cum a quolibet facile concedatur, niſi vel fuerit prorſus rudis, vel præjudicatis opinionibus mentem præpeditam habeat, ne quod obvium eſt cernere poſſit, aut velit, prolixe demonſtrari non ſit opus. Aſt non repugnat, ut hisce ornamentis inſtructus corpus quoque ornet, quantum decorum exigit, ideoque uno poſito non tollitur alterum. Quamdiu vero leges naturales non colliduntur (§. 206. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec exceptioni locus eſt (§. 207. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Pulchritudo artificialis non ratione caret, quippe tum demum non negligenda, ſi in ſtatu noſtro interno vel externo contineatur ejus ratio (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*), quæ non minus fœminis, quam viris attendenda, utpote qui ex æquo lege naturæ utrique tenentur. Atque hinc patet, quid nimium cenſendum ſit in pulchritudine artificiali. Quoniam tamen pulchritudo artificialis ſupplet defectum naturalis & eam auget (§. 484. *part. 1. Jur. nat.*), in nimietate dijudicanda attendendum quoque eſt, num artificialis ita in ſe trahat oculos, ut a naturali prorſus avertatur omnis attentio: quo reſpectu *Vitruvius* dixit nimium ornatum corrumpere ædificium. Accedit, quod ornatus nimius confundat viſum, ut

minus placeat confuſe, quam parcior diſtincte perceptus, quemadmodum ſatis experimur. Quoniam ratio pulchritudinis artificialis, quatenus hominem decet, a ſtatu ipſius ſive interno, ſive externo petenda (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*), quem non eſſe per omnia utrobique eundem haud difficulter patet, ſi ad eum diſtincte conſiderandum animum appellimus; nimietas quoque non eodem modo æſtimanda in pulchritudine artificiali virorum atque fœminarum. Quodſi hæc omnia ſatis perpendantur, quantum a vero aberretur, ſi quis putet, pulchritudinem artificialem magis decere fœminas, quam viros, quorum alia ſunt merita, quibus ſe commendant aliis, quam ut ſtudeant placere aliis ornando corpus, ideoque illam parum curet, immo contemtui habeat; errorem ſuum facile agnoſcet, nec quod virtutis eſt (§. 303.) inconſideratæ mulierum temeritati tribuet.

Negari non poteſt, in ornamentis, quibus corpori pulchritudinem conciliare ſtudent homines, magnam deprehendi temeritatem, & nimiam iisdem curam haberi, immo complura vitia iisdem ali, de quibus poſtea dicemus. Neque etiam negari poteſt, majus iisdem pretium ſtatui, quam debebat, & ipſam curam pulchritudinis in vitium degenerare & neglectum ornamentorum animi parere. Hæc ſane cauſa eſt, ut, qui acutiores ſunt atque vident quantum in hisce ſit inane, pulchritudinem artificialem parum curent, cumque mulieres potiſſimum ornamentis ultra modum delectentur, & vix rei ulli majorem curam quam illis impendant, hebetudini mentis ipſarum hoc tribuentes a viro alienum eſſe debere judicant, quod in illis tolerandum. Enimvero hi ad mores fœminarum ad ſimilitudinem aliarum vivere adſuetarum unice reſpiciunt, non vero quid in pulchritudine artificiali rationi conveniat, quid ab eadem abeat inquirunt. Quoniam itaque judicium deproperant, nulla diſcuſſione facta; quid

quid mirum, ſi a vero aberrent? Rationis igitur trutina penſanda omnia, antequam de cura pulchritudinis ſtatuatur. Eſt modus etiam in ornamentis, ſunt fines certi. In hos inquirendum, ne damnes, quod probandum erat. Univerſalis ille mos ornandi corpus indicat naturale quidpiam in appetitu humano, qui incommunicatis conſiliis in pulchritudinem artificialem fertur. Quamobrem id ipſum excitare debebat attentionem Philoſophi, an eandem trutinaret, nec dedecet Philoſophum condere theoriam de pulchritudine corporis eidemque habenda cura.

§. 308.

Veſtium perfectio conſiſtit in aptitudine corpus tuendi adverſus injurias tempeſtatum, velandi partes corporis obſcœnas, præſtandi utilitatem ad id, quod iis indutum agere oportet. Omnis enim perfectio habet rationem determinantem, per quam intelligitur, cur ea, quæ perfecto inſunt, talia potius ſint ac tanta, quam alia (§. 505. 506. *Ontol.*). Quamobrem cum veſtes conficiantur ad certum uſum, qui per eas intenditur tanquam finis; ratio determinans perfectionem veſtium alia eſſe nequit, quam uſus, cujus cauſa conficiuntur. Enimvero homo corpus veſtimentis munire debet adverſus injurias tempeſtatis (§. 445. *part.* 1. *Jur. nat.*), & iisdem velare partes obſcœnas (§. 448. *part.* 1. *Jur. nat.*), eædemque debent eſſe commodæ ad agendum id, quod iis indutum agere oportet (§. 452. *part.* 1. *Jur. nat.*). Sunt igitur perfectæ, ſi iisdem corpus adverſus injurias aëris ſufficienter muniatur, partes obſcœnæ velentur & commodæ deprehendantur agenti ad id, quod iis indutus agit. Quare perfectio veſtium conſiſtit in aptitudine corpus tuendi adverſus injurias tempeſtatum, velandi corporis partes obſcœnas & præſtandi utilitatem ad id, quod iis indutum agere oportet. *De veſtium perfectione.*

Perfectio veſtium eodem modo æſtimanda eſt, quo perfectio rei cujuscunque alterius æſtimatur. Redit enim æſtimatio ad applicationem notionis generalis perfectionis, quæ directrix eſt attentionem convertens in rationem determinantem perfectionis, quæ notionem perfectionis ſpecialem rei datæ ſuſcitat, ubi omnes determinationes, quæ rei inſunt, inde deducere ſtudemus. Quoniam ratio determinans perfectionis veſtium multiplex eſt, vi propoſitionis præſentis; veſtium perfectio eſt compoſita (§. 507. *Ontol.*). Cum in perfectione compoſita locum habere poſſit exceptio (§. 511. *Ontol.*); in æſtimanda perfectione veſtium habenda quoque eſt ratio exceptionum, quæ æſtimationem difficilem reddit nondum ſatis exercitatis, ideoque plerisque omnibus, cum non modo conſtet de perfectione rerum æſtimanda hactenus parum ſollicitos fuiſſe ipſos Philoſophos, verum etiam ſtudium perficiendi intellectum, ut aptus ſit ad omnem uſum, quem habere debet, nondum adeo invaluerit, ut quilibet iſtiusmodi disquiſitionibus ſufficiat. Res vulgares communiter negliguntur, & qui philoſophi audire volunt, eas attentione ſua indignas judicant. Habent tamen ſingulæ ſuam perfectionem, cui æſtimandæ mediocris mentis acies raro ſufficit. Abſit autem, ut exiſtimes, disquiſitiones de perfectione veſtium eſſe inutiles: cum enim lex naturæ præſcribat veſtium aptitudinem (§. 450. *part. 1. Jur. nat.*) & commoditatem, in qua perfectionem earum conſiſtere oſtendimus (§. 452. *part. 1. Jur. nat.*), uſum omnino habent in praxi morali, cujus neglectus quamvis ferendus in Gentibus barbaris, quarum non ea eſt mentis acies, ut de perfectione veſtium judicium ferre poſſint, vix tamen excuſationem habet apud Gentes cultiores, præſertim ſi qui mentis acie præſtant præclaras animi dotes in ſcrutandis iis prodigunt, quæ paucorum curioſitati blandiuntur. Sed nolo hæc urgere ulterius, cum multa adhuc eradicanda ſint præjudicia, & moralium rerum intimior notitia latius diffundenda, antequam ſpes eſſe poterit, fore, ut

ut ad talia animum advertant, qui theſauros veritatis augere ſibi ſumunt.

§. 309.

Pulchritudo veſtium æſtimatur ex earundem perfectione & qualitatibus ſenſibilibus materiæ & ornatu, qui accedit, eademque non officere debet pulchritudini corporis naturali & perfectioni veſtium eſſentiali. Quoniam enim pulchrum eſt, quod nobis placet (§. 543. *Pſych. empir.*); quæcunque faciunt, ut veſtes nobis placeant, ea quoque faciunt ad pulchritudinem earundem æſtimandam. Jam pulchritudo conſiſtit in perfectione rei, quatenus res vi perfectionis apta eſt ad voluptatem in nobis producendam (§. 544. *Pſych. empir.*). Quamobrem in æſtimanda pulchritudine veſtium potiſſimum & ante omnia attendenda eſt earum perfectio. Enimvero nemo eſt, qui neſciat, materiam veſtium placere quoque nobis ob pretioſitatem & qualitates ſenſibiles, præſertim ſi ob has pretium ingens mereri cenſeatur, & quoniam in pulchritudine artificiali corporis ſpectatur decorum (§. 304.), ad hanc vero refertur pulchritudo veſtium; pretioſitas & qualitates ſenſibiles non ſaltem vulgi præjudicio, verum etiam rationis conſilio in pulchritudine veſtium æſtimanda attenduntur. Ornatus ad veſtes non alia de cauſa accedit, quam ut ſint pretioſiores & oculos hilarent. Ac ideo patet in pulchritudine veſtium æſtimanda ornatus quoque rationem habendam eſſe. *Quod erat primum.* *De veſtium pulchritudine.*

Quoniam vero pulchritudo veſtium deſtinatur pulchritudini artificiali corporis (§. 481. *part. 1. Jur. nat.*), hæc vero augere debet pulchritudinem naturalem ejusdemque defectum ſupplere (§. 484. *part. 1. Jur. nat.*), pulchritudo veſtium

ſtium officere non debet pulchritudini corporis naturali. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum in æſtimatione pulchritudinis veſtium eſſentiali potiſſimum habenda ſit ratio perfectionis earundem, *per demonſtrata n. 1.* pulchritudo quoque veſtium nullo modo officere debet perfectioni earundem eſſentiali. *Quod erat tertium.*

Vulgus pulchritudinem veſtium æſtimare ſolet ex pretioſitate materiæ & qualitatibus ſenſibilibus, quæ ipſis placent, atque ex ornatu, qui illis accedit. Raro animum attendunt ad perfectionem veſtium eſſentialem, quam ſi aliquo modo agnoſcunt, a pulchritudine diſtingvunt, recte quidem, quamdiu in ſe ſpectatur, ſed advertere quoque debebant, veſtes nobis placere ob earum perfectionem eſſentialem, a qua attentionem avertunt & in ſe trahunt qualitates materiæ. Confundunt quoque per præcipitantiam pulchritudinem corporis artificialem; quam veſtes conciliant, cum pulchritudine veſtium, nec illam ab hac ſeparant, quemadmodum debebant. Accidit quoque in aliis, ut pulchritudo ad ſolum ornatum trahatur. Ponamus horologium eſſe perfectiſſimum, ut quam accuratiſſime indicet tempus; ſi caret ornatu, vulgus pulchrum non dicet. Aſt ſi fuerit ex auro affabre confectum & gemmis ſplendore ſuo oculos ferientibus exornatum; nemo non id pulchrum vocabit. Artifex vero, aut etiam is, cujus intereſt, ut tempus accurate metiatur, veluti Aſtronomus, qui obſervationibus cœleſtibus incumbit, ad perfectionem horologii animum potiſſimum attendit, ipſique propterea placet, ornatum parum curans. Si ad judicia vulgi animum attendimus & in eorum rationes inquirimus; multa cognoſcimus, ad quorum cognitionem alias non perveniſſemus, aut quæ nonniſi multo ſtudio ac labore cognoviſſemus. Tenendum hoc eſt etiam in aliis: majorem enim utilitatem habet vulgarium meditatio, quam plerique putant. Nec dedecet

decet Philoſophum ad vulgi judicia & actiones quascunque animum attendere: ſunt enim non minus phænomena naturæ, quam effectus corporum naturalium, in quorum rationes inquirere Philoſophi eſt (§. 6. *Diſc. prælim.*). Ideo objectum Philoſophiæ conſtitui poſſibilia, absque ulla reſtrictione, cum eandem definirem (§. 29. *Diſc. prælim.*) & oſtendi in Philoſophia reddendam eſſe rationem, cur poſſibilia actum conſequantur (§. 31. *Diſc. prælim.*). Si phœnomena microcosmi, in quibus eminent judicia & actiones quæcunque aliæ hominum, ſedulo obſerventur, & accurate discutiantur, multa hinc deducuntur, quæ tam in theoria, quam praxi morali multum utilitatis præſtant. Et, ſi notiones generales, quas continent, abſtrahamus; non modo via ad profunda ſternitur, verum etiam acumen noſtrum plurimum perficitur.

§. 310.

Qui veſtium pulchritudinem & omnia corporis ornamenta pro ſuperbiæ ſigno habent, aut ignorant, quid ſit revera ſuperbia, aut non intelligunt, decere hominem pulchritudinem artificialem, eandemque ad rectitudinem actionum humanarum referendam eſſe. Etenim qui ignorat, quid ſit ſuperbia, nullam ejus notionem diſtinctam habet ac ſufficienter determinatam, ſed contentus eſt notione confuſa & vaga, quam ex communi loquendi uſu hauſit. Quamobrem non conſiderat, quod, cum ſuperbia vitium ſit (§. 889. *part. 1. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actus externus dijudicandus ſit ex motivo, quo voluntas determinatur ad eum & per conſequens ex eo colligi non poſſe vitium, niſi certo demonſtrari poſſit, neminem hoc velle poſſe, niſi qui vitio fuerit deditus, veluti non poſſe delectari veſte pulchra aliisque corporis ornamentis, niſi putet, ſe propterea meliorem eſſe aliis & melior aliis haberi

An veſtium pulchritudo & omnia ornamenta corporis ſint ſuperbiæ ſignum.

Digitized by Google

clamant, quaſi cum veſte ac ornamentis deponatur ſuperbia. Hi omnino opinantur, veſtes ſplendidas & ornamenta & per conſequens curam pulchritudinis artificialis pro ſigno ſuperbiæ haberi debere. In hanc opinionem adducuntur, quod videant homines ſuperbire veſtibus ſplendidis aliisque coporis ornamentis, aſt non ſimul perpendunt ſæpe etiam ſub ſordido pallio latere ſuperbiam, & dari alios, quibus contemtum veſtium ſplendidarum & omnium ornamentorum corporis ſuperbia perſuadet. Quodſi ſatis intelligerent, quid ſit ſuperbia & quod pulchritudo artificialis deceat hominem eademque ad actionum rectitudinem ſit referenda, ex veſtibus & ornamentis non ſtatuerent de ſuperbia, ſed ex ſuperbia aliunde cognita inferrent, num quis veſtibus & ornamentis corporis ſuperbiat. Sed hæc ulterius perpendenda ſunt, ubi de ſuperbia agemus. Opus ſigno coacervato eſt, ſi ſplendor veſtium & ornatus corporis ad conjectandam ſuperbiam prodeſſe debet.

§. 311.

Qui curam pulchritudinis artificialis corporis ſpernunt, ſeu nullum eidem pretium ſtatuunt, omnem amplitudinem legis naturæ minime perſpiciunt. Datur decorum naturale (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ad quod obſervandum lex naturæ nos obligat (§. 203. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & hoc ſpectatur quoque in pulchritudine artificiali (§. 304.), conſequenter etiam in veſtibus aliisque ornamentis (§. 476. 492. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem qui omnem amplitudinem legis naturæ intelligit, eandem quoque ad decorum extendit, nec hoc opinione hominum æſtimat, quaſi totum ab eorum arbitrio pendeat, ſed legi naturæ, cui ſubjacent omnes actiones humanæ, quatenus in natura ipſius rationem ſufficientem habent, convenienter determinat. Quodſi ergo quis pulchritudinem artificialem nullius momenti eſſe ſtatuit,

De iis, qui pulchritudinem artificialem corporis ſpernunt.

Ad Lectorem. Quæ ad Lectorem pertinent, ea ipse Lector sibi ipse
præstabit. Nam

gantiam a virtute ſeparant ; ſit ita quod ob merita alia ipſis facile condonemus neglectum elegantiæ morum, ac inprimis pulchritudinis artificialis corporis, præſertim cum non deficiant rationes, quæ ad excuſationem faciunt. Optandum vero foret, ut eadem æquitate uterentur in cenſendis aliis, qua ipſi ab æquiſſimis rerum arbitris cenſentur.

§. 312.

De colliſione curæ pulchritudinis artificialis cum officio aliquo.

Si cura pulchritudinis artificialis collidatur cum aliquo officio, hoc illi præferendum. Etenim in pulchritudine corporis artificiali ſpectatur potiſſimum decorum (§. 304.). Quodſi ergo cura pulchritudinis artificialis collidatur cum aliquo officio, lex decori colliditur cum aliqua lege præceptiva, vel prohibitiva (§. 163. 164. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero ſi lex decori colliditur cum alia quadam lege præceptiva, vel prohibitiva, lex præceptiva, vel prohibitiva vincit (§. 215. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi cura pulchritudinis artificialis collidatur cum aliquo officio, hoc illi præferendum (208. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Hæc propoſitio probe notanda eſt, ne quæ hactenus dicta ſunt in abuſum trahantur, præſertim cum juſtos limites decori, quod in pulchritudine artificiali ſpectandum, definire non adeo facile ſit, ideoque nec facile ſit pulchritudinem artificialem intra ſuos limites continere. Neque alio fine propoſitionem præſentem addimus, quam ne quis exiſtimet nos curam pulchritudinis artificialis & officia coæquare, quaſi elegantia morum & virtus in eundem cenſum referantur. Et quamvis etiam quoad decorum, quod in pulchritudine artificiali ſpectatur (§. 304.), aliquam admittamus obligationem (§. 487. *part. 1. Jur. nat.*), non tamen eandem obligationi ad virtutem æqualem facimus (*not. §. cit.*), ſicuti nec omnes obligationes ejuſdem ſunt momenti (*not. §. 482. part. 1. Jur. nat.*). Decorum ad virtutem accedit per modum ornamenti,

ſtrength of the Sun-beams.

Now the Sun-beams are ſtrongeſt, when they fall perpendicularly upon the Earth, and weakeſt, when they fall moſt obliquely; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Zenith, than when it is in the Horizon. Now the Sun is in the Zenith, when it is in the Equator, and in the Horizon, when it is in the Tropick of Capricorn; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Equator, than when it is in the Tropick of Capricorn.

Now the Sun is in the Equator, when it is in the Vernal Equinox, and in the Tropick of Capricorn, when it is in the Winter Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Vernal Equinox, than when it is in the Winter Solſtice.

Now the Sun is in the Vernal Equinox, when it is in the Autumnal Equinox, and in the Winter Solſtice, when it is in the Summer Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Autumnal Equinox, than when it is in the Summer Solſtice.

Now the Sun is in the Autumnal Equinox, when it is in the Vernal Equinox, and in the Summer Solſtice, when it is in the Winter Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Vernal Equinox, than when it is in the Winter Solſtice.

Now the Sun is in the Vernal Equinox, when it is in the Autumnal Equinox, and in the Winter Solſtice, when it is in the Summer Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Autumnal Equinox, than when it is in the Summer Solſtice.

Now the Sun is in the Autumnal Equinox, when it is in the Vernal Equinox, and in the Summer Solſtice, when it is in the Winter Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Vernal Equinox, than when it is in the Winter Solſtice.

Now the Sun is in the Vernal Equinox, when it is in the Autumnal Equinox, and in the Winter Solſtice, when it is in the Summer Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Autumnal Equinox, than when it is in the Summer Solſtice.

Now the Sun is in the Autumnal Equinox, when it is in the Vernal Equinox, and in the Summer Solſtice, when it is in the Winter Solſtice; and therefore the Sun muſt be nearer to the Earth, when it is in the Vernal Equinox, than when it is in the Winter Solſtice.

conveniret actio oppoſita, quæ indecora cenſetur. Rationes iſtiusmodi inſunt notionibus confuſis in determinationem actus decori, vel abſtinentiam ab indecoro influentes tacite utplurimum, quæ in apricum producuntur, ſi notiones confuſæ evolvuntur & ad diſtinctas reducuntur. Talia obſervantur, ſi vulgarium meditationem non negligamus, de qua paulo ante diximus (*not.* §. 308.).

§. 313.

De recto membrorum externorum corporis uſu.

Rectus membrorum externorum corporis uſus conſiſtit in motu virtuti & decoro ad eam accedenti convenienter determinato. Virtutes nimirum intellectuales ſunt habitus intellectus, morales habitus voluntatis & noluntatis, atque hæ illas ſupponunt (§. 547. *part.* 1. *Jur. nat.* & §. 149. *part.* 1. *Eth.*), conſequenter virtutes ex actibus internis æſtimantur (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*). Quamobrem cum actiones externæ ſint motus membrorum corporis externorum volitionibus & nolitionibus animæ reſpondentes, quibus ſcilicet ea exequimur, quæ anima vult, vel non vult. (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*); motus organorum corporis externorum virtuti convenienter determinandus, conſequenter cum ad omnem virtutem colendam ſimus obligati (§. 278. *part.* 1. *Jur. nat.*); rectus membrorum externorum corporis uſus conſiſtit in motu virtuti convenienter determinato. Et quoniam decorum quoque obſervare debemus (§. 203. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); rectus quoque membrorum corporis externorum uſus requirit, ut motus eorum decoro convenienter determinentur.

Actiones liberæ externæ conſiſtunt in motu membrorum corporis externorum volitionibus & nolitionibus animæ reſpondente (§. 567. *part.* 1. *Theol. nat.*), ideoque ſtatim conſequuntur, quando anima eas vult, tamdiu durant, quamdiu

diu easdem vult, & ſtatim ceſſant, quamprimum anima easdem non vult (§. 953. *Pſych. empir.*). Quoniam vero easdem actiones velle quoque poteſt, qui virtute præditus non eſt, voluntate per alia motiva determinata, quam quæ virtus exigit; ideo tum demum rectus eſt membrorum corporis externorum uſus, quando eorum motus virtuti & ad eum accedenti decoro convenienter determinatur, & ſic demum obtinetur conſentiens omnium facultatum uſus (§. 203. *part. 1. Jur. nat.*), ad quem conſequendum obligamur (§. 204. *part. 1. Jur. nat.*). Facultas locomotiva ſubjecta eſt facultati appetendi & averſandi, hanc vero regit intellectus, qui facultatum cognoſcendi inferiorum & intermediarum miniſterio utitur. Quamobrem non modo actiones externæ ita determinandæ ſunt, ne a lege naturæ diſſentiant, ſed ut potius eidem conveniant; verum neceſſe quoque eſt, ut legi naturæ conveniant actiones internæ, & ſic demum actio humana ex internis atque externis compoſita virtuti convenit. Quoniam vero actio externa plures miniſtras requirit (§. 427. *part. 1. Jur. nat.*); ut ea omnem ſuam rectitudinem conſequatur, in hisce ſingulis obſervandum decorum eſt. Quodſi hæc omnia probe perpendas, quam multa requirantur ad rectum membrorum corporis externorum uſum patebit, ſimulque manifeſtum erit, nullum dari motum voluntarium membri cujuscunque, qui non rationis regimini ſubjectus ſit. Hoc quoque negligendum non eſt, multos dari motus membrorum corporis externorum, qui anima volente non ponuntur, niſi prævio exercitio acquiratur habitus facultatis locomotivæ, quales ſunt omnes, qui ad exercitium artium requiruntur. Et hi ipſi quoque ſuam habent rectitudinem, a qua perfectio artis dependet.

§. 314.

De abuſu membrorum

Quoniam rectus membrorum corporis externorum uſus conſiſtit in motu eorum virtuti & decoro ad eam accedenti

denti determinato (§. 313.), abuſus vero uſui opponitur (§. 646. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque iis conſtat actibus, qui contrarii ſunt illis, in quibus uſus conſiſtit; *abuſus membrorum corporis externorum conſiſtit in motu vitiis & indecoro convenienter, aut virtuti & decoro minime convenienter determinato.* *externorum corporis.*

Ita non modo fur abutitur manu, dum doloſe contrectat rem alienam; ſed etiam hypocrita, qui porrigit eleemoſynam oſtentationis cauſa. Immo cum etiam peccetur contra decorum, manu abutitur, qui nimium feſtinanter cibum in os ingerit. Non omnis abuſus eandem habet magnitudinem, ſed pro diverſitate actionis nunc major, nunc minor eſt: æſtimatur enim ex actionis moralitate. Alia nimirum actio legi naturæ repugnat ob convenientiam cum actione interna, ut in exemplo furis; alia ob diſſenſum ab interna, ut in exemplo hypocritæ miſericordiam ſimulantis, dum dat eleemoſynam; alia contra decorum eſt, ut in exemplo nimium feſtinanter cibum in os ingerentis. Membra corporis externa ſunt inſtrumenta homini data ad implendum officia, quæ urget lex naturæ. Non aliter igitur iisdem uti debemus quam eo fine, cujus gratia nobis data ſunt. Qui aliter utitur, iisdem abutitur. Ad uſum nobis jus eſt (§. 159. *part. 1. Phil. Pract. univ.*); ad abuſum jus nullum competit. Circumſpectus itaque membrorum uſus eſſe debet, ne vertatur in abuſum. In æſtimanda turpitudine peccati habenda quoque ratio eſt abuſus membrorum corporis. Vide, quæ ſuperius de uſu & abuſu eorum demonſtravimus & annotavimus (§. 295. 296.).

§. 315.

Quia rectus membrorum corporis externorum uſus conſiſtit in motu eorum virtuti & decoro ad eam accedenti convenienter determinato (§. 313.), abuſus vero in motu vitiis atque indecoro convenienter, aut virtuti & decoro minime *De medio membris corporis utendi & abuſum vitandi.*

nime convenienter determinato (§. 314.); *qui membris corporis uti, non vero abuti vult, virtuti atque decoro aſſiduam operam navare, vitia vero & indecorum fugere tenetur.*

Qui membris corporis externis recte uti voluerit, ut uſus nihil prorſus vitii ab abuſu trahat, omnem legis naturalis amplitudinem intime perſpiciat neceſſe eſt. Plerique omnes eandem minime perſpiciunt. Quamobrem nec eſt quod miremur, ſi nec uſus ab abuſu ſatis accurate diſcernatur, immo multi dentur motus membrorum corporis, qui cum nobis prorſus indifferentes videantur, de recto eorum uſu nulla mentem ſubit cogitatio. Vivitur ad ſimilitudinem aliorum & a primis unguiculis acquiritur conſuetudo. Utraque cauſa omnem attentionem a recto membrorum uſu avertit, nec dependentia motus eorum a voluntate animæ, vel appetitu ſenſitivo attenditur. Rectus autem uſus requirit, ut ſollicite obſervemus, qualis ſit voluntas, vel appetitus ſenſitivus, a quo motus membri hic & nunc dependet, donec virtus & decorum in conſuetudinem abierint.

§. 316.

In uſu recto membrorum corporis inprimis attendendus uſus membrorum genitalium.

Ad rectum membrorum corporis uſum inprimis requiritur uſus membrorum genitalium. Quod uſus membrorum genitalium pertineat ad uſum membrorum corporis, per ſe patet. Quod vero præ ceteris membris mereatur curam ſingularem, inde patet, quod propter voluptatem, quæ cum eorum uſu conjuncta eſt, difficillime vitetur abuſus, modo uſum & abuſum rite æſtimare didiceris (§. 314. 315.).

Experientia abunde teſtatur, quam parum appetitum Veneris temperent homines, qui circa res alias eundem temperare didicerunt. Difficultatem nemo in dubium vocat, etiamſi pauci ſint, qui appetitum ad rigorem legis naturalis exigunt, quemadmodum mox eluceſcet ex iis, quæ dicentur. Quamobrem

Digitized by Google

obrem neceſſe quoque eſt, ut de recto uſu genitalium in ſpecie ex inſtituto agamus, præſertim cum peculiaris virtus ſit, nimirum caſtitas, quæ hunc uſum moderatur.

§. 317.

Uſus membrorum genitalium externorum caſtitati & decoro convenienter determinandus. Etenim ad uſum rectum membrorum corporis externorum inprimis pertinet uſus membrorum genitalium externorum (§. 316.). Quamobrem cum rectus uſus membrorum corporis externorum virtuti & ad eam accedenti decoro convenienter determinandus ſit (§. 313.); uſus quoque rectus membrorum genitalium externorum virtuti & ad eam accedenti decoro convenienter determinandus eſt. Enimvero virtus, quæ appetitum concubitus, conſequenter uſum membrorum genitalium externorum, quæ ipſi deſtinantur, moderatur, caſtitas eſt (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*). Uſus igitur membrorum genitalium externorum caſtitati & decoro ad eam accedenti convenienter determinandus. *Quomodo uſus membrorum genitalium externorum determinandus.*

Patet itaque, hoc loco eſſe agendum de caſtitate. *Ariſtotelici* caſtitatem partem temperantiæ faciunt. Temperantia enim in ſenſu latiori accepta ipſis virtus eſt, quæ moderatur appetitum circa voluptates corporis, quæ guſtum & tactum afficiunt, conſequenter vel guſtu percipiuntur, vel in membris genitalibus, quibus ſexus a ſexu diſtingvitur. Atque ideo duæ conſtituuntur temperantiæ veluti partes ſobrietas & caſtitas, quarum illa verſatur circa voluptates ex cibo atque potu perceptas, hæ vero circa voluptates, quas creat tactus venereus. Enimvero cum non modo uſui loquendi communi convenientior videatur ſignificatus temperantiæ reſtrictior, ut ea ad uſum cibi ac potus reſtringatur, & virtus, quæ appetitum venereum moderatur, peculiare nomen caſti-

Copyright © 2015 Cengage Learning. All Rights Reserved. May not be copied, scanned, or duplicated, in whole or in part. Due to electronic rights, some third party content may be suppressed from the eBook and/or eChapter(s). Editorial review has deemed that any suppressed content does not materially affect the overall learning experience. Cengage Learning reserves the right to remove additional content at any time if subsequent rights restrictions require it.

qualiscunque tandem is sit. Sane quo magis homines voluptatem veneream per se appetunt, eo quoque plures excogitarunt actus, ad eam amplificandam, qui per se magna ex parte evanescunt, quamprimum voluptas venerea per se non appetitur.

§. 319.

Quomodo certitudo ista obtineatur.

Quoniam qui castitatem colere vult, ante omnia pro certo habere debet, omnem actum venereum, qui solius voluptatis percipiendæ causa fit, illicitum esse (§. 318.), pro certo vero habemus id, cujus convicti sumus (§. 982. *Log.*), &, si quis fuerit imbecillior, quam ut demonstrationem capiat, se convictum esse sibi persuadet, si assensum præbere cogitur, propositioni nondum sufficienter probatæ (§. 1001. *Log.*); *si quis castitatem colere vult vel vi principiorum Juris naturæ convincendus, omnes actus venereos, qui solius voluptatis percipiendæ causa fiunt, legi naturali, consequenter voluntati divinæ repugnare* (§. 278. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), *aut, si fuerit imbecillior, danda opera est, ut assensum rationibus suasoriis extorqueas*, veluti *provocando ad animalia, in quibus imago juris circa conservationem speciei nobis competentis conspicitur, ad noxitudinem hujus voluptatis, si ejus usus extra terminos lege naturali præscriptos extendatur & insufficientiam satiandi cupiditatem naturalem felicitatis* (§. 324. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), quia scilicet nimis transitoria & sæpius iterata efficitur noxia.

Convictio a priori non videtur difficilis. Etenim concubitum, qui solius voluptatis gratia appetitur, naturaliter esse illicitum (§. 239. 240. *part.* 7. *Jur. nat.*) & actus quoque ceteros venereos in eodem casu illicitos esse, per modum corollarii infertur (§. 246. *part.* 7. *Jur. nat.*) immediate ex ipso principio Juris naturæ, quod actiones liberæ per easdem rationes finales determinandæ sint, per quas determinantur naturales

the Lord, and the Holy Ghost, and the Father, and the Son, and the Holy Ghost, and the Father, and the Son, and the Holy Ghost, and the Father, and the Son

raliter determinata eſt ad committendum actiones, quæ legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conveniunt, & ad abſtinendum contrariis (§. 121. *part. 2. Eth.*), &, ſi noluntas bona fuerit, ea generaliter determinata eſt ad actiones non committendas, quæ legi naturæ, ſeu voluntati divinæ repugnant (§. 127. *part. 1. Eth.*). Quodſi jam pro certo habeamus, concubitum ſolius voluptatis percipiendæ cauſa celebratum cum omnibus actibus venereis eſſe illicitum (§. 318.), cum certitudo efficiat cognitionem vivam (§. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*), cognitio vero viva ſit motivum voluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*), non modo voluntas in ſpecie determinabitur ad abſtinendum concubitu ſolius voluptatis percipiendæ cauſa omnibusque actibus venereis, verum etiam noluntas ad non celebrandum concubitum ſolius voluptatis cauſa, nec edendos actus venereos. Patet itaque, ſi quis caſtus eſſe velit, operam dandam eſſe, ut voluntas & noluntas bona ſit. *caſtitatem requiratur.*

Facile patet, quæ de caſtitate demonſtrantur, ea ad quamlibet aliam virtutem applicari poſſe, quoniam virtus omnis, cum ſit habitus actiones liberas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſupponit voluntatem bonam & noluntatem (§. 121. 127. *part. 2. Eth.*), ut vero in ſpecie determinetur, pro certo habendum eſſe, quod hæc actio ſit voluntati divinæ conformis, oppoſita vero eidem repugnet. Satis manifeſta hæc ſunt ex principiis generalibus, quæ de voluntate perficienda demonſtravimus in parte ſecunda Ethicæ. Conſultum tamen fuit hæc in ſpecie urgeri de caſtitate, quia virtutis hujus cultura difficillima, & voluptas venerea ita obnubilet mentem, ut omnis attentio a conſilio rationis avertatur, nec recto intellectus uſui permittatur locus. Exemplum illuſtre caſtitatis præbet *Joſephus*, qui conſentire nolebat in adulterium, ne peccaret in Deum, quod

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐν ἡμῖν ἐστιν· ἐπιθυμοῦμεν γὰρ τῶν ἡδέων καὶ τῶν ἀηδῶν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ θυμοειδὲς ἐν ἡμῖν ἐστιν· ὀργιζόμεθα γὰρ τοῖς ἀηδέσιν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ λογιστικὸν ἐν ἡμῖν ἐστιν· λογιζόμεθα γὰρ τὰ ἡδέα καὶ τὰ ἀηδῆ. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐν ἡμῖν ἐστιν· ἐπιθυμοῦμεν γὰρ τῶν ἡδέων καὶ τῶν ἀηδῶν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ θυμοειδὲς ἐν ἡμῖν ἐστιν· ὀργιζόμεθα γὰρ τοῖς ἀηδέσιν. Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ λογιστικὸν ἐν ἡμῖν ἐστιν· λογιζόμεθα γὰρ τὰ ἡδέα καὶ τὰ ἀηδῆ.

Pſych. empir.). Voluptas igitur venerea in cauſa eſt, cur coitum ſolius voluptatis venereæ cauſa appetant, aliosque actus ad eum quomodocunque referendos, quales ſunt mammarum & pudendorum contrectatio, membrorum genitalium titillatio, oſculationes, complexus, ſermones impudici. Quamobrem cum caſtus non appetat concubitum, niſi ſobolis procreandæ cauſa (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque caſtus non ſit, qui ſolius voluptatis venereæ cauſa coitum appetit aliosque actus ad eum quomodocunque referendos; voluptas venerea caſtitatis impedimentum eſt (§. 726. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Enimvero cum, quemadmodum jam diximus, voluptate venerea maxime capiuntur homines, ut eadem fortiter trahatur appetitus in coitum aliosque actus ad eum quomodocunque referendos (§. 893. *Pſych. empir.*); ab appetitione quoque homines non facile ſe dimoveri patiuntur (§. 911. *Pſych. empir.*). Quamobrem quia repræſentatione voluptatis venereæ in appetitu ſenſitivo vehemens concitatur cupiditas eandem percipiendi (§. 810. 811. *Pſych. empir.*), & hæc tendit ad coitum celebrandum & ad alias actiones ad eundem referendas committendum, ut eadem frui detur (§. 388. *part. 2. Eth.*); eidem tanto difficilius reſiſtitur, quo magis capitur eadem homo (§. 727. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Utramque propoſitionis partem experientia indies obvia abunde confirmat, ut eam nemine contradicente absque propoſitione ſumere potuiſſemus. Quod in genere de voluptate affirmat *Cicero* lib. 1. de Legib. c. 31. voluptate capi omnes, quæ etſi ſit illecebra turpitudinis, tamen habeat quiddam ſimile naturalis boni, eam enim lenitate & ſuavitate delectare; id de voluptate venerea inprimis dicendum, cujus percipiendæ

piendæ cupiditas tanto majora incrementa capit, quo magis eidem indulget libidinosus. Quam difficulter autem cupiditati voluptatis venereæ resistatur, exempla *Davidis* & *Salomonis* loquuntur. Laudatur *Davidis* pietas & studium bene ac recte agendi; hoc tamen non obstante voluptatem veneream tam avide inhiavit, ut ejus percipiendæ causa homicidium & adulterium committere non vereretur, etsi multas haberet uxores & concubinas, quæ libidinem ipsius explere poterant. *Salomo*, qui Regum sapientissimus celebratur, voluptatem veneream adeo insatiabiliter inhiabat, ut non modo in terris suis & apud vicinas gentes stupendo numero contra expressam prohibitionem divinam fœminas conquiri juberet, quas vel uxores, vel concubinas haberet, cum constet voluptates corporis varietate sustentari, verum etiam ut ipsarum erga se amorem magis accenderet, nefandis & absurdissimis idololatriis animum pollueret in ipsa senectute, quasi fortuna regia in voluptate venerea potissimum consisteret. Non est quod dubitemus, *Salomonem* cupidinem voluptatis venereæ expleturum animum attendisse ad rationes, quas insinuavimus. Ipse enim ingenue confitetur, se non prohibuisse cor suum, hoc est, non restitisse appetitui sensitivo, quin omni voluptate frueretur, Eccles. II, 10. abusus nimirum sapientia, ut stultitia esset major.

§. 322.

Quale studium ad castitatem adhibendum.

Quoniam voluptas venerea impedimentum castitatis est, qua quo magis capiuntur homines, eo difficilius resistitur cupiditati ejus (§. 321.); *ad castitatem colendam tanto pertinacius studium adhibendum, quanto difficilior est ejus cultura.*

Nemo est, qui negare ausit, quo difficiliora sunt, quæ quis aggreditur, eo majore studio ac labore opus esse. Difficultas itaque quemadmodum commendat castitatem animis excelsis, qui ad sublimia adspirant; ita quoque nos incitare debet,

debet, ut omni animi contentione virtutem hanc conſequi eademque excellere ſtudeamus.

§. 323.

De noxitudine hypotheſeos, qua felicitas ex perceptionibus jucundis æſtimatur.

Quoniam voluptas venerea, quam inter voluptates corporis eminere nemo eſt qui dubitet, caſtitatis impedimentum eſt difficulter admodum tollendum (§. 321.); *quam noxia ſit hypotheſis eorum, qui ex perceptionibus jucundis felicitatem hominis æſtimandam eſſe contendunt, alunde intelligitur.*

Qui hanc hypotheſin pro philoſophia morali venditant, ſe omnis philoſophiæ moralis prorſus ignaros probant. Et quid, quæſo de ipſorum virtutibus ſperandum? Quodſi quis ſibi perſuadeat, perceptionibus jucundis abſolvi felicitatem hominis, is omnino ſibi perſuadebit, voluptatem veneream facile principem felicitatis humanæ partem eſſe, ideoque earum cupiditati minime reſiſtet, quin potius libidini fræna laxabit. Caſtitati igitur nihil magis adverſatur, quam perverſa iſta opinio, ut non morum emendatores, ſed corruptores dicendi ſint, qui eam animis hominum inſtillare ſtudent. Neque eſt, quod miremur, ſi iſtiusmodi pſeudophiloſophi doctrinam ſuam exemplo ſuo confirment. Danda potius opera eſt, ut perverſa hæc opinio ex animis hominum radicitus evellatur, quam ut ſplendido philoſophiæ moralis titulo commendetur, cum proh dolor! plerorumque hominum mentem obſederit, immo faſcinaverit, & dudum agnitum fuerit, nec multo acumine opus ſit, ut agnoſcatur, voluptatem turpitudinis illecebram eſſe. Nonne igitur inſanire dicendus eſt, qui illecebram turpitudinis pro fundamento philoſophiæ moralis venditat, quæ culturam virtutum, fugam vitiorum docere debet (§. 1. *part. 1. Eth.* & §. 321. 322. *part. 1. Phil. practi. univ.*). Finis Ethicæ utique eſt felicitas hominis (§. 8. *part. 1. Eth.*), aſt non ſpuria iſta, quæ in perceptionibus jucundis conſiſtit; ſed vera, quam ſine virtutis ſtudio

[illegible] [illegible] [illegible] [

que se ha dicho, y que se dirá, de los Reyes Ingas, y de sus hechos, y de sus costumbres, y de sus leyes, y de sus ritos, y de sus ceremonias, y de sus sacrificios, y de sus templos, y de sus vestiduras, y de sus armas, y de sus batallas, y de sus victorias, y de sus triunfos, y de sus fiestas, y de sus juegos, y de sus cantares, y de sus bailes, y de sus comidas, y de sus bebidas, y de sus vestidos, y de sus calzados, y de sus casas, y de sus palacios, y de sus jardines, y de sus huertas, y de sus fuentes, y de sus baños, y de sus lavatorios, y de sus cementerios, y de sus sepulturas, y de sus exequias, y de sus lutos, y de sus llantos, y de sus plañidos, y de sus alaridos, y de sus gritos, y de sus voces, y de sus silbos, y de sus trompetas, y de sus atabales, y de sus tambores, y de sus flautas, y de sus vihuelas, y de sus arpas, y de sus instrumentos de música, y de sus danzas, y de sus saltos, y de sus carreras, y de sus luchas, y de sus esgrimas, y de sus juegos de pelota, y de sus juegos de dados, y de sus juegos de naipes, y de sus juegos de tablas, y de sus juegos de ajedrez, y de sus juegos de damas, y de sus juegos de tres en raya, y de sus juegos de cinco en raya, y de sus juegos de nueve en raya, y de sus juegos de diez en raya, y de sus juegos de once en raya, y de sus juegos de doce en raya, y de sus juegos de trece en raya, y de sus juegos de catorce en raya, y de sus juegos de quince en raya, y de sus juegos de dieciséis en raya, y de sus juegos de diecisiete en raya, y de sus juegos de dieciocho en raya, y de sus juegos de diecinueve en raya, y de sus juegos de veinte en raya, y de sus juegos de veintiuno en raya, y de sus juegos de veintidós en raya, y de sus juegos de veintitrés en raya, y de sus juegos de veinticuatro en raya, y de sus juegos de veinticinco en raya, y de sus juegos de veintiséis en raya, y de sus juegos de veintisiete en raya, y de sus juegos de veintiocho en raya, y de sus juegos de veintinueve en raya, y de sus juegos de treinta en raya, y de sus juegos de treinta y uno en raya, y de sus juegos de treinta y dos en raya, y de sus juegos de treinta y tres en raya, y de sus juegos de treinta y cuatro en raya, y de sus juegos de treinta y cinco en raya, y de sus juegos de treinta y seis en raya, y de sus juegos de treinta y siete en raya, y de sus juegos de treinta y ocho en raya, y de sus juegos de treinta y nueve en raya, y de sus juegos de cuarenta en raya, y de sus juegos de cuarenta y uno en raya, y de sus juegos de cuarenta y dos en raya, y de sus juegos de cuarenta y tres en raya, y de sus juegos de cuarenta y cuatro en raya, y de sus juegos de cuarenta y cinco en raya, y de sus juegos de cuarenta y seis en raya, y de sus juegos de cuarenta y siete en raya, y de sus juegos de cuarenta y ocho en raya, y de sus juegos de cuarenta y nueve en raya, y de sus juegos de cincuenta en raya, y de sus juegos de cincuenta y uno en raya, y de sus juegos de cincuenta y dos en raya, y de sus juegos de cincuenta y tres en raya, y de sus juegos de cincuenta y cuatro en raya, y de sus juegos de cincuenta y cinco en raya, y de sus juegos de cincuenta y seis en raya, y de sus juegos de cincuenta y siete en raya, y de sus juegos de cincuenta y ocho en raya, y de sus juegos de cincuenta y nueve en raya, y de sus juegos de sesenta en raya, y de sus juegos de sesenta y uno en raya, y de sus juegos de sesenta y dos en raya, y de sus juegos de sesenta y tres en raya, y de sus juegos de sesenta y cuatro en raya, y de sus juegos de sesenta y cinco en raya, y de sus juegos de sesenta y seis en raya, y de sus juegos de sesenta y siete en raya, y de sus juegos de sesenta y ocho en raya, y de sus juegos de sesenta y nueve en raya, y de sus juegos de setenta en raya, y de sus juegos de setenta y uno en raya, y de sus juegos de setenta y dos en raya, y de sus juegos de setenta y tres en raya, y de sus juegos de setenta y cuatro en raya, y de sus juegos de setenta y cinco en raya, y de sus juegos de setenta y seis en raya, y de sus juegos de setenta y siete en raya, y de sus juegos de setenta y ocho en raya, y de sus juegos de setenta y nueve en raya, y de sus juegos de ochenta en raya, y de sus juegos de ochenta y uno en raya, y de sus juegos de ochenta y dos en raya, y de sus juegos de ochenta y tres en raya, y de sus juegos de ochenta y cuatro en raya, y de sus juegos de ochenta y cinco en raya, y de sus juegos de ochenta y seis en raya, y de sus juegos de ochenta y siete en raya, y de sus juegos de ochenta y ocho en raya, y de sus juegos de ochenta y nueve en raya, y de sus juegos de noventa en raya, y de sus juegos de noventa y uno en raya, y de sus juegos de noventa y dos en raya, y de sus juegos de noventa y tres en raya, y de sus juegos de noventa y cuatro en raya, y de sus juegos de noventa y cinco en raya, y de sus juegos de noventa y seis en raya, y de sus juegos de noventa y siete en raya, y de sus juegos de noventa y ocho en raya, y de sus juegos de noventa y nueve en raya, y de sus juegos de cien en raya.

Pa Tan Hand, a village in the Kalpi tahsil of Jalaun district, Uttar Pradesh, India, situated on the Yamuna river. It is a small agricultural village with a population of about 1,200 (1901). The village is known for its ancient temple of Pa Tan Hand Mahadeo, which is visited by pilgrims during the annual fair held in the month of Kartik. The fair attracts about 5,000 visitors. The village has a primary school and a post office. The nearest railway station is Kalpi, 12 miles away.

Pa Tan Hand Mahadeo, a temple of Shiva in the village of Pa Tan Hand, Jalaun district, Uttar Pradesh, India. The temple is built of stone and consists of a garbhagriha and a mandapa. It is said to have been built by a local chief in the 17th century. The temple is in a dilapidated condition. The annual fair held here in Kartik is the largest in the district.

dum eandem reddit immoderata venus. Sicuti enim omnis inveterata conſuetudo, poſtquam in alteram naturam degeneravit, eradicatu propemodum impoſſibilis; ita eandem difficultatem contrahit libido, quæ altas in animo radices egit. Conſultiſſimum igitur eſt, ut hæc omnia trutinentur, antequam contra cupiditatem ejusdem ſit pugnandum. Id enim fieri poſſe nemo dubitabit, modo ſingula agantur ſucceſſive, quæ hic præcipiuntur, unumquodque nimirum ſuo tempore, ut memoriæ infigantur, quando de præſente uſu nondum cogitatur. Etenim quæ hic & nunc expendenda ſunt, quando appetitus determinandus, aut averſatio, tanquam familiaria ſupponuntur, ut non modo ſtatim ſuccurrant, ubi de iis cogitandum, verum etiam ſenſum certitudinis ſecum afferant, quo mediante influunt in determinationem appetitus, vel averſationis. Mala iſta, quæ ex illicita & nimia Venere conſequuntur, experientia docet, quædam etiam per ſe manifeſta ſunt. Quamobrem qui caſtitatem colere vult, ſedulo ea obſervare tenetur. Utile inprimis foret, ut caſus tragici conſignarentur, qui noxitudinem & turpitudinem libidinis præſertim nimiæ docent, quamvis nec deſint exempla eorum, quibus primum experimentum fuit funeſtum.

§. 326.

An nimia venus noceat ſanitati.

Nimia venus morborum cauſa eſt & generi nervoſo inprimis nocet. Nimiam Venerem eſſe morborum cauſam, in conſeſſo eſt apud Medicos, illam ideo diſſuadentes, quando de tuenda valetudine agunt. Qui fidem ipſis habere non vult, eidem ſufficiunt exempla podagricorum, venerem enim nimiam eſſe cauſam podagræ, aliorumque morborum arthriticorum, dudum pervulgatum eſt; utut aliæ quoque dentur horum morborum cauſæ. Quod vigorem corporis deſtruat, non minus exploratum eſt & macies corporis ſatis indi-

Digitized by Google

indicat. Quod vero generi nervoſo inprimis inimica ſit, vel inde colligitur, quod viſum hebetet atque memoriam debiliret.

Equidem obſervationes non adeo manifeſtæ ſunt, ut unumquemque convincere per eas poſſis, quantum noceat ſanitati & vigori corporis venus nimia, præſertim cum non omnibus æque noceat; cum tamen in tuenda ſanitate ſequendum id, quod eſt tutius, nimia venere abſtinere præſtat, quam improvido ejus uſu ſanitatem ipſamque vitam corporis aleæ committere, præſertim cum venus nimium non appetatur, niſi voluptatis percipiendæ cauſa, quam nemo ſanus tanti æſtimabit, ut eam ſanitatis ac vigoris corporis, vel ipſius vitæ jactura luere velit. In rationes a priori inquirere Phyſici eſt (§. 59. 31. *Diſc. prælim.*). Plura autem tanquam nota ſupponit hæc disquiſitio, quam quæ hic ſupponi poſſunt. Et qui ſanitatem & vigorem corporis vitamque curæ habet, ei ad perſuadendum ſufficit principium generale, quod omne nimium ſit naturæ inimicum. Semper autem nimium cenſendum, ſi deſit ſtimulus naturalis ad coëundum, non confundendus cum cupiditate voluptatis venereæ, quam ſuſcitat & fovet ipſe immoderatus uſus. Nimium quoque ſatis intelligitur, ſi actibus demum proluſoriis excitanda, quæ natura ſtimulo ſuo excitare ſolet. Quodſi in hæc omnia accurate inquirendum eſſet, nullus dubito fore, ut agnoſcatur, nimiam venerem ſanitati ac vigori corporis multo magis nocere, quam hactenus putatur. Ceterum huc quoque pertinent obſervationes *Sanctorii* in Medicina Statica, quæ docent, quomodo Venus ſeſe habeat ad tranſpirationem inſenſibilem, cujus tantum momentum eſt in ſanitate conſervanda. Vide, quæ ſupra jam dicta ſunt (§. 226.).

§. 327.

Qui appetentiam Veneris moderatur legi naturæ convenienter, a nimia venere ſeſe abſtinet. Cum enim lex naturæ non concedat,

De abſtinentia a nimia venere.

dat, ut coitum celebremus ſolius voluptatis percipiendæ cauſa (§. 240. *part. 7. Jur. nat.*), ſed velit, ut eundem non appetamus niſi ſobolis procreandæ gratia (§. 239. *part. 7. Jur. nat.*), conſtet autem ad ſobolis procreationem non opus eſſe nimis frequente coitu; qui appetentiam veneris moderatur legi naturæ convenienter, a nimia venere abſtinet.

Plerosque omnes voluptas venerea ad coitum invitat, & quo majore cupidine ejus flagrant, eo frequentius quoque eundem repetunt, ut ideo huic ſoli nimia veneris appetentia ſit tribuenda. Quodſi quis ergo cognoſcat nobis nullum competere jus ad coitum, niſi quatenus eum celebrare tenemur, ut ſoboles procreetur; habeatque voluntatem bonam, ut facere nolit, quod legi naturæ adverſum (§. 120. *part. 2. Eth.*), ideoque nec arrogare ſibi jus, quod lege naturali a Deo ipſius autore conceſſum non eſt; a nimia venere ſeſe abſtinebit, ſicque omnia iſta mala, omnium quoque morborum, cujus genetrix eſt venus illicita non minus quam nimia (§. 325. 326.), evitabit, atque ab iis immunem ſe ſentiet, ſi vel maxime convinci non potuerit, illicitam ac nimiam venerem eſſe illorum genetricem. Optandum itaque foret, ut quale jus nobis competat ad concubitum & omnem voluptatem veneream, omnes agnoſcerent. Quamvis vero obſtent opiniones contrariæ communi conſenſu probatæ; facile tamen jus lege naturæ tributum cognoſcere poterant homines, modo imaginem ejus in brutis contemplarentur. Cum enim hoc pertineat ad Jus naturæ commune (§. 162. *part. 1. Phil. pract. univ.*), imago ejus in brutis conſpecta, modo rite conſideretur, quemadmodum memini me declaraſſe, quando in Horis ſubſecivis Marburgenſibus definitionem Juris naturæ ab *Ulpiano* traditam explicabam, nos docere poteſt, quale jus nobis competat. Sane non minus illicita, quam nimia venus huic potiſſimum cauſæ tribuenda, quod jus iſtud latius extendatur, quam lex naturæ permittit, & non ſine contradictione rurſus reſtringatur, ut ideo qui contradictiones ſatis mani-

manifeſtas vident, ſcelera ſibi permiſſa arbitrentur, quibus in mala ſeſe præcipites dant, etiamſi non ſemper agnoſcant, veneri eadem eſſe tribuenda: id quod ſubinde tanto magis nocet, quia ignari eadem fovent & augent.

§. 328.

Motivum vitandi nimiam venerem.

Qui ſanitatem conſervare vult, a nimia venere ſeſe abſtinere tenetur. Nimia enim venus morborum cauſa eſt & generi nervoſo inprimis nocet (§. 326.). Quodſi eandem comitetur amor venereus, qui pro datis circumſtantiis alios affectus moleſtos producit, aut cupiditas voluptatis venereæ æſtum venereum efficiat fortiorem, ut furori aſſimiletur, affectibus vehementibus hisce extraordinarii in corpore excitantur motus ſanguinis & fluidi nervei vehementiæ ipſorum proportionati (§. 611. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum affectus vehementes ſanitati corporis adverſentur (§. 227.), immoderata quoque venus, ſi affectus vehementes concitat, ſanitati haud parum nocet. Quamobrem qui ſanitatem conſervare vult, a nimia venere ſeſe abſtinere tenetur.

Quando venus nimia morborum cauſa pronunciatur ad excretionem ſeminis potiſſimum reſpicitur, non vero attenduntur aliæ mutationes organorum genitalium, multo minus affectus, quos nimia venus concitare ſolet, quamvis pro varia hominum conditione varii. Quodſi ergo damna, quæ venus nimia ſanitati dat, intimius perſpicienda forent; latiſſime diffunderetur theoria, quæ non modo ſupponit obſervationes difficiles, ſed & corporis & naturæ humanæ ſublimiorem cognitionem atque profundiorem, quam putatur. Habenda nimirum ratio eſt mutationis, quæ inducitur tam ſolidis, quam fluidis partibus corporis, unde pendet diſpoſitio ad morbos recipiendos, & quæ in ipſam quoque morborum generationem influunt. Variant autem hæc omnia pro di-

verſa corporum conſtitutione & ceterarum rerum non naturalium conditione. Quamobrem ſatis intelligitur, theoriam ipſam non eſſe hujus loci, quamvis ſi extaret hic recte ſupponeretur. Facilius obſervantur affectus, quos venus concitat, quamvis non eadem facilitate determinetur, quænam præſupponenda ſint, ut hi vel iſti affectus concitentur & unde pendeat eorundem vehementia. Difficultas tamen non deterrere nos debet a ſollicita inquiſitione, nec ob eandem deſperandum eſt de ſucceſſu. Exemplum Aſtronomorum abunde docet, quantum valeat rectus facultatum cognoſcendi uſus & quo usque idem promoveri poſſit, modo in rimandis occultis naturæ eos imitemur. Quamdiu vero deſideratur iſta theoria, nec fieri poteſt, ut doceamus, quomodo unusquisque in ſe obſervare poſſit, quod hic, vel ille actus venereus tendat in damnum corporis, & ut attendat animum ad nutum naturæ ſaluti noſtræ adeo provide proſpicientis, quo abſtinentia ſuadetur. Nemo igitur deſideret, ut ipſi perſuadeamus damna ſingula, quæ venus corpori infert, multo minus ut ipſum veritatis convincamus. Quodſi quis ſanitatis fuerit cupidus, ei ſufficit, ut norit, cum lege naturæ nos obliget Deus, ut nonniſi procreationis ſobolis cauſa concubitum appetamus (§. 239. *part.* 7. *Jur. nat.*) & cum generatione conjungi velit educationem (§. 265. *part.* 7. *Jur. nat.*), idem vero etiam nobis præcipiat ſanitatis ac vitæ conſervationem (§. 393. *part.* 1. *Jur. nat.*), contradictoria autem velle nequeat (§. 345. *part.* 1. *Theol. nat.*), ſi venerem non appetamus, niſi ſobolis procreandæ ac educandæ, ſeu generis humani conſervandi cauſa, eam ſanitati inſidias ſtruere non poſſe, ex adverſo autem, ſi jus lege naturæ nobis conceſſum ulterius extendamus, ſaltem non vanum eſſe metum, ne noceamus corpori, ut de anima jam non dicam. Ita nimirum, ſi ſapimus, in caſu dubio ſequemur quod eſt tutius, nec ullum nobis a Venere imminere poterit periculum, quam eſſe plurimorum malorum genetricem conqueruntur omnes, & occultas inſidias ſtruere hominibus non diffitentur oculatiores.

Digitized by Google

tiores. Nolo igitur descendere ad particularia, quibus fides conciliari poterat antea dictis, quantum ad probabilitatem sufficit, in moralibus semper attendendum, ubi certitudo haberi nequit. Ceterum si quis vel maxime hæreat, utrum sanitati nocere possit venus nimia, nec ne, sanitatem vero curæ cordique habeat; solus metus, ne noceat, ad abstinentiam eum adducet, consequenter si perpendit, sibi certo non constare, quod non noceat, sed alteram contradictionis partem ob rationem saltem modo adductam videri verisimiliorem, id erit motivum sese abstinendi a nimia venere & appetentiam veneris legi naturæ conformandi.

§. 329.

Quoniam qui sanitatem conservare vult, a nimia venere sese abstinere tenetur (§. 328.), castus vero concubitum non appetit nisi sobolis procreandæ gratia (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*) & omni libidine abstinet (§. 252. *part. 7. Jur. nat.*); *cura sanitatis amor influit in studium castitatis, & hoc efficit a cura sanitatis dependens.*

De dependentia studii castitatis a cura sanitatis.

Aliquoties jam inculcavimus, in Moralibus considerandam esse dependentiam virtutis unius ab altera: id quod multiplicem habet usum tam in theoria, quam in omni praxi. Quamobrem consultum quoque ducimus, ut subinde excitetur attentio ad observandam dependentiam virtutis unius ab altera. Quamvis enim haud raro adeo manifesta sit, ut nullo negotio observetur, & in oculos sua veluti sponte incurrat; necesse tamen est, ut eam observare adsueverimus. Alias enim attentionem nostram in eam non convertemus. Quamvis quædam præsentia sint, ut in oculos incurrant; si tamen incurrere debent, necesse est, ut oculos in ea convertamus: quod ut fiat, necesse est ut adsit aliqua ratio. Multo magis autem opus est ratione, qua monemur ad ea observanda, quæ per se in oculos non incurrunt, sed ex observatis aliis demum

mum colligenda. Habent vero ſe veritates univerſales reſpectu mentis, ſicuti res materiales reſpectu oculi, & tum illarum nexus aſſimilatur dependentiæ effectus a ſua cauſa, ſubinde quoque cohæſioni partium. Iſtiusmodi comparationes, modo dirigantur notione ſimilitudinis (§. 195. *Ontol.*), uſum habent in reductione veritatum univerſalium ad ſenſum communem in uſum artis inveniendi (§. 242. *part. 1. Etb.*), ut ope imaginationis meditatio facilitetur.

§. 330.

An ſeminis excretio moderata ſanitati conducat, retentio noceat.

Seminis excretionem moderatam ſanitati conducere, retentionem diuturniorem non parum damni afferre, certum non eſt, nec probabile videtur. Pervulgata equidem Medicorum aſſertio diætetica eſt, ſeminis excretionem moderatam ſanitati conducere, retentionem diuturniorem non parum damni afferre; non tamen demonſtratur, nec indubiis obſervationibus, aut experimentis confirmatur. Quamobrem cum propoſitio quæcunque tum demum certa dici poſſit, ſi demonſtrata fuerit ſive directe, ſive indirecte (§. 568. *Log.*), vel obſervationibus, aut etiam experimentis (§. 747. *Log.*) minime dubiis confirmetur (§. 567. *Log.*); ſeminis excretionem moderatam ſanitati conducere, retentionem diuturniorem non parum damni afferre, certum non eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero cum ſemen a natura generetur ſobolis procreandæ, conſequenter ſpeciei conſervandæ cauſa; pro excremento haberi nequit, quod ab utilibus corpori conſervando deſtinatis tanquam inutile, aut prorſus noxium ſit ſecernendum: id quod etiam unanimiter affirmant omnes, ut, nemine contradicente, ſumi poſſit. Et, ſi vel maxime quis foret, qui contrariam ſententiam amplecteretur; exemplo tamen caſtratorum refutari poterat, qui propterea non fiunt vale-

Digitized by Google

valetudinarii, aut certis quibusdam morbis obnoxii, quod ab ipſorum ſangvine, deficientibus teſtibus, nullum ſemen ſecernatur, ſed quod in aliis ſecernitur, ſangvini permixtum maneat. Ex adverſo autem hodie per experimenta anatomica ſatis exploratum eſt, ſemen e teſtibus regredi in ſangvinem & per proprias venulas reſorbtum per totum corpus iterum diſpergi, & ablatis teſticulis viro bene valenti, corpus totum mutari in ſpeciem impuberis, ita ut barba cadat, vox fœminina fiat, affectus animi alii, quam antea dominentur. Quamobrem nulla ratio ſuadet, cur ſeminis diuturniorem retentionem corpori multa damna afferre putemus, ſed contrarium potius verum videtur. Atque hoc convenientius quoque videtur autori naturæ Deo, qui lege naturæ nos obligat, ad ſemen non excernendum, niſi ſobolis procreandæ gratia (§. 239. *part. 7. Jur. nat.*), cumque educatio a generatione ſeparari minime debeat (§. 265. *part. 7. Jur. nat.*), non omnes, qui potentia generandi gaudent, & quamprimum eam conſecuti ad matrimonium contrahendum obligat (§. 271. *part. 7. Jur. nat.*), per quod genus humanum propagari debet (§. 269. 270. *part. 7. Jur. nat.*). Obligat vero nos etiam Deus ad ſanitatis conſervationem (§. 393. *part 1. Jur. nat.*), ideoque jus dat ad ea, ſine quibus ſanitas conſervari nequit (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo excretio ſeminis ſanitati conduceret, atque diuturnior ejus retentio haud parum damni eidem afferret; jus nobis eſſet ſanitatis conſervandæ cauſa ſemen excernere, quamvis non intendi poſſet procreatio ſobolis, conſequenter venus moderata etiam extra matrimonium non foret illicita (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi iſtiusmodi contradictiones concoquere minime poſſimus, præſertim cum Deus contradictoria velle nequeat (§. 345. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque

que nec natura, cujus autor eſt (§. 822. *part. 1. Theol. nat.*), eas ferat; eidem, ſi præſertim animum attendat ad rationes, quas a natura & eſſentia corporis humani petitas in medium attulimus, minime probabile videbitur, ſecretionem ſeminis ſanitati conducere, diuturniorem vero ejus retentionem plurimum damni afferre, conſequenter contraria ſententiâ potius videbitur veriſimilior, ſi probabilitate ſit ſtandum. *Quod erat alterum.*

Communem eſſe opinionem diæteticam, quod moderata ſeminis excretio ſanitati hominis conducat, diuturnior vero ejus retentio non parum damni afferat, non opus eſt ut multis teſtimoniis confirmetur. Evolvenda enim tantummodo ſunt ſcripta Medicorum, ubi de excretis & retentis agunt. Videbis vero etiam, nihil afferri, quod vel demonſtrationis a priori, vel a poſteriori ſpeciem habeat, modo quid ſit demonſtratio noveris. Ita e. gr. *Timæus* von Güldenklee in Conſilio diætetico part. 1. c. 6. ſeminis excretio moderata, inquit, calorem nativum excitat, ſenſus ſpiritusque exhilarat, membra levat animique tollit ægritudines: aſt num ita ſeſe revera habeant, cum nude aſſerantur, nondum exploratum, nedum demonſtratum eſt. De damnis vero, quæ afferre debet diuturnior ſeminis retentio nihil in particulari dicit. Et quamvis *Sennertus* Inſtit. Medic. lib. 4. part. 1. c. 8. affirmet, ſemen intempeſtive retentum corporis totius gravitatem & torporem inducere, nulla tamen ratione id confirmatur, ſed nude aſſerenti fides habenda, ſi quis credere voluerit. Cui ideo non ſufficit ad probabilitatem adſtruendam, quod artifici in arte ſua credendum ſit; is ne quidem probabile, nedum certum exiſtimabit, quod de excretione ſeminis ſalutari, retentione diuturniori damnoſa dicitur. Si ſeminis diuturnior retentio ſanitati nocet, ejus excretione ſaltem avertuntur damna, quæ retentum affert. Quamobrem commoda, quæ affert, ex motibus ad excernendum neceſſariis, aut

aut ad actus ceteros venereos excretionem comitantibus derivanda essent. Quoniam vero concubitus cito absolvitur, non apparet, quomodo motus isti in se salutares per modum nimii nocere possint, si vel quotidie repetantur, nisi statim repetito coitu vel facta excretione seminis continuato naturæ vim inferas, ut hæc demum nimia dici possit. Videtur autem per nimiam excretionem seminis intelligi, quæ fit nimis frequente coitu, cum ad moderatum veneris usum commendentur certa anni tempora, alia vero damnentur. Ita constat *Celsum* venerem vere tutissimam, hieme non perniciosam, æstate & autumno inutilem judicare ac inprimis suadere, ut æstate in totum abstineatur, lib. 1. c. 3. p. 33. 34. Quæ contra probabilitatem sententiæ, quam impugnamus, afferuntur argumenta, talia omnino sunt, quæ haud paucis sufficientia videbuntur ad contrariæ certitudinem evincendam. Regressus seminis in sanguinem hodie vix in dubium vocabitur, postquam per experimenta anatomica detectæ sunt viæ regressus, quæ legi possunt in Notis ad *Bærhavii* Prælectiones academicas ab illustri viro *de Haller* cum notis suis editas Tom. V. part 1. p. 327. Legi quoque merentur, quæ *Bærhave* de resorbitione seminis tradit loc. cit. p. 443. *& seqq.* Quodsi demus, dari exempla nonnulla eorum, qui, retento semine, incommoda quædam perpessi sunt; valde vereor, ne alii causæ tribuendus sit effectus, qui retentioni seminis tribuitur. Difficile omnino est causas omnium, quæ in corpore humano accidunt, detegere, cum non solum structura ejus quoad minima intime perspecta esse debeat, verum etiam cognita præsupponantur, quæ a rebus non naturalibus in conservationem corporis ejusque immutationem continuo influentibus dependent, longa admodum serie comprehensa. Status nimirum præsens dependet a præcedentibus, sine quibus prævіis is non exiturus fuisset (§. 89. *Cosmol.*). Facillime igitur contingit, ut in assignanda causa aberremus. Nulla omnino consequentia est: Sempronius diu retento semine hæc incommoda expertus est. Ergo

go ipſorum cauſa eſt retentio ſeminis. Quamvis enim cauſa alia non appareat, cum ex modo dictis ſatis intelligatur, adeſſe poſſe cauſas, quæ non apparent, non tamen retentio ſeminis ideo cauſa dici poteſt, immo non aliis accedentibus ulla probabilitate hoc aſſeritur. Quodſi retentio ſeminis ſanitati corporis noceat, omnes omnino in cælibatu viventes aut ab uxoribus longiori temporis ſpatio abſentes, bene tamen valentes, certe non aliis infirmitatibus obnoxii, quam quibus obnoxii fiunt in matrimonio viventes, veneris illicitæ rei eſſent. An vero non nimis durum videatur hujus ſceleris promiſcue omnes coarguere, aliorum eſto judicium. Videmus animalia, quæ nullum ſemen emittunt, nec tamen ulla incommoda ſentiunt. Quidni ideam quoque in homine eodem modo ſeſe habere debet, cujus corpus hac in re a corpore animalium minime differt? Ceterum maximum omnino pondus habet argumentum morale, quod a lege naturæ, cujus ratio ſufficiens in ipſa natura humana continetur, deſumitur, cum pro conceſſo habendum ſit, nullas dari in tota rerum natura contradictiones, nec naturæ legem contradictoriis implicari.

§. 331.

An ſcortationem & maſtuprationem modicam excuſet ſanitatis conſervandæ cura.

Quoniam certum non eſt, immo ne probabile quidem videtur ſeminis excretionem moderatam ſanitati conducere, retentionem vero diuturniorem non parum damni afferre (§. 330.), *ſcortationem & maſtrupationem modicam non excuſare licet, quod ſanitatis conſervandæ cauſa fiat.*

Notum eſt apud antiquiſſimas gentes valuiſſe hanc opinionem, quod fornicatio non ſit illicita. Sane ſcortatio & olim fuit, & hodienum eſt in uſu apud Sinenſes, quamvis ſeveros morum cenſores, ita ut lenones tolerentur, nec lenocinium turpiſſimum pro crimine habeatur, nedum pro vitio (*not. §. 365. part. 1. Jur. nat.*). Legimus in ſacris Gen. XXXVIII.

15.

Digitized by Google

15. *& ſeqq. Judam*, filium *Jacobi* Patriarchæ, cum *Thamare*, quam meretricem eſſe putabat, in via publica coitum celebraſſe, conventa mercede. Nec ipſum fornicationis pudebat, cum enim promiſiſſet hœdum pro concubitu & pro arrha dediſſet annulum, armillam & baculum, per paſtorem ſuum hœdum mittebat meretrici tradendum, ut pignus reciperet. Hinc omnino patet, tempore iſto fuiſſe meretrices, quæ pro conventa mercede promiſcue cuicunque uſum corporis ſui concedebant, ſcortationes in via publica fuiſſe moris, nec eas ſibi dedecori duxiſſe viros honeſtos. Ecquis ex his moribus non colligat, ſcortationem licitam tunc temporis viſam fuiſſe. Lubens equidem concedo, propterea pro licita eam habitam non fuiſſe, quod moderata venus conducat ſanitati, ſed quod putaretur, voluptate venerea frui non minus licitum eſſe, quam cibo ac potu, qui bene ſapit, hilarare ſenſum. Quodſi tamen ſumatur, excretionem ſeminis moderatam ſanitati conducere, ex adverſo retentionem plurima damna afferre, tanto facilius quis ſibi perſuadebit, Deum non invidere homini voluptatem, quæ ex coitu percipitur, ſi ſanitatis conſervandæ & damnorum avertendorum cauſa celebratur, cum ipſe velit ut ſanitatem conſervare & omne damnum a corpore avertere ſtudeamus. Cum igitur agnoſcamus, fornicationem eſſe illicitam, omnemque ſeminis excretionem quomodocunque factam non animo ſobolem procreandi; quam ſit neceſſe eſt, ne nobis aliisque perſuadeamus, excretionem ſeminis moderatam ſanitati conducere, nec ſine damno retineri poſſe. Non ſufficit addere cum *Timæo de* Gildenklee excretionem ſeminis licitam eſſe debere, ut nimirum maritus ſaltem rem habeat cum uxore: neque enim excretio ſeminis ſanitati conducere putatur, quia licita, ſed quia actu fit, nec ſine damno ſemen retineri poſſet. Excretio ſeminis effectum ſuum ſortitur in corpore, quatenus ſpectatur tanquam actus phyſicus, qui idem eſt, ſive ſemen ejiciatur in coitu cum uxore, ſive cum meretrice, aut quocunque modo alio. Venus illicita demonſtrata eſt, ideoque

19 Many are the afflictions of the righteous:
but the LORD delivereth him out of them all.
20 He keepeth all his bones:
not one of them is broken.
21 Evil shall slay the wicked:
and they that hate the righteous shall be desolate.
22 The LORD redeemeth the soul of his servants:
and none of them that trust in him shall be desolate.

PSALM 35

A Psalm of David.

1 Plead my cause, O LORD, with them that strive with me:
fight against them that fight against me.
2 Take hold of shield and buckler,
and stand up for mine help.
3 Draw out also the spear, and stop the way against them that persecute me:
say unto my soul, I am thy salvation.
4 Let them be confounded and put to shame that seek after my soul:
let them be turned back and brought to confusion that devise my hurt.
5 Let them be as chaff before the wind:
and let the angel of the LORD chase them.
6 Let their way be dark and slippery:
and let the angel of the LORD persecute them.
7 For without cause have they hid for me their net in a pit,
which without cause they have digged for my soul.
8 Let destruction come upon him at unawares;
and let his net that he hath hid catch himself:
into that very destruction let him fall.
9 And my soul shall be joyful in the LORD:
it shall rejoice in his salvation.
10 All my bones shall say, LORD, who is like unto thee,
which deliverest the poor from him that is too strong for him,
yea, the poor and the needy from him that spoileth him?
11 False witnesses did rise up;
they laid to my charge things that I knew not.
12 They rewarded me evil for good
to the spoiling of my soul.
13 But as for me, when they were sick, my clothing was sackcloth:
I humbled my soul with fasting;
and my prayer returned into mine own bosom.
14 I behaved myself as though he had been my friend or brother:
I bowed down heavily, as one that mourneth for his mother.
15 But in mine adversity they rejoiced, and gathered themselves together:
yea, the abjects gathered themselves together against me,
and I knew it not;
they did tear me, and ceased not:
16 With hypocritical mockers in feasts,
they gnashed upon me with their teeth.
17 LORD, how long wilt thou look on?
rescue my soul from their destructions,
my darling from the lions.
18 I will give thee thanks in the great congregation:
I will praise thee among much people.
19 Let not them that are mine enemies wrongfully rejoice over me:
neither let them wink with the eye that hate me without a cause.
20 For they speak not peace:
but they devise deceitful matters against them that are quiet in the land.
21 Yea, they opened their mouth wide against me,
and said, Aha, aha, our eye hath seen it.
22 This thou hast seen, O LORD:
keep not silence:
O Lord, be not far from me.
23 Stir up thyself, and awake to my judgment,
even unto my cause, my God and my Lord.
24 Judge me, O LORD my God, according to thy righteousness;
and let them not rejoice over me.
25 Let them not say in their hearts, Ah, so would we have it:
let them not say, We have swallowed him up.
26 Let them be ashamed and confounded together that rejoice at mine hurt:
let them be clothed with shame and dishonour that magnify themselves against me.
27 Let them shout for joy, and be glad,
that favour my righteous cause:
yea, let them say continually, Let the LORD be magnified,
which hath pleasure in the prosperity of his servant.
28 And my tongue shall speak of thy righteousness
and of thy praise all the day long.

continere debet, ſi plus chyli in ſangvinem invehitur, quam ſi parcius, conſequenter ſi cibo ac potu copioſiori utaris, modo ventriculus bene concoquat, quod jam ſupponitur, etiam quantitati. Quamobrem ne nimium ſeminis generetur, a cibo ac potu nimio abſtinendum. *Quod erat unum.*

Conſtat non omnia alimenta æque nutrire corpus noſtrum, ideoque ſi eadem quantitate aſſumantur, ex digeſtis non eandem quantitatem chyli abſorberi. Quamobrem cum major chyli in ſangvinem invecti quantitas majorem ſemini generando materiam præbeat, niſi per corporis conſtitutionem aliter, ut in nutritionem corporis impendatur, a quo in præſenti abſtrahimus; vel inde conſtat, quosdam cibos ac potus ad ſeminis generationem magis conducere, quam alios. Laudantur autem in ſpecie quoque cibi quidam, qui ad ſemen copioſum generandum faciunt, veluti amygdalæ, oryza, pineæ, ova ſorbilia, carnes vitulinæ, hœdinæ, vervecinæ, gallinarum, perdicum, phaſianorum, oſtreæ, teſtudines, ficus, piſa, fabæ, ciceres, caſtaneæ, nuces avellanæ, dactyli, allium, cœpæ, radices aſparagi, paſtinacæ. Videatur *Sennertus* Medic. pract. lib. 3. part. 9. ſect. 2. c. 1. Quamvis vero non ſatis conſtet, quomodo virtus, quæ cibis iſtis tribuitur, fuerit explorata, & in quantum nudis aſſertionibus fides ſit habenda; in dubio tamen, etſi quis ſcrupuloſior fuerit, ſequendum tamen eſt quod tutius. Quamobrem ne nimium ſeminis generetur, abſtinendum inprimis eſt a nimio cibo ac potu, qui ad ſemen copioſum generandum conducit. *Quod erat alterum.*

In generatione ſeminis conſideranda eſt materia, ex qua ſemen generatur, & fabrica organorum, quibus elaboratur. Immo etiam attendenda eſt reliqua corporis conſtitutio, cum

conſtet materiam, quæ ad generationem ſeminis apta, alium in uſum etiam impendi poſſe. Ita non modo conſtat, animalia caſtrata, in quibus ſemen generari nequit, pingveſcere; verum etiam in hominibus pingvibus & obeſis non multum ſeminis generari, ut dudum dixerit *Plinius* Nat. hiſt. lib. 11. c. 31. ſteriliora eſſe cuncta pingvia & in maribus, & in fœminis. Et quoniam in animalibus caſtratis ipſa quoque caro mutatur, & hominum caſtratorum corpora reſtituuntur eidem ſtatui, qualis erat ante pubertatem; inde omnino liquet, non in ſolam pingvedinem, ſed in alios adhuc uſus impendi materiam generationi ſeminis deſtinatam. Aſt cum in præſenti quæſtio ſaltem ſit de nimia ſeminis copia, materiæ ſeminis in alios uſus impenſæ nulla habenda ratio eſt. Et quoniam in fabricam organorum nulla nobis poteſtas eſt; ſola materiæ quantitas, quatenus in cibo ac potu capiendo arbitrium regnat, a nobis dependet, conſequenter quicquid a nobis conferri poteſt, ne nimia ſeminis copia generetur, ad cibi ac potus quantitatem & qualitates redit. Supponimus autem abſtinentiam ab immoderata venere, ne forſan dicas, eandem materiam ſeminis plus attrahi a partibus generationi ejus deſtinatis, quam alias fieret, utut nec hoc attendendum ſit in præſenti, cum venus immoderata potius in cauſa ſit, ut ſemen deficiat, quam ut abundet. Quia ſemen regreditur in ſangvinem, nimia ejus quantitas cenſetur, ſi major ſit copia, quam quæ a ſangvine reſorberi poſſit, ut ideo excernendum ſit, nec retineri poſſit, niſi damnum inferre velis corpori. Ex reſorbitione vero ſeminis ſanitati nullum afferri damnum, caſtratorum exempla docent. Non diffiteor, ſi quis theoriam nimiæ generationis ſeminis condere vellet, ut certo conſtaret, utrum hi, vel iſti cibi, aut potus in hoc vel iſto ſubjecto nimium ſemen generent, nec ne; eum aggreſſurum opus tam arduum atque difficile, quod non ſit unius hominis, etiamſi arte obſervandi, experimentandi & inveniendi excellat: cum tamen in Ethica præſupponenda eſſet hæc theoria, ſi vel maxime præſta-

præſtaret, nemo imperfectioni ſcientiæ noſtræ tribuat, quod careat ſubſidiis, quæ aliunde expectare debet. Quamobrem nobis ſufficit, ut in dubio, dum ex dubitationum fluctibus emergere nobis non datur, quemadmodum jam ſupra inculcavimus, cum de diæta ageremus, cujus theoriæ partem facit quæſtio de generatione quantitatis nimiæ ſeminis non ſine periculo retinendæ, innumeras alias in ſinu ſuo fovens, in quas reſoluenda, ſi quidem accurate decidenda, ſequamur quod tutius, quantum nobis datur: id quod etiam in præſenti urgemus. Obſervanda itaque eſt diæta, quantum nobis datur, ne noſtra culpa in generatione ſeminis inſit aliquod vitium: cetera relinquenda providentiæ divinæ. Atque ita patet, quomodo diæta influat in caſtitatem, cui omnis ſeminis excretio adverſatur, quæ non ſit ſobolis procreandæ cauſa. Sicuti ſatis exploratum eſt, Bachum & Cererem eſſe multorum morborum genetrices, quibus careret genus humanum, niſi ipſis litaret; ita non minus conſtat, idola hæc generis humani, quæ omnium maxime colunt gentes alias cultiores, fovere libidinem, ut in proverbium dudum abierit, ſine Bacho & Cerere frigere Venerem. Expendenda quoque hic foret quæſtio, annon natura ipſa veluti ſua ſponte ejiciat ſemen, quod nimium eſt, ita ut excretionem ſeminis, quæ *nocturna pollutio* dici ſolet, nulla præcedat laſciva cogitatio, aut ſomnium laſcivum inde pendens, ut nocturna pollutio nobis imputari non poſſit (§. 541. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſed facile patet, eam pertinere ad theoriam de nimia ſeminis generatione, quæ adhuc in deſideratis eſt. Diſcimus hinc & ex aliis bene multis humanam conditionem non admittere, ut homo ſit ab omni labe prorſus immunis, nec actiones ipſius ne minima quidem parte a rectitudine deficiant. Non tamen inutile eſt, ut iſtiusmodi difficultates, quæ nobis offeruntur in praxi morali, quamvis inſuperabiles videantur, agnoſcamus: efficit enim ſtudium virtutis ardentius & contra arrogantiam ac ſuperbiam firmum præſidium præſtat, inprimis etiam prodeſt, ut multa oracula divina

vina intimius perſpiciamus, quod facile demonſtrare poteramus, ſiquidem conſenſum ſcripturæ cum philoſophia morali, quam tradimus, oſtendere nobis propoſitum eſſet: id quod aliorum induſtriæ relinquimus, quibus præivimus in parte prima Theologiæ naturalis, ut conſtet, quid in hoc negotio ſit obſervandum.

§. 333.

De turpitudine intrinſeca pæderaſtiæ & Sodomiæ.

Pæderaſtia & Sodomia contra naturam humanam ſunt. Etenim natura homines aptos fecit ad ſobolem procreandam, ut genus humanum conſervetur, quemadmodum videmus ſpeciei quoque conſervationem intendi per uſum membrorum genitalium in brutis, & lex naturæ vult, ut homines ſobolem procreent (§. 239. *part. 7. Jur. nat.*), ſicque genus humanum conſervetur, etſi ſingulis hominibus ſit moriendum. Enimvero conſtat, ſobolem non procreari niſi per concubitum maris cum fœmina, quibus diverſa organa eo fine conceſſa, quorum functionibus conjunctim efficitur, quod a perſona unius ſexus fieri non poterat. Quamobrem cum per concubitum maris cum mari, aut hominis cum bruto genus humanum propagari & conſervari nequeat, præderaſtia vero ſit concubitus maris cum mari (§. 245. *part. 7. Jur. nat.*), & ſodomia concubitus hominis cum beſtia (§. 244. *part. 7. Jur. nat.*); pæderaſtia & ſodomia contra naturam humanam ſunt.

Repugnantia horum flagitiorum cum natura humana adeo manifeſta eſt, ut eam hominibus perſuadere non potuerit niſi extrema veneris laſcivia & furioſa libido, quarum illa voluptati venereæ modum ponere noſcit, hæc mentem omnem amovet. Obſervavimus jam alias (*not.* §. 245. *part. 7. Jur. nat.*), pæderaſtiæ crimen olim Græcis atque Romanis admodum familiare fuiſſe, quemadmodum etiam teſta-

teſtatur Apoſtolus, Rom. I. 27. ita ut ipſe *Socrates* ejusdem reus feratur. Nimirum conſtat, ut voluptatis percipiendæ tantummodo cauſa concubitus appetatur, olim non ad actus illicitos relatum fuiſſe: neque enim alia de cauſa fornicatio pro re maxime licita habita fuit (*not.* §. 331.), ut ideo *Terentius* confidenter admodum dixerit: Non eſt flagitium, crede mihi, adoleſcentulum ſcortari. Quamobrem cum homines voluptuoſi avidis voluptatis libidinibus temere & effrenate ad potiundum incitentur, nova voluptatis genera, aut novos potiundi modos invenire ſtudent. Quibus vero licitum videtur, ut voluptas venerea per ſe appetatur, conſequenter hujus tantummodo percipiendæ cauſa ſemen excernatur; iis perinde videtur, ſive hoc, ſive alio modo fiat, quo non committitur injuria in alterum, qua de cauſa fornicatio quoque mercenaria prorſus innocens viſa, & eidem flagitia magis abominanda prælata fuerunt. Immo id unicuique maxime conveniens viſum, in quod ipſum traxit voluptas ſua. Quodſi putetur nimis diuturniorem retentionem ſeminis ſanitati nocere, moderatam excretionem conducere; tanto pronior erit appetitus in iſtiusmodi ſcelera, quæ contra naturam ſunt. Conſtat vero opiniones communes, quæ a prima pueritia imbibuntur, & altas in mente hominum radices agunt, non examinari, ubi ad maturiorem ætatis uſum perventum eſt, ut verum a falſo diſcerni poſſet, ſed absque ullo examine pro vero haberi. Quamobrem non eſt quod miremur, *Socratem*, quamvis alias virtutis ſtudioſiſſimum, crimine pæderaſtiæ ſe polluiſſe. Diſcamus itaque hinc, quam ſit periculoſum in moralibus admittere opiniones nondum ſatis diſcuſſas, & patriis vivere moribus, quos ratio non commendat. Ceterum hæc quæ diximus de modo, quo error unus de illicita venere conſequitur ex alio, non repugnant iis, quæ initio dicta ſunt de cauſſis pæderaſtiam & ſodomiam ſuadentibus. Flagitiorum enim inventores non eodem loco habendi ſunt, quam qui ſine examine patrios ſequuntur mores, quamvis ſceleſtos, neque voluptuoſi ex ſumtis principiis colligunt ratiocinando

novos voluptatis percipiendæ modos, ſed ferente ſic occaſione affectuum impetu in eos abripiuntur, quamvis falſis ratiociniis eosdem deinceps defendant, ſi eos impugnari contingat, aut animum in ſententia ſua confirment, ſi hæſitare incipiat, ac eisdem tribui queat, ut ſcelus inventum latius ſerpat, nec quaſi in ortu ſupprimatur.

§. 334.

Motivum fugiendi pæderaſtiam & ſodomiam.

Quoniam pæderaſtia & ſodomia contra naturam humanam eſt (§. 333.); *Qui naturæ ſuæ convenienter vivendi ardore flagrat, ei repugnantia pæderaſtiæ & ſodomiæ motivum fugiendi ſcelus utrumque præbet.*

Naturæ ſuæ convenienter vivere idem eſt ac vivere vitam homine dignam, conſequente non facere, quod ipſum dedecet. Ut quis ardore naturæ ſuæ convenienter vivendi flagret, ei ſeria eſſe debet voluntas ſervandi legem naturæ, conſequenter etiam voluntas ſeria eandem non transgrediendi, atque agnoſcere, quod naturæ noſtræ convenienter vivamus, ſi actiones noſtras legi naturæ convenienter determinemus, cum hæc ipſa lex rationem ſufficientem in eſſentia & natura humana agnoſcat (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo originem legis naturæ intime perſpiciamus, ut pro certo habeamus eam præſcribere modum, quo vitam homine dignam vivimus; quo ardentius fuerit ſtudium actiones ſuas legi naturæ conformandi, eo major quoque erit ardor naturæ ſuæ convenienter vivendi. Quodſi ergo cognoſcamus, pæderaſtiam & ſodomiam eſſe contra humanam naturam, id ipſum motivum ſcelus utrumque fugiendi ſatis efficax erit. Equidem non dubito fore haud paucos, qui parum efficaciæ tribuant ſuæ huic motivo; eorum tamen opinio parum me movet. Etenim hi ſunt, qui nunquam ſatis perpenderunt, quid ſit homo & quantum dedeceat vivere vitam homine indignam. Quantum valeat opinio faciendi quod ſe de-

ſe deceat & quantum pudeat facere, quod ſe dedeceat, niſi quis omnem pudorem exuerit, abunde conſtat ex obſervatione morum, quibus ſaltem opinio hominum decorum, vel indecorum affinxit, ſeu quos decere, vel dedecere communis hominum fert opinio. Quodſi ergo eadem opinio invaleſceret de vita homine digna, vel indigna, & a primis unguiculis animis tenellis ingigneretur; nulla ſane eſt ratio, cur non æque efficaciter movere deberet facultatem appetendi, vel averſandi. Qui vero certo agnoſcit, quænam vivendi ratio hominem deceat; eidem tandundem, immo plus valet ſcientia, quam præjudicata opinio, quæ ſine examine admiſſa retinetur. Ceterum negandum non eſt, motivum, de quo nobis ſermo eſt, maxime valere apud eos, qui gloria ducuntur (§. 401. 402. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi objicias, amare eruditos ferram contentionis reciprocantes mores inconditos, qui tamen recte ſentientium judicio ipſos maxime dedecent; haud difficilis eſt reſponſio. Etenim non agnoſcunt, eruditum dedecere iſtiusmodi mores, quin potius contraria opinione imbuti gloriæ hoc ſibi ducunt, quod, ut loqui amant, alterum egregie depexum dederint, erraſſe autem erudito maxime indignum judicant.

§. 335.

De influxu curæ animæ in fugam illorum flagitiorum.

Quoniam qui naturæ ſuæ convenienter vivendi ardore flagrat, ideoque vivere vult, quemadmodum hominem decet, ei repugnantia pæderaſtiæ & ſodomiæ motivum fugiendi utrumque flagitium eſt (§. 334.), qui vero curam animæ habet, ſollicitus eſt, ut perſonam ſibi impoſitam, ideoque etiam perſonam omnibus hominibus communem, recte gerat (§. 152.), ideoque vivat, quemadmodum hominem decet; *Qui curam animæ habet, ei motivum eſt fugiendi pæderaſtiam & ſodomiam utriusque flagitii repugnantia cum natura humana.*

Propoſitionem hanc addimus, ut tum nexus eorum, quæ ad praxin moralem ſpectant rectius appareat & ad eum obſervandum attentio excitetur, nimis enim prolixum foret, ſi eundem ubivis oſtendere vellemus; tum ut manifeſtum evadat, unde motivum, cui parum efficaciæ tribuitur ab iis, qui non ſatis idem expendere norunt, vim ſuam accipiat, & quænam ſit ratio, cur eandem in ſe non experiantur. Qui ea conſiderat, quæ homini perpendenda ſunt, ut perſonam hominis recte gerat, (*not.* §. 17.); motivum præſens non adeo vili pendet, quemadmodum ipſi videtur, quamdiu ignorat, qualis perſona homini ſit impoſita & quantum interſit, ut eam recte gerat. Non judicandum eſt niſi re integra perſpecta. Motivorum efficacia præſupponit appetitum per alias cauſas ad eorum vim recipiendam diſpoſitum. Hæc ipſa autem diſpoſitio ſucceſſive acquiritur, ſi in voluntate perficienda & emendanda juſto ordine progrediamur, quemadmodum in ſyſtemate philoſophiæ moralis præcipitur.

§. 336.

Remedium timentis Deum contra venerem illicitam & omnem abuſum corporis.

Qui Deum timet, ab omni illicita venere abſtinebit, ſi perpendit, Deum eſſe dominum, ſe ſaltem uſuarium genitalium ſuorum. Idem valet in genere de vitando abuſu membrorum corporis quorumcunque. Qui enim perpendit, Deum eſſe dominum (§. 375. *part. 1. Jur. nat.*), ſe ſaltem uſuarium genitalium ſuorum (§. 378. *part. 1. Jur. nat.*), cum dominium conſiſtat in jure de re ſua pro arbitrio diſponendi (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*), uſuario vero non competat niſi jus eadem utendi (§. 377. *part. 1. Jur. nat.*), quale nimirum dominus, a quo jus ſuum habet, ipſi conceſſit; is agnoſcit, ſe non uti poſſe membris genitalibus, quemadmodum ſibi viſum fuerit, ſed quemadmodum vult Deus. Enimvero Deus vult, ut nonniſi ſobolis procreandæ (§. 239. *part. 7. Jur. nat.*), non vero ſolius voluptatis cauſa coitum appetamus (§. 240. *part. 7. Jur. nat.*), & ab

& ab omni actu venereo, quo non intenditur aliud, quam ut voluptas inde percipiatur, abſtineamus (§. 246. *part. 7. Jur. nat.*). Quoniam itaque ejus animum, qui Deum timet, tenet ſollicitudo nil quicquam faciendi, niſi quod voluntati divinæ convenit (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); qui Deum timet, coitum non appetit niſi ſobolis procreandæ, non vero ſolius voluptatis percipiendæ cauſa, & ab omni actu, quo non intenditur aliud, quam voluptas venerea, abſtinet. Quamobrem patet, ſi, qui Deum timet, perpendit, Deum eſſe dominum, ſe ſaltem uſuarium genitalium ſuorum, eum ab omni illicita venere abſtinere. *Quod erat unum.*

Cum eadem demonſtratio ſubſiſtat, ſi de quocunque alio membro corporis noſtri ſermo fuerit; palam quoque eſt, ſi, qui timet Deum, perpendit Deum eſſe dominum, ſe ſaltem uſuarium membrorum corporis ſui, eum omnem abuſum membrorum corporis ſui quorumcunque vitaturum. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus jam ſuperius (§. 296.), ſi membris corporis voluntati divinæ convenienter uti velimus, perpendendum nobis eſſe, quod non ſimus domini, ſed ſaltem uſuarii membrorum corporis. Ex præſenti autem propoſitione patet, ut id velimus, præſupponendum eſſe timorem Dei filialem. Timor Dei filialis hominem impellit ad obedientiam (§. 326. *part. 3. Eth.*), & ex amore Dei naſcitur (§. 317. *part. 3. Eth.*). Quamobrem in rectum uſum membrorum genitalium & vitandum abuſum, conſequenter in abſtinentiam a venere illicita cum timore Dei filiali influit obedientia & amor Dei, quando conſideratione juris in membris genitalibus a Deo nobis conceſſi appetentiam veneris moderamur. Velim hæc applicentur ad ea, quæ modo de efficacia motivorum annotavimus (*not.* §. 335.). Si quis caret timore Dei filiali, ideoque etiam amore Dei, nec animum obediendi Deo adhuc habet;

bet; fruſtra urgebis, Deum eſſe Dominum, te ſaltem uſurium membrorum genitalium, præſertim ſi pugnandum adverſus cupiditatem voluptatis venereæ ad libidinem illecebram. Enimvero ſi appetitus jam fuerit prædiſpoſitus per amorem & timorem filialem Dei atque obedientiam eidem præſtandam, remedium hoc contra venerem illicitam maximam efficaciam habebit, eritque hæc eo major, quo magis ardet amor & quo major fuerit timor Dei, ſtudiumque obediendi Deo acrius. Qui animum obediendi Deo perfecit, lege divina delectatur, eandemque caram habet (§. 190. *part. 3. Eth.*), &, ſi obedientia Deo debita cum virtutibus ceteris conjungitur, appetitus & averſatio redditur fortior, voluntas & noluntas conſtantior, ſtudiumque virtutum ceterarum facilitatur, ut & acquirantur, & conſerventur facilius (§. 193. *part. 3. Eth.*). Hinc igitur remedium quoque contra venerem illicitam vires acquirit. Hæc probe perpendenda ſunt, ut intelligamus, unde vim ſuam habeant motiva in caſibus datis, ne nimis præcipitanter ea rejiciamus, aut ne parum efficaciæ iisdem tribuamus, pretium iisdem ſtatuentes ex eo, quod in nobis experimur, dum verba ſaltem ſenſu percipimus & in notionibus confuſis, per quas ea intelligere nobis videmur, ſubſiſtimus, & ut cognoſcamus, cur unum idemque motivum, vel remedium non ejusdem efficaciæ deprehendatur in omnibus, ſicuti nec idem remedium valet adverſus eundem morbum corporis, propterea quod non omnia corpora eodem modo diſpoſita ſunt.

§. 337.

An ſola abſtinentia a venere illicita ſit ſignum caſtitatis.

Qui a venere illicita ſeſe abſtinet, eundem tamen adhuc concupiſcit; caſtus non eſt. Caſtitas enim virtus eſt, qua non appetitur concubitus niſi ſobolis procreandæ (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque non ſolius voluptatis percipiendæ cauſa §. 239. *part. 7. Jur. nat.*), immo ejus cauſa nullus actus venereus appetitur (§. 246. *part. 7. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil.*

Phil. pract. univ.). Quoniam itaque habitus voluntatis eſt (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*), ut ſis caſtus, neceſſe eſt, ne venerem illicitam appetas, ideoque ab ea abſtineas, quia eandem averſaris. Quodſi ergo a venere illicita te quidem abſtines, eandem tamen adhuc concupiſcas, ita ut eadem frui malles, modo non alia obſtarent; nondum caſtus es.

Oſtenditur etiam hoc modo. Quoniam caſtus ab omni venere illicita ſeſe abſtinet (§. 252. *part. 7. Jur. nat.*), cumque caſtitas virtus ſit (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*), cum gaudio hoc facit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque animum caſtum conſervare vult (§. 279. *part. 2. Eth.*); ideo fieri nequit, ut venerem illicitam appetat (§. 156. *part. 2. Eth.*). Quodſi quis ergo a Venere illicita ſeſe abſtinet, eandem tamen adhuc concupiſcit; is caſtus non eſt.

Poterat idem adhuc aliis modis oſtendi, veluti ex amore caſtitatis, cum omnis virtuti cuidam deditus eandem amet (§. 351. *part. 1. Phil. Pract. univ.*), conſequenter eadem delectetur (§. 657. *Pſych. empir.*), quæ delectatio augetur, ſi accedat animus obediendi Deo (§. 190. *part. 3. Eth.*). Habet hoc caſtitas commune cum omni virtute reliqua, ut actus externi, præſertim negativi, non ſint ſignum virtutis, Et demonſtratio propoſitionis præſentis eadem ſubſiſtit, ſi in genere demonſtrandum: *actum externum, qualis virtuti convenit, non eſſe ſignum virtutis, quamdiu appetitus, aut averſatio in contrarium adhuc propendet, vel finis non intenditur, qui legi naturæ convenienter intendendus fuerat.* Inde omnino eſt, ut metu pœnarum extorqueatur actus externus legi naturæ conformis, qualis ex habitu virtutis proficiſci debebat, non autem virtus, actiones ſuas legi naturæ ſua ſponte conformandi habitus (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & hypocritæ actiones externas legi naturæ conforment, etſi non habeant animum Deo obediendi, aut legem naturæ ſervandi

(§. 1161.

ALIT, *Alitus*, *Alitum*, *Alitu*, *Alitu*, *Alitum*, *Alitu*, *Alitu*, *Alitum*, *Alitu*, *Alitu

§. 339.

Qui verbis & factis libidinoſis adhuc delectatur, caſtus non eſt. Etenim verba & facta libidinoſa libidinem excitant, aut excitare valent (§. 250. *part. 7. Jur. nat.*). Enimvero qui caſtus eſt, omnem venerem illicitam odit (§. 338.), conſequenter ſollicitus eſt, ne cupidine voluptatis venereæ contaminetur animus (§. 311. *part. 2. Eth.*). Quamobrem fieri quoque nequit, ut verbis & factis libidinoſis delectetur. Quando igitur quis iisdem delectatur, id indicio eſt, eum caſtum non eſſe. *Signum caſtitatis deficientis.*

Habemus itaque ſignum caſtitatis deficientis. Quamvis enim fieri poſſit, ut, qui verbis & factis libidinoſis delectatur, a venere illicita ſeſe abſtineat, non tamen propterea deleta eſt concupiſcentia. Quamdiu vero hæc remanet, caſtitati locus non conceditur (§. 337.). Immo cum delicta carnis committantur in occulto; nec conſtat, eum ſeſe abſtinere a venere omni illicita, qui verbis & factis libidinoſis delectatur. Accedit, quod, qui verbis & factis libidinoſis delectantur, haud raro iisdem alios ad venerem illicitam incitare intendant, & verba iſtiusmodi proferant, ut alios, qui voluptate venerea capiuntur, delectent. Nulla igitur ratione defenduntur iſtiusmodi verba proferentes, quando idiomate patrio linguæ celeritas in excuſationem animi vertitur.

§. 340.

Qui caſtus eſt, verba & facta libidinoſa deteſtatur. Qui enim caſtus eſt, venerem illicitam odit (§. 338.). Quamobrem cum odium rerum inanimatarum tendat ad eas deſtruendas, aut e conſpectu noſtro removendas (§. 311. *part. 2. Eth.*); qui caſtus eſt, omnem venerem illicitam aboleri mallet, ſiquidem fieri poſſet, nec ferre poteſt, ut mentem ſubeat ejus cogitatio. Ferre igitur nequit verba & facta, *Signum caſtitatis.*

quæ ſunt veneris illicitæ incitamenta, ſed ea deteſtatur. Facta & verba, quæ libidinem, voluptatis venereæ percipiendæ cupidinem (§. 648. *part. 7. Jur. nat.*), excitant, facta & verba libidinoſa ſunt (§. 250. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem qui caſtus eſt, verba & facta libidinoſa deteſtatur.

Deteſtatione verborum & factorum libidinoſorum prodirur odium libidinis, quod cum foveat caſtitas, ea recte hinc colligitur. Poteſt quis verba & facta improbare; aſt inde nondum certo colligitur caſtitas, quia improbantis verba non proferuntur cum affectu. Aliæ nimirum dantur rationes, ob quas quis verba & facta aliena improbat, etiam non ſine indignatione, ſi vel maxime ipſe vitio iſti indulgeat. Sed in uſu ſignorum virtutis ſemper multa cautione & circumſpectione opus eſt, quando de virtute aliena judicandum, propterea quod iidem actus externi non ſemper pendent a voluntate, vel noluntate eodem modo determinata, ac inprimis in determinationem appetitus ſenſitivi & averſationis multa influunt, quorum cogitationem excitare nequeunt circumſtantiæ præſentes, quamvis acutiſſime obſerventur & ſolertiſſime ponderentur. Quoniam vero a virtute abeſſe nequit odium vitii, quod eidem opponitur (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod hic demonſtratur de caſtitate, idem valet de virtutibus quoque reliquis, modo notetur, ſi plura vitia, quæ ſimul in eodem ſubjecto dari nequeunt, veluti ſi unum opponitur in exceſſu, alterum in defectu, eidem virtuti opponantur, ex odio vitii unius, conſequenter etiam ex deteſtatione eorum, quæ ejus incitamenta ſunt, non poſſe colligi virtutem, quoniam fieri poteſt, ut alteri vitio ſit deditus, qui alterum odit, ideoque odium non procedat ex virtute.

§. 341.

An perceptio voluptatis

Legi naturæ non adverſatur, ut voluptas ex coitu percipiatur. Voluptas ex coitu percepta originem trahit ex tactu, quem-

admodum

admodum a posteriori constat. Originem igitur ducit a sensatione (§. 65. 73. *Psych. empir.*). Enimvero anima in sensationibus suis nihil immutare potest, nec unam alteri pro arbitrio substituere valet (§. 78. *Psych. empir.*), nec in potestate ipsius positum est, utrum sentire velit, nec ne, quando objectum sensibile in organum sensorium rite constitutum agit (§. 79. *Psych. empir.*). In hominis igitur potestate positum non est, num velit voluptatem ex tactu venereo percipere, an nolit. Quoniam igitur nemo obligari potest ad id quod impossibile (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.*); lege quoque naturali obligari non possumus, ne voluptatem ex tactu venereo percipiamus, consequenter eidem non adversatur, ut ex coitu voluptas percipiatur. *ex coitu legi naturæ adversetur.*

Dantur nonnulli, qui singularitatem pietatis affectantes obligationem hominis ad impossibilia extendunt, ac ideo quoque contendunt, perceptionem voluptatis ex tactu venereo legi naturæ adversari & per consequens peccatum esse (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Alii, qui impossibilitatis sibi conscii sunt, saltem naturæ corruptæ tribuunt, quod percipiatur. Immo utraque pars de voluptate, quam gustus cibi ac potus creat, idem statuit. Enimvero ignorant, quid sit natura humana, nec usum, quem habere potest ac debet ista voluptas, perspiciunt. Vide, quæ alias de voluptate venerea annotavimus (*not.* §. 240. *part. 7. Jur. nat.*) & de voluptate in genere passim demonstravimus & annotavimus in parte secunda Ethicæ. Quoniam voluptas ex tactu venereo percepta homini naturalis est, sicuti omnis delectatio sensualis reliqua; ea quoque extirpari nequit, sed ratio saltem eam moderari, non vero ipsa appetitum regere debet. Ita enim homo eadem fruitur naturæ humanæ convenienter, dum tactum venereum non per se appetit, sed speciei conservandæ causa, nec ea delectatur, nisi quatenus cum voluptate sinceriori ex conservatione speciei percepta, in quam multa influunt,

fluunt, quæ eandem intendunt, alio loco rectius explicanda, copulatur. Sane hoc modo voluptate venerea fruimur propter Deum, qui vult ut genus humanum conſervetur, & hac ipſa voluptate medium id conſervandi commendat. Quamvis itaque voluptas venerea plerumque impura ſit, nec adeo facile exiſtat, ut ab omni immunditia purgetur, ideoque impura voluptas appellari ſueverit; in ſe tamen impura non eſt, ſed influxu vitiorum in appetitum efficitur, ſicuti ex adverſo influxu virtutis ſervatur pura. Impura nimirum vocatur, quatenus animum efficit impurum (§. 599. *part. 2. Eth.*); dum nimirum per ſe appetitur & ideo multorum malorum genitrix ſit. Intelliguntur eadem de aliis voluptatibus corporis, quæ ſenſus hilarant.

§. 342.

An voluptas ex concubitu licito percepta ſit licita.

Quoniam legi naturæ non adverſatur, ut voluptas ex coitu percipiatur (§. 341.), caſtitas vero virtus eſt, qua non appetitur coitus, niſi ſobolis procreandæ cauſa (§. 251. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque appetitum circa voluptatem veneream legi naturæ convenienter moderatur (§. 252. *part. 7. Jur. nat.*); *caſtitati minime repugnat, voluptatem ex concubitu licito percipere.*

Perpendenda hic ſunt, quæ modo de puritate voluptatis venereæ & impuritate ejusdem annotavimus. Inde autem porro intelligitur, quale jus homini ad eandem competat. Prodeſt ſubinde, ut ad conſervandam ſpeciem concitetur, ſi quis ob alias cauſas minime juſtus a procreatione ſobolis abſtinere mallet. Quamvis enim tum facile contingere poterat, ut quis voluptatem veneream per ſe appeteret; caſtitas tamen appetitum refrænat, ne exorbitet.

§. 343.

§. 343.

Stupor, ſive *ſtupiditas* appellari ſolet abſtinentia a voluptatibus guſtum & tactum afficientibus, quantumvis licitis. Quoniam cibum ac potum ſolius voluptatis cauſa appetere non licet (§. 412. *part. 1. Jur. nat.*), neque etiam concubitum (§. 246. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque voluptatibus, quæ guſtum afficiunt, tantummodo frui licet, ſi cibus vel potus fuerit ſalubris (§. 411. *part. 1. Jur. nat.*), voluptatem vero veneream, ſi concubitus fuerit licitus (§. 342.), conſequenter nulla datur obligatio, qua voluptatibus iſtis frui tenemur; abſtinentia a voluptatibus guſtum & tactum afficientibus, quantumvis licitis, ideoque ſtupor legi naturæ non adverſatur. Quamobrem cum vitium non ſit niſi habitus actiones ſuas contraria ratione determinandi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); abſtinentia a voluptatibus guſtum & tactum afficientibus, quantumvis licitis, vitium non eſt, ſeu *ſtupor vitium non eſt.* Quodſi *ſtupor* fuerit *naturalis*, ut ſtupidus ſuavitatem cibi, vel tactus venerei non ſentiat, cum quod a libertate hominis nullo modo dependet, ipſi quoque imputari minime poſſit (§. 532. *part. 1. Jur. nat.*), *multo minus vitiis acceuſeri poteſt.* *De ſtupore.*

Ariſtotelici, qui, cum virtutem in mediocritate conſiſtere putarent, cuilibet virtuti vitium alterum in exceſſu, alterum in defectu opponebant, intemperantiæ quoque in eo, quem vocabulo tribuebant, ſignificatu acceptæ vitium in defectu opponere voluerunt. Facile apparet, ſtuporem naturalem non eſſe vitium morale, quod virtuti opponi poſſit. Fingendus itaque erat ſtupor voluntarius, qualis num detur, plerique dubitant, ſaltem rariſſimum eſſe affirmant, quia ipſis non ſuccurrunt exempla, præſertim ſi notio ſtuporis naturalis menti ipſorum obverſetur, nec voluntariam a naturali

distincta notione separant. Poterat huc referri opinio illorum, qui promiscue damnant omnem delectationem sensualem: ast hi proprio sensui contradicunt, &, ubi fidem apud alios se reperturos diffidunt, in natura corrupta præsidium ad defendendum falsam opinionem sibi invenisse videntur Quodsi vero ponamus, aliquos vili pendere voluptates corporis, præsertim quæ gustum & tactum afficiunt, quia sunt irritamenta vitiorum; eorum abstinentia non reprehendenda, sed laudanda potius est. Non igitur opus est, ut in Moralibus de nimia abstinentia a voluptatibus etiam licitis perfruendis multum simus solliciti & remedia contra eam conquiramus. Si quis nobis objiciat, voluptatem transitoriam, qualis est voluptas licita gustum & tactum afficiens, felicitatem augere (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*), hominem vero operam dare debere, ut sit felix (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*); distinguendum omnino est inter ea, quæ ad felicitatem necessario requiruntur, ut sine iis nemo felix esse possit, & ea, quæ tantummodo per modum minime illiciti accedunt, quatenus illa comitantur, aut cum iis cohærent. Illa virtutis sunt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ad animam spectant; hæc vero in iis consistunt, quæ sensum hilarant, & voluptates corporis sunt, nunquam licitæ, nisi quatenus cum adimpletione officii sui subsistunt, & caute perfruendæ, ne officiorum adimpletioni noceant, atque ad vitia improvidos trahant. Considerandum quoque est, quam exiguam particulam faciat voluptas transitoria licita, quæ si vel maxime contemnatur, exiguus iste, si vel maxime ita dicatur, defectus iis, quæ ad felicitatem necessario requiruntur, abunde compensari posse, præsertim cum eorum usus perennis ac semper in potestate nostra sit.

§. 344.

Quando abstinentia *Si nimis frequente usu voluptates corporis vilescunt, & propterea quis ab iis sese abstinet; abstinentia ad stuporem naturalem accedit.*

dit. Quodſi enim nimis frequente uſu voluptas corporis vi- *a voluptà-*
leſcit, eam fere non amplius ſentit homo, cum antea ſenſum *tibus ſtupo-*
ejus hilararet. Quamobrem cum ſtupor naturalis ſit, ſi quis ſua- *ri aſſimile-*
vitatem cibi ac potus, aut tactus venerei non ſentit (§. 343.); *tur.*
quo magis voluptas corporis vileſcit, eo magis ſenſus ad ſtuporem naturalem accedit. Quamobrem ſi quis propterea ab ea ſeſe abſtinet, quia vileſcit; abſtinentia quoque ad ſtuporem naturalem accedit.

Abſtinentia igitur non virtutis eſt, ſed, ſi cupiditas nondum ſublata, ſiquidem fieri poſſet, ut ſuavitatem, quemadmodum ante, adhuc ſentire valeret, vitium animo adhuc inhæret, ſi vel maxime actus externus non accedat. Vulgo hoc agnoſcitur, quando dicitur: quod vitium deſtituat hominem, non vero homo vitium.

CAPUT V.

De Cura Rerum.

§. 345.

Cura, quam rebus habere debemus, adhibetur vel rebus com- *Quotuplex*
parandis, vel iisdem recte utendis. Res enim, quibus *ſit cura re-*
indigemus, & quæ utilitatem quandam nobis præ- *rum.*
ſtant, vel inſerviunt vitæ conſervandæ, vel eidem commode, vel jucunde tranſigendæ, vel animæ & corporis perfectioni quomodocunque promovendæ (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque vita non ſolum conſervanda (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*), ſed danda etiam opera, ut, quantum in nobis eſt (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*), eam commode (§. 466. *part. 1. Jur. nat.*) & jucunde tranſigamus (§. 471. *part. 1. Jur. nat.*), omnemque facere tenemur uſum facultatum noſtrarum,

Digitized by Google

rum, qui ad perficiendum animam & corpus requiritur (§. 173. *part. 1. Jur. nat.*): ideo neceſſe eſt, ut res vitæ conſervandæ, eidemque commode ac jucunde tranſigendæ & corpori atque animæ perficiendis quomodocunque inſervientes nobis comparemus easdemque uſui, quem habere debent, impendamus. Cura igitur, quam rebus habere debemus, adhibenda eſt vel rebus comparandis, vel iisdem recte utendis.

Animalibus brutis natura abunde proſpexit de iis, quibus ad vitam animalem conſervandam & degendam indigent, ut ideo nullam curam rebus comparandis & recte utendis adhibere teneantur. Dedit unicuique veſtimenta ſua, offert ipſis alimenta ibi locorum, ubi degunt, cumque victu ſimplici & potu aquæ utantur, cibum ac potum non appetunt, niſi ut famem ac ſitim expleant, & loca, in quibus ſecure quiete ac ſomno fruuntur, facile inveniunt. Homini ergo proprium eſt, ut rebus comparandis iisdemque recte utendis curam adhibeat, niſi quatenus umbra quædam imaginis hujus curæ apparet in cibo ac potu conquirendo & fruendo, atque loco quieti & ſomno commodo eligendo. Qualis ſit hæc umbra, patebit ex iis, quæ in ſequentibus ſubinde annotaturi ſumus. Neque enim dedecet hominem quamvis rationalem uti magiſtris animalibus irrationalibus, ut, quæ in ipſis obſervat, utatur tanquam principiis curam, quam rebus habere debet, naturæ ſuæ, hoc eſt, rationi, qua a brutis differt, convenienter determinandam. Sane in ipſa Scriptura ſacra homines, etiam ab ipſo Chriſto, quoad hanc curam ablegantur ad animalia bruta, quatenus nimirum umbra quædam imaginis curæ illius etiam in ipſis conſpicitur, in quantum homo & animalia communem naturam habent. Non paradoxum hoc videbitur, modo ſatis intelligamus, quid ſit liber naturæ (*not.* §. 457. *part. 3. Eth.*), qui cum nos doceat, quinam ſit Deus & quomodo eum colere debeamus, cur, quæſo abſurdum vide-

videri debet, ut etiam nos doceat curam rebus, quibus indigemus, comparandis & utendis impendendam? Inſunt nimirum iis, quæ obſervamus, principia generalia, ex quibus rationis uſu colliguntur homini convenientia. Liber naturæ unicuique patet, nemini clauſus. Noſtrum ſaltem non deficere debet ſtudium, ut ex eo fiamus doctiores.

§. 346.

Res, quibus indigemus, deſtinantur certo fini, nimirum vitæ neceſſitati, commoditati & jucunditati atque perfectioni animæ & corporis acquirendæ & conſervandæ. Quoniam enim vitam conſervare (§. 350. *part. 1. Jur. nat.*), eandemque, quantum datur (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*), commode & jucunde tranſigere (§. 466. 471. *part. 1. Jur. nat.*), animamque & corpus perficere debemus (§. 173. *part. 1. Jur. nat.*); nobis quoque datur jus ad uſum earum rerum, quibus eo fine indigemus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ac ideo rerum nomine non veniunt niſi ea, quæ vitæ conſervandæ & commode ac jucunde tranſigendæ, & animæ atque corpori perficiendis inſerviunt (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*). Res igitur, quibus indigemus, deſtinantur certo fini, nimirum vitæ neceſſitati, commoditati & jucunditati atque perfectioni animæ & corporis acquirendæ & conſervandæ. De fine rerum.

Appetitui hominis, qui non determinatur niſi per id, quod ipſi bonum videtur (§. 904. *Pſych. empir.*), non convenit ut appetat, quod nulli prorſus uſui eſſe poteſt. Qua de cauſa etiam rei nomine non indigitatur in Jure tam naturæ, quam civili, niſi quod uſui homini eſſe poteſt (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*). Quando vero res propter eum, quem habet, uſum appetitur, uſus, qui intenditur (§. 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), abit in finem (§. 617. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Hic finis ipſa natura conſtitutus eſt, quatenus ſine uſu rerum ſatisfieri

risfieri nequit obligationi naturali, & eundem ipſa lex naturæ approbat, quatenus nos obligat ad ea, quæ ſine rerum uſu conſequi minime valemus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 347.

Quod is in rebus comparandis & utendis ſit conſiderandus.

Quoniam res, quibus indigemus, certo fini deſtinantur (§. 346.), duplex autem homini incumbit cura, altera nimirum, quæ rebus comparandis, altera vero, quæ iisdem recte utendis impendenda (§. 345.); *qui curam rebus habere vult, non minus in iis comparandis, quam utendis, conſiderare tenetur finem, cui deſtinantur.*

Finis, quibus res deſtinantur, ipſa natura conſtitutus eſt, non vero hominum arbitrio determinatur (*not.* §. 346.). Utimur rebus, ut conſequamur finem, tanquam mediis, ſine quibus eundem conſequi non poſſumus (§. 941. *Ontol.*). Quando igitur res nobis comparamus, aut iisdem actu utimur, ſpectandus eſt finis, cui per naturam deſtinantur, & quem ut intendamus lege naturæ præcipitur. Animantia bruta res paucas, quibus indigent & natura ipſorum contenta eſt, inſtinctu quodam naturali ducti appetunt non aliter, ac ſi agerent propter finem a natura conſtitutum, quamvis proprie loquendo ipſamet eundem non intendant. Quod vero bruta inſtinctu quodam naturali faciunt, id homo ratione uſus facere debet. Habemus itaque hic primum ſpecimen umbræ imaginis curæ ad res comparandas & utendas afferendæ, quam in brutis conſpicimus. Ipſa nimirum nos docent, res non eſſe comparandas, neque iisdem utendum eſſe, niſi propter finem a natura conſtitutum, quem excedere non liceat. Si quem pudeat diſcere a brutis, quid ſibi ſit agendum; eum magis pudeat, quod bruta rectius agant rationi convenienter, quam ipſe agit. Ne vero quis ſibi perſuadeat, dedecere hominem, ut a brutis diſcat, quid ſibi homini ſit agen-

agendum; perpendendum eſt, bruta rationi convenienter agere, non quod ratione rectius utantur homine, quemadmodum viſum eſt *Rorario*, ſed quod natura eorum ad eidem convenienter agendum determinata eſt, ut agant propter fines a Deo intentos, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*). Cum enim animantia quoque bruta ſint verbum Dei vivum, quo ad nos loquitur & nos erudit (*not.* §. 457. *part. 3. Eth.*); quando ab iis diſcimus, aures præbemus Deo doctori. Ecquis ergo dedecori ſibi ducat, Deo docendi magiſtro uti, & ejus ſe diſcipulum profiteri?

§. 348.

Qui curam rebus habere vult, res neceſſarias, utiles & voluptuarias a ſe invicem accurate diſcernere tenetur, ſive ſint comparandæ, ſive iisdem ſit utendum. Qui enim rebus curam habere vult, tum in iis comparandis, tum utendis conſiderare tenetur fines, quibus deſtinantur (§. 346.). Quoniam itaque res neceſſariæ ſunt, ſine quibus vita & ſanitas conſervari nequit, nec anima perfici poteſt, ut vitam perfectam vivamus (§. 499. *part. 4. Jur. nat.*), res utiles ad vitam commode degendam requiruntur (§. 500. *part. 1. Jur. nat.*), & jucundæ nonniſi ad jucunditatem vitæ faciunt (§. 501. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque res neceſſariæ, utiles & voluptuariæ diſcernuntur finibus, quibus deſtinantur, & propter quos in genere rerum conſtituuntur (§. 495. *part. 1. Jur. nat.*), & ob hos ipſos fines res utiles voluptuariis, neceſſariæ autem tam utilibus, quam voluptuariis præferendæ, quando nimirum vel comparandæ, vel iis utendum, ut circumſtantiæ præſentes imponant eligendi neceſſitatem (§. 502. *part. 1. Jur. nat.*); qui rebus curam habere vult, res neceſſarias, utiles & voluptuarias a ſe invicem accurate diſcernere tenetur, ſive ſint comparandæ, ſive iisdem ſit utendum.

De rebus neceſſariis, utilibus & voluptuariis a ſe invicem diſcernendis.

Diſtinctio rerum in neceſſarias, utiles & voluptuarias non modo multum habet uſum in Jure, verum etiam in Philoſophia morali. Quod vero hactenus uſum non attenderint niſi JCti in Jure civili, ratio non alia videtur, quam quod Philoſophi non perpenderint, virtutem revera non eſſe niſi habitum actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec Juri naturæ eam tribuerint amplitudinem, quam habere debet, & quam eidem vindicavimus in opere noſtro de Jure naturæ vi principiorum in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtratorum. Communiter enim ea hominum menti opinio inhæret, quaſi virtus tantummodo moderetur appetitum ſenſitivum circa voluptates corporis & certos affectus atque actus, qui potiſſimum reſpiciunt alios, ut nec exceſſus, nec defectus admittatur: quæ opinio ex doctrina Ariſtotelica originem traxiſſe, eadem tamen miſſa adhuc retenta videtur. Nemo igitur miretur, quod nos ratione duce, ſepoſita omni autoritate, in tradenda philoſophia morali aliam ingrediamur viam, quam hactenus calcarunt Philoſophi, & quæ ducit ad omnimodam rectitudinem actionum humanarum, qui eſſe debet fructus Philoſophiæ moralis, ſive finem ejus ſtatuas beatitudinem humanam, ſeu ſummum, quod in his terris homo conſequi poteſt, bonum, quod quomodo acquiratur, in Philoſophia morali doceri debet (§. 7. *part. 1. Eth.*), ſive cum nobis felicitatem hominis (§. 8. *part. 1. Eth.*), quam cum ſummo bono acquirimus (§. 395. *part. 1. Phil. pract. univ.*): relinquendo nimirum unicuique eſt in definiendis diſciplinis ſua libertas, modo nil committatur in præjudicium veritatis.

§. 349.

De diſcernendo neceſſario, voluptuario *Una eademque res diverſo reſpectu & neceſſaria, & voluptuaria, vel neceſſaria ſimulque utilis, vel utilis & una voluptuaria, vel denique neceſſaria, utilis & voluptuaria ſimul eſſe poteſt.* Quoniam enim res neceſſariæ ad vitæ & ſanitatis conſervationem

nem ac animæ perfectionem (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*), utiles ad commoditatem (§. 500. *part 1. Jur. nat.*), voluptuariæ ad jucunditatem faciunt (§. 501. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter a ſe invicem diſtingvuntur finibus, qui per eas intenduntur, ſi contingat (contingere autem poſſe docent exempla), unam eandemque rem prodeſſe ad conſequendum fines duos, vel omnes tres ſimul, erit pro diverſitate finium, ad quos refertur, vel neceſſaria & voluptuaria, vel neceſſaria & utilis, vel utilis & voluptuaria, vel denique neceſſaria, utilis & voluptuaria ſimul. *in una eaque re.*

Ita veſtium, quatenus corpus muniunt adverſus injurias tempeſtatum, finis eſt conſervatio ſanitatis (§. 446. *part. 1. Jur. nat.*), & hoc reſpectu ſunt res neceſſariæ (§. 499. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus ſunt commodæ agenti ad id, quod iisdem indutus agere debet (§. 452. *part. 1. Jur. nat.*), res utiles (§. 500. *part. 1. Jur. nat.*), quatenus denique iis ornamenta accedunt (§. 492. *part. 1. Jur. nat.*), res voluptuariæ (§. 501. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hinc patet, veſtem eandem ſimul rebus neceſſariis & utilibus, neceſſariis & voluptuariis, immo neceſſariis, utilibus & voluptuariis accenſeri poſſe. Utenſilia non ſolum utilia ſunt, ſed haud raro quoque ſimul voluptuaria: immo quatenus ipſa utilitas ſubinde uſum eorum indiſpenſabilem reddit moribus noſtris, conditionem neceſſariorum participant, quamvis utilitas eum introduxerit. Similiter cibi, quatenus nutritioni corporis deſtinantur, res neceſſariæ ſunt, ſed quatenus ſuavitate ſaporis guſtum hilarant, aut ex raritate iis pretium ſtatuitur, ad res voluptuarias referuntur. In voluptuariis enim plurimum datur opinioni, & ars coquinaria cibos ex neceſſariis in res voluptuarias vertit. Contingit quoque ex accidente, ut res utiles ſuadentibus circumſtantiis præſentibus deſtinentur alii uſui, quam in quem fuerant factæ, vel etiam comparatæ. Sed uſus iſte accidentalis non attenditur, quando quæritur,

ad quamnam ſpeciem res ſint referendæ. Notandum præterea hoc quoque eſt, ſi finis, qui intenditur, magis eſt jucunditas, quam utilitas, aut neceſſitas, res, quæ in ſe ſpectatæ, ſeu reſpectu finis, cui deſtinari debebant legi naturæ convenienter, utiles vel neceſſariæ ſunt, ad voluptuarias referri. In moralibus enim ſpectanda eſt intentio agentis. Ac ideo accidit, ut homines res neceſſarias & utiles in voluptuarias convertant. Qui vero res neceſſarias, utiles & voluptuarias a ſe invicem diſcernere vult, ut iis recte utatur, vel etiam in iisdem comparandis nihil committat, quod contra officia eſt, rationis judicio ſtare tenetur ponderando fines, quibus deſtinandæ, ex jure lege naturæ nobis conceſſo ad implendam obligationem naturalem (§. 346.).

§. 350.

De uſu & abuſu rerum ſuarum.

Rectus rerum ſuarum uſus eſt, quem officia exigunt: abuſus vero in repugnantia cum iisdem conſiſtit. Nemo enim re ſua aliter uti debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*), qui vero re ſua uſurus quid facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat, re ſua abutitur (§. 168. *part. 2. Jur. nat.*). Officia ſunt actiones juxta legem naturæ præceptivam, vel prohibitivam determinatæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*), prouti vel poſitivæ, vel negativæ ſunt (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum lege præceptiva obligemur ad actionem committendam (§. 164. *part. 1. Phil. pract. univ.*), prohibitiva vero ad eam non committendam (§. 163. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſi actio officiis convenit, eadem obligationi naturali ſatisfit, ſi vero officiis repugnat, naturali quoque obligationi repugnat. Rectus igitur rerum ſuarum uſus eſt, quem officia exigunt, abuſus vero in repugnantia cum iisdem conſiſtit.

Ut

Ut veritatis hujus convincamur, ea omnia perpendenda ſunt, quæ de uſu rerum neceſſario (§. 12. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*) & de jure nobis ad eum competente demonſtravimus (§. 14. *part. 2. Jur. nat.*). Ex hoc enim jure, quod dominiorum introductione, ob immutabilitatem legis naturæ (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immutari minime potuit, æſtimandus eſt uſus atque abuſus rerum. Lex naturæ tribuit nobis jus ad uſum neceſſarium rerum (§. 14. *part. 2. Jur. nat.*), cui tandem jus omne acceptum ferendum, ſi ad fontem reducitur, nec nobis datur niſi quatenus ſine eo obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*): id quod uſum rerum neceſſarium facit (§. 12. *part. 2. Jur. nat.*). Rebus igitur uti debemus cum ſenſu officii, quod inſtar finis ſpectatur, qui uſu rerum tanquam medio conſequendus intenditur. Diſcant hinc tanquam ex ſpecimine, quotquot ſtudium recte agendi curæ cordique habent, quamvis idem ex ceteris quoque, quæ in Ethica traduntur, appareat, cur voluntas perfecta requirat exactam Juris naturæ ſcientiam (§. 133. *part. 2. Eth.*), & Philoſophia moralis ſupponat Jus naturæ (§. 9. *part. 1. Eth.*), quod quo intimius perſpicitur, eo quoque exactius actiones legi naturæ conformari poſſunt, ne ullus in iis notetur rectitudinis defectus, ſitque animus ab omni labe immunis (§. 598. *part. 2. Eth.*): id quod convenit puritati animi, cui conſequendæ operam navare debemus (§. 604. *part. 2. Eth.*).

§. 351.

Rerum, quas habemus, dominus Deus eſt; nos non ſumus niſi Quale jus uſuarii, & dominium nobis ſaltem competit reſpectu hominum alio-rerum horum. Etenim Deus eſt dominus eorum omnium, quæ in *mini com-* mundo ſunt, ſive in prima creatione facta fuerint, ſive hodie *petat.* demum generentur aut producantur (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*). Quoniam itaque res omnes, quibus indigemus ad vitæ neceſſitatem, utilitatem & commoditatem (§. 495. *part. 1.*

Jur.

Jur. nat.), in earum numero ſunt, nec artificiales, cum arte ſaltem humana res naturales tanquam materia ſpecificentur (§. 339. *part. 2. Jur. nat.*), ut ſint ad certum uſum aptæ, propterea dominio Dei ſubducuntur; rerum, quas habemus, dominus Deus eſt. *Quod erat primum.*

Quamvis vero Deus hominibus conceſſit dominium earum rerum, quibus ad promovendam ſui & aliorum atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem habent opus (§. 995. *part. 1. Theol. nat.*); non tamen aliter conceſſiſſe intelligitur, quam in quantum ſufficit, ad promovendam ſui & aliorum atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem, conſequenter non conceſſit niſi uſum neceſſarium (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 12. *part. 2. Jur. nat.*), non vero jus, quod ipſe in rebus habet, in hominem tranſtulit, ut non amplius ſuæ ſint, ſed hominis, ita ut iisdem homo uti poſſit, prouti ſibi viſum fuerit, non vero quemadmodum vult Deus: id enim perinde foret, ac ſi legem naturæ tolleret (§. 159. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ tamen ob ejus immutabilitatem tolli nequit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Reſpectu igitur Dei jus homini conceſſum non extenditur ultra uſum rerum neceſſarium. Quamobrem cum uſuarius ſit, cui competit jus re quadam utendi (§. 377. *part. 1. Jur. Jur. nat.*); homo reſpectu Dei non eſt niſi uſuarius rerum ſuarum. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero nemo hominum alteri rationem reddere tenetur, quomodo re ſua utatur, nec ulli jus eſt abuſum rerum impediendi, quamdiu qui re ſua abutitur nil facit contra jus alterius (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*). Reſpectu igitur hominum aliorum liberum nobis eſt de re noſtra diſponere pro arbitrio noſtro. Quamobrem cum jus proprium de re pro arbitrio

bitrio ſuo diſponendi dominium ſit (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*), dominus vero, qui dominium habet (§. 964. *part. 1. Theol. nat.*); homini quoque reſpectu hominum aliorum ſaltem dominium competit & is rerum, quas habet, dominus eſt. *Quod erat tertium.*

Ut rebus recte utamur, neceſſe eſt ut cognoſcamus, quale jus in iis nobis competat. Jus, quod nobis in rebus, quas habemus, competit reſpectu hominum aliorum, & quo excluduntur ceteri omnes, eſt prorſus independens ab aliena voluntate, ita ut omnis de re diſpoſitio, qualiscunque tandem ſit, non dependeat, niſi a propria voluntate. Aſt jus, quod in iisdem nobis competit reſpectu Dei, a noſtra poteſtate quoad ejus exercitium non dependet, ſed omnes actus ad ejus exercitium ſpectantes in totum dependent a voluntate Dei, utpote conformandi legi naturæ, quam Deus hominibus tulit. Et, ſi quis vel maxime idem ad Deum, legis naturæ autorem (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non referat, agnoſcere tamen tenetur, vi principiorum Juris naturæ in parte prima Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtratorum, natura nobis non competere aliud jus, quam ad uſum rerum neceſſarium, cujus exercitium ſubjacet quoad ſingulos actus legi naturæ, & quod voluntate hominum, quando dominia ſingularia fuerunt introducta, immutari non potuit. Quamvis itaque, dum res, quæ fuerant communes, factæ ſunt ſingulorum & juri proprio ſubjectæ, vi libertatis naturalis unicuique competentis (§. 146. *part. 1. Jur. nat.*), independentes factæ fuerint a voluntate omnium hominum reliquorum (§. 152. *part. 1. Jur. nat.*); jus tamen in ſe ſpectatum non immutatum fuit; ſed ſaltem aliam formam induit reſpectu hominum. Reſpectu igitur Dei aliud non eſt, quam lege naturali nobis datur. Quamobrem cum jus iſtud alium reſpectum habeat ad Deum, alium ad homines, & ad rectum ipſius uſum vitandumve abuſum apprime neceſſarium ſit, ut duplex iſte reſpectus agnoſcatur; ideo maxime conſultum eſt,

ut nominibus quoque diſcernantur, quæ re ipſa diverſa ſunt. Nemo autem negare poteſt, aliud eſſe jus de re diſponendi pro voluntate Dei, aliud vero eſſe jus de re diſponendi pro arbitrio noſtro. Poſterius nobis competit reſpectu hominum, prius autem reſpectu Dei, cujus voluntati conformanda eſt voluntas noſtra, quam nullius hominis voluntati conformare obligamur. Non itaque abſonum videri debet, quod reſpectu hominum dicamur domini, reſpectu Dei autem ſaltem uſuarii, quamvis ipſi Deo acceptum ferre teneamur dominium, quod nobis reſpectu hominum competit. Hoc ut probe conſideremus, eo magis neceſſarium eſt, ne dominium reſpectu hominum nobis competens in præjudicium dominii divini extendamus, ſicuti per oſcitantiam hominum plerumque fieri ſolet, dum in exercitio dominii unice reſpiciunt ad ſuam voluntatem, quaſi ab ea ſola dependeat, nec de voluntate ſua voluntati divinæ conformanda cogitant, propterea quod non tenentur ſequi voluntatem aliorum. Si cui adhuc dubium movere poterant res artificiales, quarum autor eſt ipſe homo; is perpendere debet, ſpecificationem rerum naturalium, ut prodeant artificiales, quæ ſint aptæ ad uſum hominum, pertinere ad uſum neceſſarium, quem nobis Deus in rebus creatis conceſſit. Niſi enim rerum a Deo creatarum uſus nobis conceſſus eſſet, nec ex iis facere liceret res artificiales. Jus Dei, quod habuerat, in materia ſpecificanda, ſubſiſtit etiam in ſpecificata, neque hic attendenda ſunt quæ valent de ſpecificatione inter homines (§. 340. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*), cum hæc fluant ex notione dominii, quale nobis competit reſpectu hominum aliorum.

§. 352.

De caſu in re noſtra contingente.

Quoniam Deus dominus eſt rerum, quas habemus (§. 351.), & mundum gubernat per nexum rerum (§. 901. *part. 1. Theol. nat.*), quæ vero nunc fiunt in mundo, ea influunt in actualitatem ſequentium (§. 83. *Coſmol.*); *ſi caſus quidam*

quidam in re noſtra contingat, quam nulla culpa noſtra prægreſſa eſt, Deus jure ſuo de ea diſponit in uſum ſuum.

Propoſitio hæc probe notanda eſt, cum eximius ſit ejus uſus in praxi morali. Quod vero pauci hoc conſiderent, non eſt quod miremur: neque enim intelligunt, quale ſit jus ſibi in rebus competens, quæ in dominio ſuo eſſe dicuntur. Ut igitur veritatem propoſitionis præſentis intime perſpiciamus, non modo demonſtratio propoſitionis præcedentis expendenda, verum etiam probe ponderanda ſunt ea, quæ ad eandem annotavimus. Quando Deus diſponit de rebus, quæ ſunt in dominio hominum, de iis diſponit in conſervationem hujus univerſi: id quod haud difficulter perſpicitur, ſi animum attendamus ad nexum rerum, ut videamus, quomodo actus conſequentium determinetur per antecedentia (§. 83. *Coſmol.*). Deus igitur cum indigeat rebus in uſum ſuum, hominibus quoque dominium, quod in iis habet, non aliter concedere potuit, quam illo ſalvo, & quatenus homines iisdem indigent ad adimplenda officia, quæ ipſis præſcripſit. Ad hoc vero ſufficit uſus, quem neceſſarium diximus (§. 12. *part. 2. Jur. nat.*) lege naturali reſtrictus, & voluntati divinæ conformandus. Velim hæc ſatis expendantur, ne extra oleas evagari videamur, quando defendimus, jus, quod in rebus noſtris habemus, aliud eſſe reſpectu Dei, aliud vero reſpectu hominum, & illo nos conſtitui uſuarios, non dominos, nec id ipſum nobis tanquam uſuariis non eſſe conceſſum, niſi ſub hac conditione, quamdiu dominus, qui Deus eſt, iisdem non indigeat ad ſuos uſus. Unice autem a domini voluntate pendet, qua lege jus alteri in re ſua conſtituere velit (§. 984. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 353.

Homini per ipſam naturam ſuam atque rerum aliud jus in re Quale jus ſua competere nequit, niſi quod in uſu neceſſario conſiſtit. Etenim *homini in re*

Jus per naturam ſuam atque rerum competat.

obligatio naturalis & lex naturæ dependet ab ipſa hominis rerumque eſſentia atque natura (§. 146. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum jus omne oriatur ex obligatione paſſiva (§. 23. *part. 1. Jur. nat.*); aliud nobis jus in re noſtra competere nequit per naturam noſtram atque rerum, niſi quod lege naturæ nobis datur. Enimvero lex naturæ homini tribuit uſum neceſſarium rerum (§. 14. *part. 2. Jur. nat.*), quo ſcilicet indiget, ut obligationi ſuæ naturali ſatisfacere poſſit (§. 12. *part. 2. Jur. nat.*). Itaque homini per ipſam naturam ſuam atque rerum aliud jus in re ſua competere nequit, niſi quod in uſu neceſſario conſiſtit.

Aut admittendum eſt homini naturaliter nullum competere jus in re, quam habet, niſi quod in uſu neceſſario conſiſtit, aut omnino fatendum, jus omne, quod in re habet, voluntate duntaxat hominum fuiſſe introductum absque omni jure. Poſterius utique abſurdum eſt, cum dari legem naturæ evidenter oſtenderimus (§. 128. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ poſita hominis rerumque natura ponitur (§. 136. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Admittendum igitur prius. Qui vero jus per ipſam naturam ſuam atque rerum nobis competens & dominium, quod reſpectu aliorum hominum habemus, coæquant, libertatem naturalem, quæ præſtat hominem in agendo independentem ab omni alio homine (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), in licentiam convertunt, quaſi homini competat jus ſine ulla reſtrictione faciendi, quod libet (§. 150. *part. 1. Jur. nat.*) & hominem natura exlegem fingunt (§. 165. *part. 1. Jur. nat.*): id quod denuo abſurdum (§. 166. *part. 1. Jur. nat.*). Dominium nimirum, quod nobis in rebus, quas habemus, competit reſpectu hominum, independentiam ab aliorum hominum voluntate habet a libertate naturali, vi cujus nobis permittendum eſt, ut de re noſtra diſponamus, quemadmodum nobis viſum fuerit (§. 156. *part. 1. Jur. nat.*), & conſcientiæ noſtræ relinquendum, utrum recte

recte disponamus, nec ne (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*), quemadmodum jam ante insinuavimus (*not.* §. 351.). Hæc igitur independentia trahi nequit ad jus, quod vi naturæ nostræ atque rerum lege naturæ nobis tribuitur, ideoque rationem sufficientem in illa habet (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Jus in rebus, quas habemus, si ultra usum necessarium extenditur, contra naturam humanam est. Qui jus in rebus ultra usum necessarium extensum somniant, quid sit natura humana, quid sit homo nondum intelligunt.

§. 354.

Quoniam homini per ipsam naturam suam atque rerum aliud jus in re sua competere nequit, nisi quod in usu necessario consistit (§. 353.), *ipsa* quoque *natura hominem non facit nisi usuarium, non vero dominum rerum suarum, qualis est ra humanæ respectu aliorum hominum*, consequenter cum respectu Dei non nisi usuarii rerum, quas habemus, & ipsum dominum agnoscere debeamus rerum nostrarum (§. 351.), sicuti nostri ipsius (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), ita ut nos toti cum omnibus rębus nostris simus Dei; *Deus nobis concessit jus in rebus, quale homini per naturam suam convenire potest, nec*, propter immutabilitatem legis naturæ (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *aliud concedere potuit.* *De identitate juris in rebus naturæ nobis connexi.* *cessi.*

Considerandæ hæc sunt, ne quis profano nostro seculo arguetur, quasi tradamus a ratione aliena non sine quadam affectatione pietatis pomposæ in ipsis dogmatis (§. 152. *part. 3. Eth.*); qui tamen tantum odimus pietatem pomposam, quantum rationem amamus, quam pietatis pomposæ cultores ejurant. Ridiculi nobis videntur, qui singularitatem in pietate affectantes ad opiniones rationi adversas in Moralibus delabuntur. Non aliam agnoscimus moralitatis, nec aliam juris normam, quam rationem, cui quæ conveniunt, eorum una

darur concordia, unus concentus. Conſideranda eadem ſunt, ne quis bonitatem divinam in dubium vocans exiſtimet, quaſi Deus plus juris in rebus nobis dare potuiſſet, quam dedit. Si latius jus dediſſet, cum ſit & hominis, & legis naturæ autor, ſibimetipſi contrarius fuiſſet: id quod abſurdum (§. 345. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 355.

Quale jus in re ſua ſufficiat ad perſonam hominis recte gerendam.

Similiter quia homini per ipſam naturam ſuam aliud jus in re ſua competere nequit, niſi quod in uſu neceſſario conſiſtit (§. 353.). *Qui naturæ ſuæ convenienter vivere, conſequenter perſonam hominis recte gerere vult, jus in rebus ſuis ultra uſum neceſſarium extendere non vult*, conſequenter *nec jus latius patens deſiderat.*

Qui curam animæ habet, ſollicitus eſt, ut perſonam ſibi impoſitam recte gerat (§. 152.). Prima vero hujus ſollicitudinis pars eſt, ut perſonam hominis recte geras (*not. §. cit.*). Quodſi ergo curam animæ habes, rebus quoque tuis non aliter uteris, quam jus in iis tibi competens, permittit, & jus latius patens tibi prorſus inutile foret. Ut tibi idem arroges, nonniſi vitia ſuadent, non ſine damno tuo; cum vitia te infelicem reddant (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque, quam periculoſum ſit, jus, quod nobis per naturam & reſpectu Dei competit in rebus noſtris, confundere cum dominio, quod in iisdem habemus reſpectu hominum aliorum.

§. 356.

De jure res deſtruendi & immutandi in uſu neceſſario.

Uſus neceſſarius continet jus res naturales deſtruendi & immutandi. Uſus neceſſarius nobis competit, ut obligationi noſtræ naturali, veluti vitam & corpus conſervandi (§. 349. 350. *part. 1. Jur. nat.*) vitamque commode ac jucunde tranſigendi

gendi (§. 466. 471. *part. 1. Jur. nat.*), ſatisfaciamus (§. 12. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero cum corpus cibo & potu conſervetur, cibo autem & potu conſervari nequeat, niſi res eidem inſervientes deſtruantur, cumque res artificiales, quibus indigemus, ut vitam commode & jucunde vivamus, ſubinde etiam ad vitæ neceſſitatem, quales ſunt veſtes, arte humana parari nequeant niſi rerum, quas natura profert, immutatione; uſus neceſſarius continet jus res naturales deſtruendi & immutandi.

Hanc propoſitionem addere viſum eſt, ne forſan quid dubii ſuperſit circa differentiam juris in rebus, quas habemus, natura nobis competentis & dominii, quod in iisdem nobis competit reſpectu hominum. Diximus ſalvo jure, quod Deus nobis in rebus conceſſit, ſubſiſtere dominium ipſius in iisdem. Repugnare huic aſſerto videtur, quod jure nobis conceſſo uti non poſſimus, niſi res vel conſumantur, quemadmodum contingit in cibo ac potu, vel immutentur, ſicuti in conficiendis rebus artificialibus accidit. Quando in mutuo uſus rei, quæ uſu conſumitur, alteri conceditur (§. 513. *port. 4. Jur. nat.*); dominium in mutuatarium transferendum (§. 514. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque mutuans eſſe deſinit & mutuatarius fit dominus. Et idem intelligitur de rebus, quæ ad parandas res artificiales mutuo dantur, veluti ſi detur lana, aut linum. Videtur itaque Deus quoque transtuliſſe dominium, quod in rebus naturalibus habet, in hominem, dum ipſi conceſſit uſum, quo illæ vel conſumuntur, vel immutantur, alia forma iisdem inducta. Notandum igitur eſt, alium eſſe uſum, quo res inſerviunt Deo, alium vero, quo eædem inſerviunt homini. Deus utitur rebus ad conſervandum hoc univerſum, nos iisdem utimur ad nos conſervandum & vitam commode ac jucunde tranſigendum. Cum in interitu corporis nihil ſubſtantiale pereat (§. 831. *part. 1. Theol. nat.*), & continua modificatione materiæ mun-

mundus in ſtatu ſuo conſervetur, ita ut unius corruptio ſit alterius generatio, quemadmodum quotidie experimur; Dei dominium in eo, quod ſubſtantiale eſt, ſubſiſtet & in eo, quod producitur, facta corruptione aut quacunque immutatione, continuatur. Immo cum nec res artificiales fiant ſine voluntate ipſius (§. 510. *part. 1. Jur. nat.*); nec in his locum habet exceptio. Quatenus enim homines ſunt in numero cauſarum ſecundarum (§. 1120. *part. 1. Theol. nat.*) & opera artis ſpectantur tanquam effectus naturales, qui in ſerie rerum, quæ eſt mundus adſpectabilis (§. 55. *Coſmol.*), continentur & fiunt cauſæ aliorum effectuum; modificationes materiæ arte factæ in eo non differunt a modificatione, quæ continua corruptione & generatione in rerum natura fiunt. Longe alia igitur ratio eſt rerum reſpectu Dei, quam reſpectu hominum, quarum uſum homo homini concedere nequit, ſi eodem conſumitur, ut in ſpecie reſtitui nequeat, absque translatione juris omnis, quod in ea habet. Hæc probe conſideranda ſunt, ne ex dominio, quod nobis reſpectu hominum aliorum competit, per præcipitantiam ſtatuamus de dominio, quod Deus in rebus omnibus habet, nec in præjudicium veritatis faceſſamus difficultates, quæ, modo ſingula rite expendantur, revera nullæ ſunt. Ceterum hinc apparet, nec Philoſophum in Ethica, nec Theologum carere poſſe intimiori Juris ſcientia, quam ideo tradidimus in operibus noſtris. Et quamvis nondum ſit tam felix ætas noſtra, ut omnes hoc perſpiciant; nullus tamen dubito fore, ut nonnullorum attentio excitetur, qui, quod ipſi agnoverunt & cujus utilitatem experti fuerunt, aliis deinceps perſuaſuri ſunt. Pendent enim ſcientiarum progreſſus a conſilio & exemplo aliorum.

§. 357.

De juris in re noſtra

Jus, quod homini in re ſua per naturam ſuam Deique voluntate competit, ad felicitatem ipſius ſufficit; ulterius vero extenſum eidem

eidem nocet. Jus enim, quod homini in re ſua per naturam ſuam competit (§. 353.) & quod ipſi a Deo conceſſum eſt, in uſu neceſſario conſiſtit (§. 351.); conſequenter in quantum eodem indiget, ut ſatisfaciat obligationi ſuæ naturali (§. 12. *part. 2. Jur. nat.*); ideoque actiones ſuas conformet legi naturæ (§. 141. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum cuſtodia legis naturæ felicitas acquiratur & conſervetur (§. 396. 397. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus, quod homini in re ſua per naturam ſuam Deique voluntate competit, ad felicitatem ipſius ſufficit. *Quod erat unum.*

per naturam competentis ad felicitatem ſufficientia.

Quodſi ergo jus nobis in re noſtra competens per naturam noſtram Deique voluntate conceſſum ulterius extendamus, neceſſe eſt, ut faciamus, quod legi naturæ repugnat, conſequenter ut legem naturæ transgrediamur (§. 139. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum transgreſſione legis naturæ homo fiat infelix (§. 405. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo felicitatem, quam conſecutus fuerat, amittat (§. 401. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus homini per naturam ſuam Deique voluntate in re ſua competens ulterius extenſum, quam ſcilicet a Deo nobis conceſſum, vel per naturam noſtram nobis competere poteſt, felicitati nocet. *Quod erat alterum.*

Homo per naturam ſuam appetit felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi ſapit, non deſiderat, ut ſibi in re ſua competat quidpiam juris ultra id, quod a Deo ipſi conceſſum & per naturam ſuam competere poteſt. Qui ſibi arrogat jus reſpectu Dei, quale ipſi competit reſpectu hominum; ſtultus eſt, cum felicitatem inhians utatur mediis, quibus ſe in infelicitatem præcipitem dat (§. 458. *part. 1. Eth.*). Deus, qui vult hominem eſſe felicem (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), infelicitatem velle nequit (§. 707. *part. 1.*

Theol. nat.); tantundem quoque nobis conceſſit jus in re noſtra, quantum ad felicitatem ſufficit, ultra id plus juris concedere non potuit. Et eodem quoque tendit ipſa natura noſtra. Qui felicitatem hominis in voluptatibus corporis, ſeu perceptionibus jucundis conſiſtere ſibi perſuadent, jus per naturam ſuam ſibi competens & a Deo conceſſum & dominium, quod reſpectu hominum in rebus ſuis habent, coæquant, ut voluptatibus corporis indulgere poſſint, quas ubi experiuntur damnoſas, aut ad ſatiandum appetitum minime ſufficientes, de miſeria humana inepte conqueruntur, quam juris ſui abuſui tribuere debebant. Sed is eſt mos hominum mentem a ratione alienatam habentium, ut culpam ſuam in alias cauſas conjiciant.

§. 358.

De ejus ſufficientia ad ſummum bonum conſequendum.

Jus, quod nobis Deus in re noſtra conceſſit & per naturam noſtram nobis competere poteſt, ad ſummum bonum conſequendum ſufficit; ulterius vero extenſum impedit, quo minus hoc conſequamur. Utrumque eodem modo oſtenditur, quo propoſitionem præcedentem demonſtravimus. Sumamus enim, quod modo demonſtravimus (§. 357.), jus, quod nobis Deus in re noſtra conceſſit & per naturam noſtram concedere potuit, ſufficere, ut actiones noſtras legi naturæ conformemus. Quoniam itaque cuſtodia legis naturalis ſummum bonum acquiritur (§. 376. *part. 1. Phil. pract. univ.*); jus, quod nobis Deus in re noſtra conceſſit & per naturam noſtram nobis competere poteſt, ad ſummum bonum conſequendum ſufficit. *Quod erat unum.*

Sumamus porro, quod itidem modo oſtendimus (§. 357.), eum legem naturæ transgredi, qui jus, quod Deus ſibi in re ſua conceſſit & quod per naturam ſuam ſibi competere poteſt, ulterius extendit. Quoniam transgreſſione legis

legis naturæ in ſummum malum incidit (§. 377. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque fieri nequit, ut ſummum bonum conſequatur; ſi jus, quod Deus nobis in re noſtra conceſſit & per naturam noſtram nobis competere poteſt, ulterius extenditur, quam ſcilicet a Deo conceſſum eſt & per naturam noſtram nobis competere poteſt, id omnino impedit, quo minus ſummum bonum conſequamur. *Quod erat alterum.*

Cum in Ethica doceri debeat, quomodo ſummum bonum actu acquiratur (§. 7. *part. 1. Eth.*); neceſſe quoque eſt, ut jus per naturam noſtram nobis in rebus noſtris competens & a Deo nobis conceſſum intime perſpicere diſcamus, ideoque in Ethica nihil eorum omittendum, quod huc facit. Niſi enim id intime perſpectum habeamus, facillime contingit, ut abuſu ejus a ſummo bono recedamus, dum ad idem contendere nobis videmur, cum pro licitis habeamus ea, quæ ſenſum hilarant, quando pro illicitis habenda erant. Maxime circumſpectus eſſe debet rerum ſuarum uſus, ad hanc vero circumſpectionem quoque requiritur, ut pernoſcamus jus, quale nobis in re noſtra per naturam competit, ne incauti idem & dominium reſpectu hominum aliorum competens coæquemus: id quod facillime contingit, niſi differentiæ utriusque probe memores fuerimus.

§. 359.

Res non ſunt noſtræ reſpectu Dei, ſed ſaltem reſpectu hominum. Quomodo res ſint noſtræ.

Rerum enim, quas habemus, dominus Deus eſt, nos non ſumus niſi uſuarii, & dominium in iis nobis ſaltem competit reſpectu hominum aliorum (§. 351.). Enimvero cum uſuario ſaltem competat jus re utendi (§. 377. *part. 1. Jur. nat.*), res vero noſtræ ſint, in quibus dominium habemus (§. 124. *part. 2. Jur. nat.*); res non ſunt noſtræ reſpectu Dei, ſed ſaltem reſpectu hominum ceterorum.

Quando res dicimus noſtras, eædem ſemper referuntur ad homines ceteros, ut ſignificetur, jus, quod nobis vi legis naturæ in iis competit; eſſe jus nobis proprium, quo excluduntur homines ceteri omnes. Atque ideo patet, quomodo rerum, quas habemus, dominus eſſe poſſit Deus, hoc tamen non obſtante, nos ſimus domini earundem reſpectu hominum. Nemini hominum in re quacunque aliud jus competit, quam per naturam ſuam in ea habere poteſt & Deus ipſi conceſſit, quatenus tamen jus hoc homini proprium eſt, ut eodem excludantur ceteri & vi libertatis naturalis de re diſponi poteſt independenter ab omni hominum reliquorum voluntate, horum reſpectu in dominium abit. Cum libertas naturalis & jus, quod per naturam noſtram in re habemus veniat a lege naturæ (§. 146. *part. 1. Jur. nat.* & §. 14. *part.* 2.), nec eadem repugnante dominia inter homines fuerint introducta (§. 141. *part. 2. Jur. nat.*), autor vero hujus legis Deus ſit (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eandemque hominibus tulerit (§. 274. *part. 1. Phil. pract. univ.*); dominium quoque, quod reſpectu hominum habemus, a Deo nobis conceſſum recte dicitur. Et ſic patet, quomodo intelligendum ſit, quod dicitur, Deum nobis conceſſiſſe dominium rerum, qnas habemus, dum nimirum hominibus conjunctim conceſſit jus, quod ipſo conſentiente in proprium converſum. Qui ultra naturam humanam ad Deum cauſam primam non aſcendunt, modo juris omnis originem penitus inſpiciant, agnoſcere tenentur, jus per naturam nobis conjunctim competens eadem non invita tranſiiſſe in jus proprium & ſic formam dominii reſpectu hominum induiſſe, quale originarie non eſt. Qui a voluntate Dei jus naturæ derivandum eſſe contendunt, non agnoſcentes rationem ejus ſufficientem in ipſa natura humana contineri, unde nomen habet, dominium, quale nobis competit reſpectu hominum, a Deo toti humano generi conjunctim conceſſum eſſe contendunt, quod deinceps utilitatis ſuæ cauſa in jus proprium mutaverint; ſed hi non ſatis alte omnia rimati ſunt, quemadmodum

dum ex iis, quæ hactenus uberius expoſuimus, abunde diſcitur, ideoque non eſt, quod miremur, dum diverſa inter ſe confundunt, nec accurate a ſe invicem ſeparant, eorum quoque aſſerta inter ſe non ſatis cohærere, multo minus cum aliis dogmatis conſentire, cum ex adverſo eorum, quæ nos in univerſo noſtro ſyſtemate tradimus, una ſit conſonantia.

§. 360.

Quoniam res noſtræ ſaltem ſunt reſpectu hominum, non vero reſpectu Dei (§. 359.), ideoque de iis ſaltem non vero reſpectu Dei (§. 169. *part. 2. Jur. nat.*); *quando de re noſtra quomodocunque diſponimus, ſemper ſollicite inquirendum, num voluntati divinæ convenienter diſponamus, nimirum ut officii noſtri partes expleamus* (§. 350.). Et quoniam ſic diſponendo felicitati noſtræ conſulimus, aſt ſi contraria ratione diſponamus, felicitati noſtræ nocemus (§. 357.), appetitus vero noſter natura in felicitatem fertur, ab infelicitate vero abhorret (§. 324. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ſollicitudo, ne de re noſtra aliter diſponamus, quam voluntati divinæ convenienter, nobis non moleſta, ſed potius jucunda accidit* (§. 156. *part. 2. Etb.*).

licitudine de diſponere de bis liberum eſt diſponere pro lubitu reſpectu hominum, non re noſtra

Quoniam hominum mentem ea obſedit opinio, quaſi liberum ipſis ſit de re ſua diſponere, prouti ſibi viſum fuerit; in diſpoſitione de re ſua nullam quoque attendunt obligationem, ſed de ea diſponunt, prout fert occaſio, vel eos ad ſic potius, quam aliter diſponendum ſua trahit voluptas, &, ſi admoneantur, ut faciant aliter, extemplo regerunt, damnum eſſe ſuum, ſi quod inde patiantur. Facile apparet, quod animum ſaltem advertant ad dominium, quod ipſis reſpectu hominum competit, nullam vero rationem habeant juris per naturam ſuam in re competentis, & a Deo ipſis conceſſi. Immo nec conſiderant mala ex diſpoſitione juri huic contra-

ria enaſcentia, quæ animum torqueht, ſed diſpoſitionem ſuam ſaltem conſiderant quoad circumſtantias præſentes, immo ne quidem quoad hasce omnes, ſed ſaltem eas, quæ attentionem ipſorum in ſe trahunt. Contingit itaque ſæpiſſime, de rebus ſuis homines ita diſponere, ut poſthac pœniteat: quantum vere pœnitentia pro diverſitate circumſtantiarum torquere ſoleat animos hominum, nemo eſt qui neſciat. Multa etiam eveniunt mala, quæ affligunt homines, quamvis non agnoſcant, ea ex iliicita diſpoſitione de rebus ſuis promanaſſe. Ex hisce igitur omnibus abunde intelligitur, quantum interſit, ut jus in rebus noſtris competens penitus perſpiciamus & in diſpoſitione de iisdem animum ad id attendamus. Quodſi quis intelligat, quantum interſit, ut in diſponendo de rebus ſuis ea utatur ſollicitudine, quam hic urgemus; eidem ſeſe ſatis ipſa commendabit: intelliget autem, qui rationem intime perſpicit, ob quam eandem urgemus. Omnem in praxi morali ſollicitudinem moleſtam experiuntur, &, quando eadem urgetur, nimiam ſcrupuloſitatem accuſant, qui nexum rerum moralium non inſpexerunt, qui aliunde quam ex ſyſtemate veri nominis perſpici nequit.

§. 361.

Quid vitandum, quid faciendum, quoties res comparandæ vel utendæ.

Quoniam de rebus noſtris diſpoſituri ſemper ſolliciti eſſe debemus, ne aliter diſponamus, quam officia exigunt (§. 360.); *in rebus comparandis & utendis non alios imitari, ſed id ſequi debemus, quod officia exigunt*, conſequenter *ſi cupido rerum comparandarum & utendarum animum inceſſit, expendenda ſunt non minus officia erga Deum & alios, quam erga nosmetipſos*, ne ſcilicet incauti quid committamus, quod cuidam eorum adverſetur.

Paucis multa dicuntur, nec tam facile obſervantur, quæ hic præcipiuntur, quam forſan multis videbitur. Supponitur enim accurata officiorum omnium notitia, eaque familiaris,

liaris, ut ſtatim ſubeant memoriam ea, ad quæ vi circumſtantiarum præſentium potiſſimum animus attendendus. Pro diverſitate nimirum circumſtantiarum nunc horum, nunc aliorum habenda eſt ratio, nec raro contingit, ut propter eorundem colliſionem facienda ſit exceptio. Ideo quoque ſupponitur, ut conſtet, quomodo exceptio recte fiat. Obſervandum præterea eſt differentia inter res neceſſarias, utiles & voluptuarias (§. 348.) & in una eademque re neceſſarium, utile ac voluptuarium exacte diſcernendum (§. 349.). Rectitudo, quæ in actionibus moralibus ſpectatur, nullum admittit defectum in uſu facultatum (§. 79. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Nihil magis convenit hominum moribus, quam ut vivant ad exemplum aliorum, & qui ita vivere adſueverunt, rationis uſum omnem ſeponunt. Exemplum enim aliorum omne fert punctum, utpote ſufficiens ratio, cur ſic vivant, non aliter. Quamobrem quoque admodum familiare eſt, ut in rebus comparandis & utendis imitentur alios. A communibus itaque moribus nihil magis abhorret quam ſollicitudo, ne in rebus comparandis atque utendis quicquam committatur, quod officiis repugnet. Quamobrem cum abuſus rerum conſiſtat in repugnantia cum officiis (§. 350.); eodem quoque nihil frequentius, modo is rite æſtimetur. Quot vero, quæſo, ſunt, qui eundem rite æſtimare poſſunt, vel, ſi vel maxime poſſent, volunt? Immo valde vereor fore longe plurimos, qui cum de eo rite æſtimando nunquam cogitarunt, exiſtimaturi ſunt, quaſi abſurdum ſit, quod de uſu & abuſu rerum ſuarum oſtendimus, quamvis invictis rationibus utrumque evicerimus.

§. 362.

De uſu & abuſu pecuniæ.

Quæ de uſu & abuſu rerum valent, ea etiam valent de uſu & abuſu pecuniæ. Pro pecunia enim res & operæ quælibet ab alio comparari poſſunt (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem quæ obſervanda ſunt in comparandis rebus, ea etiam obſer-

obſervanda ſunt in uſu pecuniæ, qua res comparantur. Cum vero pecunia etiam aliis dari poſſit perinde ac res dantur, & voluptatum corporis percipiendarum cauſa erogari queat, perinde ac res impenduntur eodem fine pecunia quoque utimur. Quoniam itaque perinde eſt, ſive rebus, ſive pecunia utamur, & ſive res, ſive pecunia comparetur; quæ de uſu & abuſu rerum valent, eadem etiam valent de uſu & abuſu pecuniæ.

Idem etiam ſic oſtenditur. Rebus aliter non uti debemus, quam ut ſatisfaciamus officiis, ſeu obligationi cuidam naturali (§. 167. *part.* 2. *Jur. nat.*), ideoque etiam non alio fine pecuniæ acquirendæ operam dare debemus. Pecuniam quoque non aliter erogare debemus, quam ut ſatisfaciamus obligationi cuidam naturali (§. 379. *part.* 4. *Jur. nat.*). Enimvero rectus quoque rerum noſtrarum uſus eſt, quem officia exigunt & abuſus in repugnantia cum iisdem conſiſtit (§. 350.). Quamobrem patet, quæ de uſu & abuſu rerum valent, ea etiam valere de uſu & abuſu pecuniæ.

Pecunia ſubit vicem omnium rerum, conſequenter res quoque omnes repræſentat ex intentione utentis. Quodſi deſtinetur rebus neceſſariis, vel utilibus, vel voluptuariis, rebus neceſſariis, vel utilibus, vel voluptuariis æquiparatur. Et ſi impenditur voluptatibus corporis, rei voluptuariæ vice fungitur. Obtinet idem in rebus, ut, quæ natura ſua voluptuariæ non ſunt, deſtinatione poſſidentis voluptuariæ efficiantur. Ita hœdus ſua natura res voluptuaria non eſt: aſt cum *Judas* eum ſolvere vellet mercedem meretrici pro conceſſo coitu, ex eo rem voluptuariam fecit. Perinde vero eſt, ſive quis det hœdum, ſive ſolvat pecuniam pretium hœdi. Obſervatur idem in contractu locationis conductionis operarum & in aliis, ubi nunc pecunia, nunc res datur, veluti ſi trituratoribus nunc merces ſolvitur in pecunia, nunc in frumento.

Digitized by Google

mento. Quodſi pecunia conſideretur ut corpus, veluti ſi avarus non alium facit pecuniæ uſum, quam ut eadem delectetur, rebus voluptuariis annumeranda. Ex adverſo ſi quis pecuniam, quam lucratur, aſſervat in caſum futuræ neceſſitatis; pecunia ſubit vicem rei neceſſariæ. Hæc probe conſideranda ſunt, ut de uſu & abuſu pecuniæ recte ſtatuamus, & non minus in acquirendo, quam erogando nil committamus, quod quomodocunque legi naturæ repugnat. Ceterum vi propoſitionis quoque ea, quæ de dominio rerum dicta ſunt, ad pecuniam applicanda, quæ tamdiu inter res locum habet, quamdiu in nullum uſum convertitur, ex uſu vero, cui deſtinatur, differentiam rei ſpecificam acquirit, ut, cum antea rem quamcunque in genere repræſentaret, nunc in vicem neceſſariæ, vel utilis, vel voluptuariæ tranſeat. A voluntate igitur poſſidentis dependet, qualem facere velit; qualem vero facere debeat, officia inſinuant (§. 350.).

§. 363.

Quoniam de uſu & abuſu pecuniæ valent, quæ de uſu & abuſu rerum demonſtrata ſunt (§. 362.), res vero, quibus indigemus, deſtinantur certo fini, nimirum vitæ neceſſitati, commoditati & jucunditati atque perfectioni animæ & corporis acquirendæ & conſervandæ (§. 346.); *in pecunia tam acquirenda, quam eroganda ſpectandus eſt certus finis, nimirum vel vitæ neceſſitas, vel commoditas, vel jucunditas, vel perfectio animæ & corporis*, cumque lex naturæ regat omnes actiones humanas (§. 205. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *lex naturæ nos docet, quinam finis hic & nunc ſit intendendus.*

De fine in pecunia acquirenda & eroganda intendendo.

Deſtinanda eſt pecunia ſive acquirenda, ſive eroganda eidem fini, cui res deſtinantur. Quemadmodum vero finis, qui uſu rerum intenditur, non pendet a libera diſpoſitione hominis, ſed a jure, quod per naturam ſuam in rebus habere poteſt, Deusque ipſi conceſſit; ita quoque homini non

prorſus liberum eſt, quemnam in pecunia ſive acquirenda, ſive eroganda, finem intendere velit, ſed eum juri ſuo, quod in rebus habere poteſt per naturam ſuam, convenienter intendere debet. Quale igitur ſit hoc jus, intime cognitum & perſpectum habere debemus. Quamobrem cum dominium, quod nobis competit reſpectu hominum, ab illo jure omnem attentionem in ſe trahat, ut de eo ne quidem cogitetur; non eſt, quod miremur, ſi quotidie videmus, quantum homines a vero fine aberrent. Etenim jus, quod per naturam noſtram nobis in rebus competere poteſt, nec aliter a Deo conceſſum eſt, nos ad obſervantiam legis naturæ ducit: dominium vero, quod reſpectu hominum nobis competit, ſi unice reſpicitur atque ab illo dividitur, animum a lege naturæ abducit & omnis diſpoſitionis normam arbitrium hominis conſtituit, quaſi liceat quod lubet: quod quam ſit abſurdum, ex antea demonſtratis patet (§. 355. *& ſeqq.*). Videantur præterea, quæ de pecunia acquirenda & eroganda alibi jam demonſtravimus (§. 368. *& ſeqq. part. 4. Jur. nat.*).

§. 364.

Quomodo pecunia ſit appetenda & quale jus ad eam nobis competat.

Pecunia non propter ſe appetenda, ſed propter res, quæ eadem comparari poſſunt, ſive corporales, ſive incorporales, nec aliud nobis ad eam competit jus, quam ad res, quæ eadem comparari poſſunt. Pecunia per ſe nobis nulli uſui eſt, niſi excipias avarum, qui ex ea voluptatem percipit, duntaxat quod habet, ſicque ex ea rem voluptuariam facit (§. 501. *part. 1. Jur. nat.*), quod tamen non faceret, niſi uſum omnium rerum eminenter contineret (§. 845. *O tol.*), quatenus nimirum res quæcunque eadem comparari poſſunt (§. 293 *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque res, quibus indigemus, pecunia comparandæ (§. *cit.*); pecunia quoque non propter ſe, ſed propter res, ſive corporales, ſive incorporales, ad quas referuntur,

runtur etiam operæ aliorum, quibus indigemus, quæ eadem comparabiles, appetenda. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam pecunia non appetitur, niſi propter res & operas, quæ pro eadem comparari poſſunt (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), *per demonſtrata*; jus, quod nobis ad pecuniam competit, æſtimandum eſt ex uſu rerum, quæ pro ea comparari poſſunt. Ad pecuniam itaque nobis non competit jus aliud, quam ad res, quæ pro eadem comparari poſſunt. *Quod erat alterum.*

Nimirum nos pecuniam propter ſeipſam appetere debere aliter jam demonſtravimus (§. 412. *part. 4. Jur. nat.*) & quomodo contigerit, ut eam propter ſe appetant homines recto intellectus uſu ſepoſito, oſtendimus (§. 168. *part. 2. Eth.*). Hinc potiſſimum inculcanda eſt æquipollentia pecuniæ atque rerum, quia eam noſſe utile eſt, ut appetitum circa pecuniam facilius moderari diſcamus: neque enim uſus pecuniæ, quem facere debemus, facilius patet quam ex uſu rerum, quibus indigemus. Cumque dominiis introductis res, quibus indigemus, & operæ, vi illorum rebus æquiparabiles factæ (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), pro pecunia comparentur (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), uſus quoque pecuniæ aliunde æſtimari nequit, quam ex uſu rerum, nec jus, quod ad pecuniam habemus, aliunde metiendum quam ex jure, quod ad res nobis competit per naturam noſtram, ſive a Deo conceſſum. Naturale igitur eſt, ut de uſu pecuniæ ex uſu rerum licito ſtatuamus & jus ad res per naturam nobis competens ad pecuniam trahamus. Quamprimum pecunia introducta, jus iſtud veluti ſua ſponte eidem acceſſit.

§. 365.

Pecunia acquiritur vel labore, vel fortunæ beneficio. Labore enim producuntur res corporales, nimirum artificiales (§. 505. *Quomodo pecunia acquiratur.*

(§. 505. *part. 1. Jur. nat.*), vel ad eas producendas concurritur (§. 512. *part. 1. Jur. nat.*), ut ſcilicet proveniant induſtriales (§. 504. *part. 1. Jur. nat.*). Præſtantur etiam operæ ſive liberales, ſive illiberales (§. 512. *part. 1. Jur. nat.*), quæ aliis utiles ſunt. Quoniam itaque pro re qualibet & opera quacunque pecunia dari poteſt (§. 292. *part. 4. Jur. nat.*), & nemo teneatur alteri gratis dare vel facere, ſi is viciſſim dare, vel facere poſſit (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*); quilibet pro rebus ſuis artificialibus & induſtrialibus, aut operis ſive liberalibus, ſive illiberalibus, quas præſtat aliis, pecuniam accipere poteſt. Labore igitur pecunia acquiritur. *Quod erat primum.*

Enimvero pecuniam quoque acquirere quis poteſt, ſi ipſi donetur; ſi fœminam divitem in matrimonium ducat, ſi opima ipſi obtingat hereditas. Quoniam vero hic acquirendi modus in poteſtate noſtra non eſt, ſed a fortuna potiſſimum pendet, id quod tanquam a poſteriori ſatis notum & ab omnibus conceſſum ſumitur; pecunia quoque acquiritur fortunæ beneficio. *Quod erat ſecundum.*

Jam vero alius modus acquirendi in poteſtate noſtra non eſt, quam qui in labore conſiſtit, & omnis reliquus, qui a poteſtate noſtra non dependet, fortunæ tribuendus. Pecunia igitur omnis vel labore noſtro, vel fortunæ beneficio acquiritur. *Quod erat tertium.*

Cum cura rebus habenda nobis injungat curam tum ad pecuniam acquirendam, tum ad eam erogandam afferendam (§. 364.); modus quoque conſiderandus eſt, quo pecunia acquiritur. Conſideratur autem is ſaltem in genere, quatenus nimirum in poteſtate noſtra eſt & quatenus in ea non eſt. Per ſe patet, quod in poteſtate noſtra non eſt, id fortunæ eſſe relinquen-

linquendum, niſi quod curæ habendum ſit, ne fortunam negligamus, quando ſeſe nobis offert faventem. Sed de hoc agendum erit inferius. Quamobrem hic ſaltem ratio habenda modi, qui in poteſtate noſtra eſt, & totus in labore conſiſtit, ideoque etiam de labore agendum eſt in Philoſophia morali. Si natura ſufficienter proſpiceret homini de uſu neceſſario rerum, quemadmodum animalibus, & eidem ſufficeret vivere vitam animalem, non vero hominis; labore nullo haberet opus. Aſt duplex hæc ratio laborandi neceſſitatem hominibus imponit, quemadmodum ſatis apparet ex iis, quæ in Jure naturæ demonſtravimus, & quæ uno conſpectu exhibet demonſtratio, qua evicimus, homini omni eſſe laborandum (§. 514 *part. 1. Jur. nat.*).

§. 366.

Labore ſuo diligenter & recte defungi virtutis eſt. Etenim lex naturæ præcipit, ut homo laboret (§. 514. *part. 1. Jur. nat.*), & laborem ſuum recte perficere ſtudeat (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo in laborem omnem facultatum noſtrarum uſum impendimus, qui ad eum requiritur, ut nihil eorum amittatur, quod a nobis exigi poſſit, ideoque labore diligenter defungimur (§. 751. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & omnem damus operam, ne quid in eo deſiderari poſſit a peritis, ideoque eodem recte quoque defungimur (79. *part. 1. Phil. pract. univ.*), utque utrumque facere poſſimus, habitum ad id neceſſarium nobis comparemus (§. 530. *part. 1. Jur. nat.*); actiones noſtras laborando legi naturæ conformamus & habitu easdem ipſi conformandi pollemus. Quoniam itaque habitus actiones ſuas legi naturæ conformandi virtus eſt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); virtutis quoque eſt labore ſuo diligenter & recte defungi. *An laborare virtutis ſit.*

Patet itaque ratio, cur in Ethica, quæ docere debet, quomodo unaquæque virtus acquiratur (§. 6. *part. 1. Eth.*), & quænam in exercitio ejus ſint obſervanda (§. 10. *part. 1. Eth.*); agendum quoque ſit de habitu laborandi, ſeu cura laboris, quamvis hæc virtus proprio nomine deſtituatur. Duo autem in laborando ſpectanda ſunt, nimirum diligentia & rectitudo. Utraque conjungenda, non una ab altera dividenda. Sola diligentia non ſufficit, nec ſufficit, ut laborem recte perficere poſſis, niſi quoque accedat diligentia, ut, quod potes, etiam facias. Peccatur igitur vel negligentia (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vel imperitia, quæ cum ignorantiam rectitudinis laboris, tum defectum habitus continet.

§. 367.

Medium labore ſuo recte defungendi.

Quoniam virtutis eſt labore ſuo diligenter ac recte defungi (§. 366.), nemo autem labore ſuo recte defungi poteſt, quamvis quoad diligentiam nihil in ſe deſiderari patiatur, niſi rectitudinem laboris ſui intime perſpiciat & habitu eodem recte defungendi polleat; *ut labore noſtro recte defungi valeamus, laboris noſtri*, quem ſcilicet exigit vitæ genus, quod ſequimur, *rectitudinem cognoſcere & habitum laborem noſtrum recte perficiendi acquirere debemus.*

Sumimus laborem in latiſſimo ſignificatu, ut eodem complectamur omnia, quæ pro diverſo vitæ genere unicuique facienda ſunt. Ita etiam ſui ſunt labores eruditis: eſt unicuique ſuus labor, qui munere quodam publico fungitur, veluti ſi quis ſit conſiliarius Principis, ſi concionator, judex, vel Medicus; non tantummodo ſuus labor eſt artificibus, opificibus, operariis, agricolis. Omnium vero labor ſuam habet rectitudinem, ex finibus, qui vel per laborem ipſum, vel etiam per opus perficiendum, qualecunque tandem fuerit, intenditur æſtimandum. Quamvis vero objectum Philoſophiæ in ſua latitudine comprehendat quoque laborem omnem, quicunque

cunque tandem fuerit (§. 29. *Diſc. prælim.*), & Philoſophi ſit inquirere in rationem rectitudinis laboris cujuscunque (§. 31. *Diſc. præl.*); non tamen id pertinet ad Philoſophiam moralem, ſed tanquam aliunde petendum in hac ſupponitur. Et in Politica docendum, quibusnam mediis ars recte laborandi perfici & propagari poſſit. Ethica in iis occupatur, quæ voluntatem recte laborandi formant, ut legi naturæ in iis, ad quæ nos quoad laborem obligat, conformetur: in hoc enim virtus conſiſtit (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quo magis intereſt humani generis, ut quis labore ſuo recte perfungatur; eo majorem quoque operam quilibet dare debebat, ut laboris ſuæ rectitudinem intime perſpiceret & habitu eodem recte perfungendi polleret. Satis autem in dies experimur, de rectitudine laboris ſui omnium minime ſollicitos eſſe, qui omnium maxime eandem penitus cognoſcere & omni animi contentione operam dare debebant, ut eodem recte perfungerentur. Exemplo ſunt, qui muneribus publicis funguntur & cœca imitatione mores receptos exprimere ſolent, quantum poſſunt & circumſtantiæ permittunt, ut haud raro non modo incaſſum laborent, verum etiam labore ſuo magis noceant, quam proſint. Patebit veritas aſſerti per ea, quæ ſuo loco in Politica tradituri ſumus.

§. 368.

Cur pecunia indigeamus.

Pecunia indigemus ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam. Nemo eſt, qui neſciat, modo animum attendat ad ea, quæ quotidie obvia ſunt, nos indigere ſubſidio rerum externarum & operarum alienarum, ſi animam & corpus perficere velimus, quemadmodum lege naturali obligamur (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ad aliorum perfectionem pro virili conferre, quod debetur (§. 223. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero introductis dominiis, cum nemo alteri gratis dare, vel facere teneatur, qui viciſſim dare, vel facere

facere poteſt (§. 268. *part. 4. Jur. nat.*), res & operæ pro pecunia comparantur ab aliis (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem pecunia indigemus ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam.

Qui ea tenet; quæ in parte ſecunda Juris naturæ de communione primæva & introductione dominiorum demonſtrata ſunt; clariſſime perſpiciet rationem, cur in præſenti ſtatu ſine pecunia perfectionem noſtram & aliorum promovere nequeamus, nec ſine ea vitam hominis vivere poſſimus. Vi communionis primævæ præſtationes mutuæ, quas urget lex naturæ ad perfectionem noſtram promovendam (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ſunt gratuitæ; ſed dominium eas facit mercenarias, ita ut pro eo, quod datur, vel quod quis facit, viciſſim detur, vel ipſi faciamus, quod tantundem valet. Res igitur, quæ in dominium deductæ, & operæ, quæ præſtantur aliis, illis æquiparatæ pecunia æſtimantur, ut res cum aliis & operæ cum rebus atque operis facilius permutari poſſint. Ac ideo dicitur, quærendam pecuniam primo, quia ſcilicet eadem nobis comparare tenemur ea, ſine quibus noſtram & aliorum perfectionem promovere minime valemus. Pecuniæ ſubſidio ſuſtentatur obligatio naturalis, qua homines tenentur conjunctis viribus perfectionem ſuam promovere. Dum aliis pecuniam das, ut ea obtineas, quæ indiges, alter pecuniam habet, qua ſibi viciſſim comparare poteſt ea, quibus ipſemet indiget. Atque hinc intelligitur, quinam ſit uſus pecuniæ, cui lex naturæ omnium actionum humanarum norma locum fecit, & per conſequens luculentius patet, cur pecunia, non propter ſe, ſed propter res pro ea comparandas, quibus etiam operæ alienæ accenſentur (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), ſit appetenda (§. 364.).

§. 369.

Finis laboris. *Finis laboris primarius eſt perfectionis noſtræ & aliorum promotio: introductis autem dominiis acceſſit ſecundarius pecuniæ acquiſitio.*

ſitio. Ille ipſa natura conſtitutus; huic illius conſequendi cauſa locum fecit neceſſitas. Cum enim conſtet, multiplicato præſertim genere humano, naturam ſua ſponte, aut ſolam non proferre omnia, quibus homines indigent ad vitam non modo conſervandam, ſed etiam commode ac jucunde, immo in ſtatu civili decore degendam, quantum datur, quando vero natura non ſua ſponte profert, nec ſola, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem ſufficiunt, homines hunc defectum ſupplere teneantur (§. 506. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), dando nimirum operam, ne deſit ſufficiens copia rerum neceſſariarum, utilium & voluptuariarum, ſive induſtrialium, ſive artificialium (§. 511. *part. 1. Jur. nat.*), & præterea multa quoque facere teneamur, ut perfectio tam animæ, quam corporis conjunctis viribus promoveatur (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), labor autem tam multiplex ſit, ut nemo hominum omni obeundo ſufficiat (§. 527. *part. 1. Jur. nat.*), ſed unusquisque eum ſeligere debeat, cui obeundo ſe parem ſentit (§. 528. *part. 1. Jur. nat.*); labore noſtro non aliud intendere debemus, quam ut perfectionem noſtram & aliorum pro virili promoveamus, ita ut a laborando vacaremus, niſi laborem exigeret promotio perfectionis noſtræ & aliorum. Quoniam itaque finis primarius eſt, propter quem quis ita agit, ut, ſi nullum alium ſibi propoſitum haberet, propter hunc ſolum ageret (§. 942. *Ontol.*); finis laboris primarius eſt perfectionis noſtræ & aliorum promotio. *Quod erat primum.*

Enimvero poſtquam dominia rerum introducta ſunt, ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam pecunia indigemus (§. 368.). Quamobrem cum labore pecunia acquiratur (§. 365.), eodem autem perfectionem noſtram & aliorum intendere debeamus, *per demonſtrata n. 1.*, conſequen-

ter pecuniæ acquirendæ cauſa non laborandum eſſet, ſi ſine ea perfectio noſtra & aliorum promoveri poſſet, poſtquam dominia introducta ſunt, & finis ſecundarius ſit, propter quem ita agimus, ut, ſi non præterea alium nobis propoſitum haberemus, non ageremus (§. 942. *Ontol.*); introductis dominiis acceſſit finis laboris ſecundarius pecuniæ acquiſitio. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam finis laboris primarius ex obligatione naturali, quæ a lege naturæ venit, deducitur, *per demonſtrata n.* 1. lex naturæ autem ipſa natura hominis rerumque conſtituta eſt (§. 136. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); finis quoque laboris primarius, qui eſt perfectionis noſtræ & aliorum promotio, ipſa natura conſtitutus. *Quod erat tertium.*

Et quia introductis dominiis finis ſecundarius, pecuniæ acquiſitio, acceſſit, quia ſine pecuniæ uſu hominum perfectio conjunctis viribus promoveri nequit, quemadmodum vi legis naturalis debet, *per demonſtrata n.* 2. pecuniæ acquiſitio tanquam ſecundarius illius conſequendi cauſa acceſſit, ideoque neceſſitas eidem locum fecit. *Quod erat quartum.*

Cum homines videant labore pecuniam acquiri, ut non modo indigentia, quia pecunia carere non poſſunt, verum etiam cupido pecuniæ ad laborandum eos impellat; communiter ſibi perſuadent, pecuniæ lucrandæ cauſa ſaltem laborandum eſſe, ideoque pecuniæ acquiſitionem finem laboris faciunt, conſequenter plerique omnes non alium finem intendunt. Ex perverſa autem hac opinione plurima conſequuntur mala, quorum unum alterum gignit, ut a labore prorſus exulet omnis legis naturæ reverentia & multiplici modo ab ea aberretur. Naſcitur quoque hinc opinio, quaſi ex pecunia æſtimanda ſit felicitas, quæ ipſa denuo multorum vitio-

vitiorum genetrix. Neceſſe igitur eſt, ut finem laboris a natura conſtitutum in oculis habeamus. Vulgo equidem dicitur, hominem natum eſſe ad laborandum, ſicuti avis ad volandum; aſt non omnes ſatis intelligunt, cur homini adeo naturale ſit ut laboret, quemadmodum avi ut volet. Id autem intelligitur ex fine laboris, quem natura conſtituit, utpote cujus ratio ſufficiens perinde in natura humana continetur, quam volatus in natura avis. Nec a vero abhorret, quod homini labor proficiat ad eundem finem, ad quem volatus avi. Quemadmodum vivitur ad ſimilitudinem aliorum; ita quoque non ratione, ſed communi opinione regitur labor. Immo qui finem laboris ignorant, ideoque neſciunt, quomodo ipſa natura humana conſtitutus ſit, & per conſequens homo ad laborandum natus; laborem ad miſeriam humanam referunt, quaſi tunc demum homo ſit felix futurus, ſi continuo otio diſſlueret. Contra omnia iſta præjudicia qui animum munire voluerit, ea cognoſcere debet, quæ in jure naturæ de labore demonſtrata ſunt. Cum theoriam actionum humanarum in Jure naturæ demonſtraverimus, nemo exiſtimet, ſe ſine ſcientia illius Juris multos profectus facturum in Ethica (§. 9. *part. 1. Eth.*), ſibique caveat, ne de veritate eorum, quæ in Ethica traduntur, judicium deproperet, antequam Juri naturæ indefeſſam operam navaverit, falſo ſibi perſuadens, ſe veritatis eorum convinci poſſe ſine iis, quæ in Jure naturæ demonſtrantur. Nobis, quæ in Ethica tradimus, evidentia ſunt, ob lucem, quam iis affundit Jus naturæ, & quæ in eodem demonſtrantur, lucem mutuantur ab iis, quæ ex aliis diſciplinis in demonſtrationibus ſumuntur (§. *cit.*). Quodſi ergo eadem luce frui velint, neceſſe eſt ut integrum ſyſtema perſpectum animo complectantur. Atque idem de aliis quoque tenendum, quæ alibi a nobis traduntur.

§. 370.

Qui ſanitati curam & finem laboris in oculis habet, a nimio Quinam a labore ſeſe abſtinebit. Etenim qui ſanitati curam habet, is ea *nimio labore*

 abſtineat.

evitare ſtudet, quæ ſanitati nocent, quod per ſe patet. Et qui finem laboris in oculis habet, is quoque perpendit, ſibi eſſe laborandum, ut perfectionem ſuam promovere (§. 369.), conſequenter etiam ſanitatem conſervare poſſit (§. 391. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum labor nimius cum diſpendio ſanitatis continuetur (§. 516. *part. 1. Jur. nat*), nec homo in labore aſſiduus eſſe debeat, niſi quantum ſanitas permittit (§. 537. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſanitati curam & finem laboris in oculis habet, a nimio labore ſeſe abſtinet.

Videmus itaque, quibus ſit utendum mediis laborem ſuum moderandi, ne committatur exceſſus. Nimirum nimietas laboris æſtimanda eſt ex damno, quod datur ſanitati, & obligatio laborandi ex fine a natura conſtituto. Qui ſanitatem amat, laborem nimium averſatur; ne vero cupido lucri appetitum in contrarium trahat, præſertim cum damnum, quod ſanitati datur, non ita in oculos incurrat, quemadmodum lucrum, quod appetitum allicit, conſideratione finis obtinendum, dum perpendimus, pecuniæ acquirendæ cauſa non eſſe laborandum, niſi quatenus pecunia indigemus ad perfectionem noſtram promovendam, ideoque etiam ad ſanitatem conſervandam. Abſurdum utique eſt, laborare velle, ne defint ad ſanitatem conſervandam neceſſaria, & ut hæc conſequamur, nimio labore jacturam ſanitatis facere, aut minimum eam in periculum adducere. Qui animum a ratione minime alienum, ab affectibus vero pravis immunem habet, is abſurda velle nequit. Abſurditas itaque, quam agnoſcit, efficax ipſi motivum eſt nolitionis: ſit ita quod efficaciam in ſe non ſentiant, qui ratione actiones ſuas regere nondum didicerunt. Ceterum ex propoſitione præſente patet, quomodo cura ſanitatis influat in laborem, ſimulque turpitudo intrinſeca nimietatis laboris hinc elucet, quæ virtutis cultori motivum eſt eam fugiendi.

§. 371.

Digitized by Google

§. 371.

Labor ſpectandus eſt tanquam officium erga nos & alios, nec tanquam modus acquirendi, niſi quatenus pecunia, quæ acquiritur, neceſſaria ad explendum officia erga nos & alios. Etenim finis primarius laboris eſt perfectionis noſtræ & aliorum promotio (§. 369.). Quoniam itaque ideo laborare debemus, ut ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam conferamus, quantum in poteſtate noſtra eſt, cum ultra id nemo obligari poſſit (§. 176. *part. 1. Jur. nat.*), omnis autem noſtra actio juxta legem naturæ determinata officium eſt (§. 224. *part. 1. Phil. pract. univ.*); labor quoque officium eſt, cum erga nos, tum erga alios, conſequenter cum id agnoſcere teneatur, qui obligationi ſuæ ſatisfacere vult, labor ſpectandus eſt tanquam officium tam erga nos, quam erga alios. *Quod erat unum.* *Quomodo labor ſpectandus ſit.*

Enimvero cum labore noſtro proſimus aliis, quatenus res induſtriales & artificiales atque operæ noſtræ aliis utiles ſunt, & poſtquam dominia introducta ſunt, pro rebus & operis detur pecunia (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), qua nobis comparare valemus ea, quibus nos indigemus ad perfectionem noſtram promovendam, & aliorum indigentiæ ſuccurrere valemus, non minus autem ad noſtram, quam aliorum perfectionem promovendam obligati ſumus (§. 152. 232. *part. 1. Phil. pract. univ.*); labor tanquam modus acquirendi ſpectandus eſt, quatenus pecunia, quæ acquiritur, neceſſaria ad explendum officia erga nos & erga alios. *Quod erat alterum.*

Plerique omnes laborem non aliter ſpectant, quam modum acquirendi pecuniam, qua indigent ad vitæ neceſſitatem, utilitatem & jucunditatem. Quamobrem neceſſitas eos impellit

pellit ad laborandum, ut ea lucrentur, quibus indigent, ut ad ſimilitudinem aliorum ſibi parium vivant: neque enim jam attendimus vitia, quæ ad laborem nonnullis incitamenta ſunt. Hi igitur non perpendunt, ſe ad laborandum obligari, nec finem proſpiciunt, cur laborandum ſit, multo minus perſpiciunt, quomodo contigerit, ut labor fuerit factus modus acquirendi. Ea de cauſa videas homines, quibus fortuna dedit opes, vitam otio tranſigentes; videas ex adverſo alios, non alio fine laborantes, quam ut indies locupletiores evadant. Scopulos hosce omnes ut evitemus, laborem ſpectare debemus tanquam officium erga nos & alios, quod modum acquirendi fecit dominia introducendi neceſſitas (§. 89. *& ſeqq. part. 2. Jur. nat.*). Quamvis vero vivamus in eo ſtatu, in quo dominia introducta ſunt; ex eo tamen labor dijudicandus non eſt, ſed primum potius conſiderandus, qualis ſit per ipſam naturam humanam in communione primæva, & quænam eidem acceſſerint, poſtquam dominia fuerunt introducta. Huc vero faciunt, quæ tam in parte prima Juris naturæ de labore, & in parte ſecunda de communione primæva & dominiorum introductione demonſtrata ſunt. Optime autem ſibi conſulit, qui integram theoriam Juris naturæ cognoſcere ſtudet, cum omnia inter ſe ita connectantur, ut ſibi mutuo lucem affundant. Diſcant hinc, quantum & ſcientiæ juris, & philoſophiæ morali noceant, qui communionem primævam rejiciunt & pro figmento venditant. Sane omnes aberrationes in præſenti caſu hinc ortum trahunt, quod præſens rerum ſtatus, in quo dominia vigent, ſumatur tanquam independens a communione primæva. Ceterum ipſa dominiorum introductione officium erga ſe cum officio erga alios adeo arcto nexu in labore copulatum eſt, ut quod utrumque exigit fiat, etiamſi cum ſenſu officii non labores, nimirum ut ſuo labore promoveatur & tua, & aliorum perfectio, ſeu tu non minus aliis, quam tibi proſis. Nimirum ſi quis rem artificialem facit, quæ aliis utilis eſt, non vero tibi, officio fungeris, quod debes aliis (§. 510. *part. 1. Jur. nat.* & §. 222. *part.*

Digitized by Google

part. 1. Phil. pract. univ.), & quo fungendum fuiſſet in communione primæva communis utilitatis cauſa (§. 41. *part. 2. Jur. nat.*), ita ut res iſta foret omnium communis (§. 29. *part. 2. Jur. nat.*) & ejus uſus pateret unicuique (§. 32. *part. 2. Jur. nat.*), qui eodem indiget (§. 33. *part. 2. Jur. nat.*). Enimvero cum introductis dominiis ex materia tua opera tua feciſti ſpeciem, ea tua eſt, & quatenus pro ea pecuniam accipere potes, qua tu indiges, tibi utilis fit & comparando pro pecunia ad victum neceſſaria officio erga teipſum fungeris: dum vero ſic alteri rurſus ſolvis pecuniam, qua ipſe indiget in ſuos uſus, officium quod alteri debes præſtas. Labore igitur tuo ſatisfacis tum officio erga alios, tum officio erga teipſum. Ecquis non videt, quam arcto nexu officium erga alios cum officio erga ſeipſum copulaverit introductio dominiorum? Ita autem intelligitur, quomodo laborandum ſit cum ſenſu officii, & quod labor ita ſpectandus ſit, quemadmodum urget propoſitio præſens, ſi cum ſenſu officii laborare velis, quemadmodum debes, & requirit rectitudo moralis laboris. Quoniam lex naturæ regit omnes actiones humanas; nihil facere deberemus, niſi cum ſenſu officii. Et ſi a teneris ungviculis adſuefacti omnia faceremus cum ſenſu officii, ad puritatem animi id ipſum haud parum conferret (§. 599. *part. 2. Eth.*). Immo ſi ſatis intelligeremus, quid ſit cum ſenſu officii agere, quacunque occaſione agendi oblata; pulchritudo actionis moralis ob nexum officiorum in eandem influentium inſigne foret motivum recte agendi, & influeret in gaudium, cum quo virtuoſus actiones ſuas legi naturæ conformat (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 372.

Quoniam labor ſpectandus eſt tanquam officium erga *Obedientiæ*, ſeipſum & erga alios (§. 371.), eodemque intendendus *timoris filia-* finis propria & aliorum perfectio (§. 369.), qui vero labo- *lis & amo-* rem ſpectat tanquam officium erga ſe & erga alios, eodem- *ris Dei in-*

que

fluxus in laborem.

que intendit perfectionem ſuam & aliorum promovere, is agnoſcit ſe laborando facere, quod legi naturæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*) perfectionis noſtræ & aliorum promotionem præcipienti (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque voluntati divinæ convenit (§. 278. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum Deo obedientem ſe præbeat, qui facit quod ipſe vult (§. 1164. *part. 1. Jur. nat.*); *cum animo Deo obediendi laborare debemus*, & quia obediendi animum efficit timor Dei filialis (§. 326. *part. 3. Eth.*), timor autem filialis ex amore Dei fluit (§. 317. *part. 3. Eth.*), *ſi labor ſpectetur tanquam officium erga ſeipſum & alios, eodemque intendatur perfectionis noſtræ & aliorum promotio*, modo hæc intime perſpiciatur, quemadmodum in operibus noſtris demonſtravimus & uberrime explicavimus, *in laborem influunt obedientia erga Deum, timor filialis & amoris Dei.*

Sæpius jam inculcavi, quæ in Philoſophia morali tradimus, nec intime perſpici, nec nos eorum plenarie convinci poſſe, niſi quæ ſumuntur ex anterioribus, ante fuerint cognita & perſpecta, & veritatum omnium nexum animo comprehenderimus. Qui ex parte tertia Ethicæ didicit, quomodo immutetur animus hominis, ſi Deo obedit, ſi eundem timet atque amat; is quoque facile capiet, quantum differat animus hominis, qui animo obediendi Deo laborat, qui timore filiali, quem fovet amor Dei, ſuſtentatur, ab animo illius, qui non laborat, niſi pecuniæ acquirendæ cauſa, aut ad laborandum ſe compelli ſentit inevitabili quadam neceſſitate, quam durum telum agnoſcit. Præſtat tamen animum, officiis iſtis erga Deum in laborem influentibus, in ſeipſo experiri. Experientia enim moralis in praxi morali omne fert punctum, tum ut omnia recte intelligamus (§. 264. *part. 2. Phil. pract. univ.*), tum ut veritatis eorum convincamur (§. 271. *part. 2. Phil. pract. univ.*), tum ut cognitio efficiatur viva (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ voluntatem & nolunta-

luntatem efficit perpetuam atque conſtantem (*§. 244. part. 2. Phil. Practi. univ. & §. 1062. part. 1. Theol. nat.*).

§. 373.

Quia animo Deo obediendi laborare debemus (§. 372.), qui vero Deo obedit, lubentiſſime facit, quod Deus vult (§. 194. *part. 3. Eth.* & §. 938. 542. *Pſych. empir.*), ac lege divina delectatur eandemque caram habet (§. 190. *part. 3. Eth.*); *ſi labore noſtro perfungimur, quemadmodum debemus, animus obediendi Deo labori detrahit omnem moleſtiam, eundemque jucundum, nos vero laboris patientes efficit.*

Quomodo labori detrahatur moleſtia & nos laboris reddamur patientes.

Variæ admodum ſunt cauſæ, ob quas labor moleſtus accidit hominibus, ut a labore vacare mallent, modo non neceſſitas laborandi ipſis impoſita eſſet. Quamobrem longe plurimis labor moleſtus eſt, & eos feliciores exiſtimant, qui majore otio fruuntur & genio ſuo indulgere valent. Enimvero ſi agnoſcerent, ſe laborare, ut Deo obedientes ſeſe præbeant, & ſi animus obediendi Deo ex timore Dei filiali, cujus fons eſt amor Dei, derivaretur; moleſtia in voluptatem verteretur, atque hæc ipſa voluptas, quæ felicitatis humanæ pars eſt (§. 636. *Pſych. empir.*), deleret opinionem rationi adverſam, quaſi feliciores ſint illi, quibus fortuna laborandi neceſſitatem ademit, aut qui labori minus gravi, vel in magis lucroſo, aut liberaliori funguntur, præſertim ſi quoque perpendamus, ad obedientiam quoque referendum eſſe, ut eam perſonam, quam Deus nobis impoſuit, recte geramus (§. 426. *part. 3. Eth.*). Vide, quæ alias jam annotavimus (*not. §. cit.*).

§. 374.

Qui Deo confidit & in providentia divina acquieſcit, labore ſuo diligenter & quantum datur recte perfungitur, nec ulla lucri cura animum tangit. Qui enim Deo confidit pro virili agit

De influxu fiduciæ in Deo & actione quod

quieſcentia in providentia ipſius in laborem.

quod ſuum eſt, curam vero eventus Deo relinquit (§. 423. *part. 3. Eth.*). Quamobrem cum labore noſtro diligenter & recte defungi debeamus (§. 366.), nec pecuniam eodem acquirendam primario intendere (§. 369.), immo nec ſemper in poteſtate noſtra ſit, quantum acquirere velimus, id quod a poſteriori unicuique ſatis notum; qui Deo confidit, omnem dat operam, ut labore ſuo diligenter ac recte perfungatur, quemnam vero hinc ſperare debeat fructum, in totum Deo relinquit. Et quoniam qui in providentia divina acquieſcit, ſorte ſua contentus eſt, nec aliis invidet bona ſua (§. 438. *part. 3. Eth.*); eo quoque contentus eſt, quod labore ſuo acquirit, nec ideo inquietatur animus, ſi viderit, aliis laborem ſuum eſſe fructuoſiorem, etiamſi minus diligenter minusque recte eundem perficiant. Quamobrem patet, eum, qui Deo confidit & in providentia divina acquieſcit, labore ſuo diligenter & quantum datur recte perfungi, nec ullam lucri curam animum ipſius tangere.

Patet itaque, quomodo fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina influat in laborem. Fovet nimirum curam diligenter & recte laborandi, ut ſimus vacui ab omni ſenſu culpæ, animum vero liberat ab omni cura, qua torquetur animus eorum, qui labore ſuo pecuniæ acquiſitionem intendunt, & ab omni inquietudine, qua vexatur animus eorundem, ſi conſecuti non fuerint, quod intenderant, aut cujus obtinendi ſpem conceperant.

§. 375.

De medio continentiæ præſentiſſimo & optimo.

Quoniam qui Deo confidit & in providentia divina acquieſcit, labore ſuo diligenter ac recte fungitur, quantum datur (§. 374.), labore autem pecunia acquiritur (§. 365.); qui Deo confidit & in providentia divina acquieſcit, tantum acqui-

acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt. Et quoniam idem nulla lucri cura animum ſuum angit (§. *cit.*); propterea non angitur, quod non plus acquirere valeat. Quamobrem cum virtus illa, qua tantum acquirere ſtudemus, quantum in poteſtate noſtra eſt, nec propterea angimur, quod non plus acquirere valeamus, continentia ſit, quam etiam animum ſorte ſua contentum appellare ſolemus (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); *fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina continentiam gignit, facilitat atque ſuſtentat*, ideoque *præſentiſſimum ac optimum ejus medium eſt* (§. 917. *Ontol.*).

Cur hanc virtutem a ceteris hoc nomine diſtingvamus, alias jam diximus (*not.* §. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Eſt utique peculiaris virtus, quæ moderatur appetitum in acquirenda pecunia, propterea quod virtutes verſantur circa objecta appetibilia & pro eorum diverſitate differant. Reſpondet quoque ipſi peculiare vitium avaritia (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*), quamvis quædam dentur vitia, quæ continentiæ & parſimoniæ una opponuntur, ſordes nimirum & incuria (§. 400-403. *part. 4. Jur. nat.*), de quibus ſingulis mox plura dicentur. Commendamus fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina tanquam medium præſentiſſimum continentiæ, quia continentia ſtatim ponitur, poſita fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina, vi propoſitionis præcedentis (§. 274.). Eſt autem idem medium optimum, quia fiducia in Deo continentiam facilitat, cum Deo confidens curam omnem eventus Deo relinquat, modo ſibi conſcius ſit, ſe quod ſuum eſt, pro virili feciſſe (§. 423. *part. 3. Eth.*), & acquieſcentia in providentia divina eandem ſuſtentat, cum in eadem acquieſcens eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime pendent, approbet (§. 437. *part. 3. Eth.*) & ſorte ſua contentus aliis non invideat bona ſua (§. 438. *part. 3. Eth.*). Luculentius hæc omnia apparent, ſi quis ea omnia intime perſpexerit, quæ de fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia

divina (*integro cap. 7. part. 3. Eth.*) demonſtravimus. Tumque facile conſtabit, fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina eſſe parentes continentiæ & hanc genuinam virtutum illarum ſobolem, difficile autem eſſe, ut absque hisce virtutibus eam conſequaris, modo perpendas, ad continentiam perinde ac ad virtutes reliquas omnes requiri voluntatem conſtantem & perpetuam (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & quam multa ſint, quæ eandem in transverſum agere poſſunt, niſi ex voto ſuccedant omnia, quod ne vix ac ne vix quidem rationi conforme deprehendetur, niſi ex fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina proficiſcatur (*not.* §. 440. *part. 3. Eth.*).

§. 376.

Quomodo Deus laborando colatur & propter eum laboremus.

Si obedientia erga Deum cum timore filiali & amore Dei atque fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina in laborem influunt; laborando Deum colimus & propter Deum laboramus. Etenim obedientia Deo debita, amor ipſius & timor filialis, fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina ad cultum Dei internum ſpectant (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo obedientia erga Deum cum timore filiali atque amore Dei & fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina in laborem noſtrum influunt; labori noſtro cultus divinus accedit, & cum eodem arctiſſimo vinculo connectitur, ſicque Deum laborando colimus. *Quod erat unum.*

Quodſi ſcientia erga Deum cum timore filiali & amore Dei atque fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina in laborem influunt, cum ſine agnitione Dei officia hæc præſtari nequeant (§. 1. *part. 3. Eth.*); laborando teſtamur, nos agnoſcere attributa divina, & pro certo habere, quod ea ipſi conveniant. Quamobrem cum gloriam divinam promoveat, qui hoc facit (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*), qui vero labo-

Digitized by Google

laborando gloriam divinam promovet, laborem ſuum dirigat in eum finem, ob quem Deus hominem condidit (§. 115. *part. 3. Eth.*) & totum mundum creavit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); ſi obedientia erga Deum cum timore filiali & amore Dei atque fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina in laborem influunt, labore noſtro ad finem univerſi a Deo intentum conferimus, quantum eodem conferri poteſt. Quoniam itaque propter Deum agimus, quando propter finem a Deo intentum agimus; ſi obedientia erga Deum cum timore filiali & amore Dei atque fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina in laborem influunt, propter Deum laboramus. *Quod erat alterum.*

Deum in omnibus actionibus colere debemus (§. 1124. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam laborando. Pauci ſunt, qui conſiderant, laborem eſſe partem cultus divini, propterea quod non intelligunt, quid ſit laborare propter Deum, nec perpendunt, quomodo officia erga Deum influant & influere debeant in laborem noſtrum, ut fiat pars cultus divini. Non eſt, quod excipias, actus ad cultum divinum ſpectantes ſic confundi cum actibus profanis: actus enim profanus non eſt, niſi quatenus ſejungitur a cultu divino interno, qui non minus ad cultum divinum externum accedere debet, niſi actus ad eum ſpectantes in profanos verti debeant, quam ad profanos, ut vertantur in cultum divinum, ſeu actus religioſos. Poteramus adhuc ſubtilius rimari, habita ratione finis per laborem intendendi (§. 369.), quomodo laboremus propter Deum, quatenus nimirum per modum cauſæ ſecundæ concurrimus ad conſervationem & perfectionem univerſi: ſed non lubet nobis eſſe prolixioribus. Qui quæ a nobis paſſim demonſtrantur, rite perpendere voluerit &, quænam inde inferri poſſunt, inferre ſtuduerit; multa obſervabit, quæ oculis non ſunt expoſita, nec vulgo attenduntur. Multo minus autem ex propoſitione præſente inferre licet, cultum Dei

publicum esse negligendum, ut labori vacare possis. Quamvis enim labor converti possit in cultum divinum, non tamen totus cultus divinus in eodem consistit, sed saltem pars quædam ipsius est, qua itaque posita non tollitur cultus reliquus, nec ea in præjudicium cultus divini publici extendenda. Accedit, quod cultus divinus publicus promoveat illa officia, quorum ope labor in partem cultus divini vertitur.

§. 377.

De precibus laborantis. *Laborem aggressurus Deum invocare debet, ut vires sufficientes ad diligenter & recte laborandum largiatur atque conservet, & fructum inde sperandum pro sapientia & bonitate sua determinet: labore autem finito Deo gratias agere pro viribus concessis & pro eo, quod labore acquisitum, vel speratur.* Etenim quicquid boni natura habemus, & quicquid quomodocunque acquisivimus, vel acquirimus, id omne Deo datori acceptum referre debemus (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque perpendendum nobis est, nos & essentiam & existentiam a Deo habere, Deum nobis in hac serie rerum hunc tribuisse locum, quem ut haberemus possibile erat, vires agendi largiri, neque hunc mundum, neque rem ullam in eo potuisse facere aliter quam fecit, eundem nobis providere per nexum rerum in hoc universo, & quæcunque naturaliter fiunt secundum providentiam divinam fieri, causis secundis dependenter a Deo & voluntate ipsius conformiter agentibus (§. 473. *part. 3. Eth.*). Necesse igitur est, ut etiam agnoscamus, vires sufficientes ad diligenter & recte laborandum Deo acceptas referri debere, immo eidem quoque tribuendum esse, ut viribus istis uti velimus, & ut eum experiamur laboris fructum, quem acquirimus. Quoniam vero qui Deum invocat non suo stare debet judicio de bonis conferendis, sed hoc in totum relinquere voluntati Dei (§. 479. *part. 3. Eth.*),

Digitized by Google

Eth.), qui ſapientia & bonitate ſua nobis providet (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*); Deo quoque in totum relinquendum eſt, quomodo fructum ex labore noſtro ſperandum determinare velit. Quoniam itaque Deum invocare debemus, ut bona præſentia conſervet & futura nobis conferat (§. 1219. 1220. *part. 1. Jur. nat.*); laborem aggreſſurus Deum invocare debet, ut vires ſufficientes ad diligenter & recte laborandum nobis largiatur & conſervet, fructumque inde ſperandum pro ſapientia & bonitate ſua determinet. *Quod erat unum.*

Enimvero cum beneficii loco habendum ſit, quod Deus nobis vires ad diligenter & recte laborandum largitus fuerit, ut laborem cœptum feliciter abſolvere potuerimus, & beneficiis quoque divinis accenſendum, quod labore noſtro acquiſivimus, vel ex eo ſperamus, *per demonſtrata n. 1.* Deo autem gratias agere debeamus ob bona in nos collata (§. 1212. *part. 1. Jur. nat.*); labore quoque finito Deo gratias agere debemus pro viribus conceſſis & pro eo, quod labore noſtro acquiſivimus, vel ex eo ſperamus. *Quod erat alterum.*

Preces cum labore conjungendæ ſunt, ſi Deum colere velimus, quemadmodum hominem decet. Hinc recte inculcatur, orandum eſſe & laborandum. Injurius in bonitatem divinam eſt, qui preces a labore dividit ſuis confiſus viribus & quæ quoad fructum inde ſperandum a poteſtate ſua non dependent fortunæ tribuens, vel inexorabili fato, quod vero eodem conſequitur tanquam mercedem ſibi debitam, vel merito ſuo adſcribendum conſiderans. Vana autem ſpe lactatur, qui ſolis precibus a Deo obtinere vult, cujus acquirendi medium laborem ipſe conſtituit. Ne vero oratio degeneret in garritum in orando lege naturali prohibitum (§. 1226. *part. 1. Jur. nat.*); ea obſervanda ſunt, quæ de precibus ac inprimis de formulis earum demonſtravimus (§. 478. *& ſeqq. part. 3. Eth.*). Ex ipſa demonſtratione patet, inprimis opus eſſe, ut Deum

Deum datorem omnis boni, quod habemus, vel in poſterum conſecuturi ſumus, agnoſcamus: id enim potiſſimum nos impellit ad preces labori, quem aggredimur, præmittendas, & gratiarum actione eundem finiendum. Quam multa autem requirantur, ut Deus tanquam dator omnis boni agnoſcatur, ex demonſtratione eorum, quæ ad hanc agnitionem requiruntur (§. 473. *part. 3. Eth.*), abunde patet, præſertim ſi ſingulorum demonſtrationes in ſua principia reſolvantur. Quodſi demonſtrationes hasce hoc modo perpenderent profano noſtro ſeculo, qui de acumine ſuo tantopere gloriantur; non adeo abjecte de neceſſitate precum labori præmittendarum & gratiarum actionis labori abſoluto ſuperaddendæ ſentirent, ut eam ad vulgi imperiti opinionem referrent, quæ Deo affingat, quæ vel ab ipſis, vel a fortuna dependent. Quamvis enim vulgus non ſatis capiat, quomodo Deus labori ipſorum benedicat, & erroneas de hac benedictione foveat opiniones in ipſo tolerabiles (§. 99. *part. 3. Eth.*), quas perperam publice traducunt (§. 100. *part. 3. Eth.*); ex demonſtrationibus tamen noſtris abunde perſpicient, nihil a nobis in demonſtrando aſſumi, quod non ex principiis rationis fuerit derivatum, ideoque rationi prorſus conſentaneum, & ad quod pervidendum majus acumen requiritur, quam ipſi ad cenſendum afferunt. Quamvis propoſitio præſens a prima pueritia omnibus nota ſit; non omnibus tamen veritas ejus perſpecta eſt, immo ne penitus quidem intelligitur. Quamobrem noſtrum fuit oſtendere, quomodo obligatio ex ipſa natura humana deducatur & cum natura humana & natura hujus univerſi cohæreat Deique voluntati per eſſentiam & naturam ipſius determinatæ reſpondeat. Ita enim demum intime perſpicitur veritas hujus officii, ſublimis utique, quemadmodum prodit analyſis demonſtrationis rite inſtituta, quæ ſimul docet, quænam ſcitu neceſſaria ſint ad idem penitus intelligendum. Atque idem intelligendum eſt de aliis quoque veritatibus moralibus, quarum ſcientia ſublimis eſt, quamvis in vulgus notæ ſint. Neque vero exiſti-

existimandum est, quasi inutile sit notitiam eorum, quæ in vulgus nota sunt, convertere in sublimem scientiam. Peritis enim satis notum est, theoriam magis exasciatam parere praxin perfectiorem, ad quam ipsa natura obligantur, qui illam capere possunt (§. 177. *part. 1. Jur. nat.*). Sublimior vero officii hominum omnium communis scientia etiam prodest ad retundendam insscitiam eorum, qui, cum supra vulgus sibi sapere videantur, defectu illius ad præjudicatas vulgi opiniones referunt, quæ ipsis in prima pueritia inculcata fuerunt, sed quorum veritatis convicti minime fuerunt. Cum quilibet personam suam recte gerere debeat, quam Deus ipsi imposuit (§. 426. *part. 3. Eth.*); Philosophi quoque est, ut Deum colat suo modo & sua scientia aliis prosit ad Deum perfectiore modo colendum, qui ad eam adspirare nequeunt.

§. 378.

Quoniam laborem aggressurus Deum invocare debet, ut vires sufficientes ad diligenter & recte laborandum largiatur & conservet (§. 377.), qui vero Deum invocat etiam desiderat, ut malum eventu possibile depellat (§. 1219. *part. 1. Jur. nat.*); *si quis laborem aggreditur, quo facile damnum quoddam incurrere poterat, Deum invocare debet, ut hoc depellat.* *Invocatio pro malo depellendo.*

Non omnis labor periculo vacat. Quamvis itaque tum circumspectione utendum sit, ne nostra culpa damnum contingat; Deus tamen non modo invocandus est, ut casus nobis funestos avertat, quæ potestati nostræ non subsunt, verum etiam, cum usus facultatum ad circumspectionem istam necessarius non minus Deo acceptus ferendus sit, quam vires ad laborem diligenter & recte obeundum, quæ de hisce viribus demonstrata sunt (§. 377.), de usu quoque facultatum ad circumspectionem istam requisito tenenda sunt. Qui providentiam divinam agnoscit, non eodem modo se gerere debet, ficut is, qui cœco cuidam & inexorabili fato tribuit

omnes rerum eventus. Ipſa autem invocatio Numinis ad circumſpectionem laborantem adducet, ne ſua culpa in malum incidat: quodſi vero absque ſua culpa in idem incidat, de ſapientia, bonitate ac potentia divina, qua rebus in hoc univerſo providetur (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*), certus (§. 931. *part. 1. Theol. nat.*), nullus dubitat, quin Deus id ſit in bonum finem directurus (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*), quamvis eundem prævidere nequeat. Atque hic utile eſt, probe conſiderare, quod malum phyſicum, quo damnum datur in re noſtra, ſpectandum ſit inſtar tributi, quod Deo Rectori hujus univerſi ſolvitur & quod jure ſuo a nobis exigit (§. 419. *part. 3. Eth.*).

§. 379.

Qualem animum requirant preces ad Deum laboris cauſa fundendæ.

Preces ad Deum fundendæ laboris cauſa requirunt animum forte ſua contentum. Qui enim laborem aggreſſurus preces ad Deum fundit, eum invocat, ut fructum inde ſperandum pro bonitate ac ſapientia ſua determinet, & labore abſoluto gratias agit Deo pro eo, quod labore ſuo acquiſivit, vel ex eo ſperatur (§. 377.). Quamobrem ejus animus ita diſpoſitus eſt, ut tantum acquirere ſtudeat, quantum in poteſtate ſua eſt, non tamen propterea angatur, quod non plus acquirere valeat. Enimvero animum ſorte ſua contentum habet, qui tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valeat (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Preces igitur ad Deum fundendæ laboris cauſa requirunt animum ſorte ſua contentum.

Patet itaque nexus precum ad Deum laboris cauſa fundendarum cum continentia, quam diximus (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Atque hinc patet, qui in veritate Deum invocare vult, ut labori ſuo benedicat, eidemque gratias agere, quod eundem feliciter abſolvere potuerit, eum ante operam dare

dare debere, ut habeat animum ſorte ſua contentum. Qui hanc virtutem nondum poſſidet, ejus quoque preces magis ad garritum accedunt, quam ut veram precum formam habeant. Remanet enim adhuc lucri cupido, quod inſtar finis laboris intenditur, ita ut animus non ſit indifferens reſpectu eventus & Dei voluntati is in totum relinquatur. Quamobrem ſi votis non reſpondeat eventus, triſtitia inquietatur animus, nec pro datis circumſtantiis abſunt affectus alii, qui eundem moleſtia afficiunt. Per ſe vero ulterius patet, quæcunque continentia ſupponit, aut quæcunque ad eandem quidpiam conferunt, ea etiam præſupponi, ſi quis ad Deum preces laboris cauſa fundere debet. Quodſi ergo in harum precum rectitudine nihil deſiderandum, opera ante danda eſt, ut nulla ex parte deficiat continentia. Obiter monemus, quando continentiam quoque dicimus animum ſorte ſua contentum, nos terminum poſteriorem ſumere in ſenſu reſtrictiori, explicandum pro ſubſtrata materia, cum alias latius pateat ſignificatus, quamvis propoſitioni præſenti reſpondeat etiam latior.

§. 380.

Qui nec avarus, nec incurius eſt; animum ſorte ſua contentum Quibusnam habet, ſeu continentiam poſſidet. Avarus enim plus habere vult, quam acquirere in poteſtate ſua eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant, quæ acquirunturtur (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem qui avarus non eſt, contentus eſt iis, quæ acquirere poteſt aut acquiſivit, ſive labore ſuo, ſive fortunæ beneficio (§. 365.), ideoque non angitur, quod non plus acquirere valeat. Et quoniam incurius nunquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſit, & quomodo parta conſervari debeant (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*); qui incurius non eſt, curæ habet, quomodo tan- *vitiis carere debeat, qui continentiam colit.*

tum acquirere poſſit, quantum in poteſtate eſt, & quomodo parta conſervanda, quantum patitur præſens rerum ſuarum ſtatus, ideoque non prætermittit occaſionem, qua licito modo quidpiam acquirere valet. Quamobrem cum virtus illa continentia ſit, qua tantum acquirere ſtudemus, quantum in poteſtate eſt, nec propterea angimur, quod non plus acquirere valeamus (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); qui nec avarus, nec incurius eſt, animum ſorte ſua contentum, ſeu continentiam poſſidet.

Duæ ſunt continentiæ partes, ſtudium acquirendi & acquieſcentia appetitus in iis, quæ acquirimus. Illud metiendum ex iis, quæ in poteſtate noſtra ſunt; hæc vero arcet omnem moleſtiam, qua cupido plus habendi vexat animum. Quodſi ergo ſtudium acquirendi tantum, quantum in poteſtate noſtra eſt, conſervetur, cupido vero plus habendi, quam acquirere potuimus, ex animo exulet; continentiam poſſidemus. Abeſt ſtudium acquirendi tantum, quantum in poteſtate eſt, ſi quis incurius fuerit; cupido plus habendi, quam acquirere valemus, animum inceſſit, ſi quis avarus fuerit. Quodſi ergo neutrum horum vitiorum occupet animum; neutra pars continentiæ deficit, conſequenter virtutem poſſidemus.

§. 381.

Medium continentiæ.

Quoniam qui nec avarus, nec incurius eſt, continentiam poſſidet (§. 380.); *qui continentiam acquirere, eandemque conſervare vult, ſibi tantummodo cavere debet ab incuria & avaritia atque adverſus utrumque vitium munire animum*, conſequenter *maxima ipſius cura eſſe debet, ne animus ulla horum vitiorum labe inficiatur.*

Duo ſunt vitia, quæ debellanda ab eo, qui continentiæ ſtudet, avaritia nimirum & incuria. Hæc continuo continentiæ

tiæ inſidias ſtruunt, quæ ſi irritæ fuerint, continentiæ nihil metuendum. Quamobrem qui continens eſſe vult, in hasce inſidias ſollicite inquirere debet, ut eas tempeſtive patefaciat, ne incautus iisdem ſubigatur. Quamvis itaque paulo ante oſtenderimus, optimum continentiæ medium eſſe fiduciam in Deo & acquieſcentiam in providentia divina (375.); non tamen propterea abjicienda ſunt arma, quibus contra avaritiam & incuriam pugnatur, nec abjicienda cura, quæ adhibenda, ne vitiorum horum inſidiis ſuccumbamus, præſertim cum fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina non adeo facile acquiratur, quemadmodum ſatis patet ex iis, quæ in parte tertia Ethicæ de utraque virtute demonſtravimus, & plures emergant caſus, in quibus virtutes iſtæ vacillant, quemadmodum ex tractatione ſequente elucebit.

§. 382.

Quoniam continens ſibi cavere debet ab incuria (§. 381.), incurius autem nunquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*); *continentia exigit curam tantum acquirendi, quantum in poteſtate noſtra eſt.* Quoniam tamen continens minime angitur, quod non plus acquirere valeat (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), etiamſi non plus acquirere valeat, quam quæ præſenti vitæ neceſſitati ſufficiunt, vel mendicando, ita ut nec paupertas, nec ipſa mendicitas moleſtiam animi ipſi creet (§. 397. *part. 4. Jur. nat.*), *cura, quam pecuniæ acquirendæ adhibet continens, anxia non eſt.*

Qualis cura acquirendi conveniat continentiæ.

Continentia non vacare poteſt omni cura acquirendi, ne, ſi nobis deſint ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatem & decorem requiſita, ut vel in paupertatem, vel egeſtatem, vel ipſam mendicitatem incidamus (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*), nobis ſimus conſcii, quod plus acquirere potuiſſemus, modo occaſionem acquirendi non neglexiſſemus, vel quod labore noſtro non ita defuncti fuerimus, quemadmo-

dum debebamus ac poteramus, vel quod fortunam nobis propitiam non reverenter habuerimus. Senſus enim culpæ pœnitentiam concitat (§. 759. *Pſych. empir.*), affectum moleſtiſſimum (§. 758. *Pſych. empir.*) & eidem affectus alii moleſti ſociantur pro varietate circumſtantiarum diverſi, quibus inquietudo animi augetur. Cura vero, quam fovet continentia, plurimum differt ab ea, quam cupido habendi incendit, non ſolum quatenus ſeductrix non eſt, ut illegitimo modo pecuniam acquirere ſtudeamus, ſed & quatenus eidem nulli ſeſe admiſcent affectus, quæ ſtatum animi quietum & tranquillum perturbant. Etenim cum ad continentiam quoque requiratur acquieſcentia in iis, quæ acquirere in poteſtate noſtra eſt (*not.* §. 380.); hæc quoque non abeſt a deliberationibus, quomodo pecunia a nobis acquiri poſſit, nec a labore, quo eam acquirere intendimus, nec a captanda occaſione, quam fortuna propitia nobis offert, ideoque continentem continuo tuetur, ne animus a ſtatu quieto & tranquillo dejiciatur. Nimirum continens ſaltem deliberat de labore, quo pecuniam acquirere poteſt, qualis & quantus ſit, & de eo, quod faciendum, quando fortuna ſe eidem exhibet faventem, ut munerum ejus fiat particeps, & quod vitandum, ne eandem ſibi adverſam experiatur; non vero curæ habet quantitatem pecuniæ acquirendæ, nec eventum, qui a fortuna maxima parte dependet, cum hæc conſideret tanquam ea, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, in iis acquieturus, quæ evenerint. Atque iſtiusmodi cura acquirendi continentiæ, quæ virtus eſt, maxime convenit. Virtus enim omnis medium felicitatis eſt (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque non admittit, quod quomodocunque moleſtiam creare poſſit (§. 639. *Pſych. empir.*).

§. 383.

Curæ iſtius quænam ſint partes.

Quoniam continentia exigit curam tantum acquirendi, quantum in poteſtate eſt (§. 382.), pecunia autem acquiratur

tur vel labore, vel fortunæ beneficio (§. 365.), in poteſtate autem noſtra ſaltem eſt labor, cui obeundo pares & apti ſumus, fortuna autem poteſtati noſtræ non ſubeſt, ſed nobis ſaltem relictum eſt, ut nobis ſeſe offerentem amplectamur; *cura acquirendi, quam continentia exigit, redit ad determinandum laborem, quo perfungi nobis datur, & vigilantiam, ne occaſionem ad acquirendum oblatam omittamus, ſed ut teneamus.* Quamobrem cum labor ſpectandus ſit tanquam officium erga nos & alios, nec tanquam modus acquirendi, niſi quatenus pecunia eodem acquiſita indigemus ad officia erga nos & alios explenda (§. 371.); *labor æſtimandus eſt ex communi utilitate.* Et quoniam continentia curam acquirendi non extendit ultra id, quod in poteſtate eſt (§. 382.); *labor metiendus eſt ex uſu facultatum, virium & rerum noſtrarum & ope atque auxilio aliorum* (§. 175. *part.* 1. *Jur. nat.*). Cumque vigilantiam contineat, ne occaſionem ad acquirendum oblatam omittamus, ſed ut teneamus, *per demonſtrata; danda quoque opera eſt, ut occaſionem, quando offertur, obſervemus, & omni diligentia eandem arripiamus, nihil ſcilicet eorum omittentes, quæ a nobis fieri poſſunt, ut ea in commodum noſtrum vergat* (§. 751. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

Nulla virtus alteri contraria eſſe poteſt, cum omnis virtus requirat obſervantiam legis naturæ, quæ cum non minus rationi (§. 259. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), quam voluntati divinæ conformis ſit (§. 276. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), nunquam ſibi contraria eſt. Quamobrem qui continentiam colit, in laborando quoque & acquirendo omnia obſervare debet, quæ lex naturæ tam de labore (§. 514. *& ſeqq. part.* 1. *Jur. nat.*), quam de acquirenda pecunia (§. 393. *& ſeqq. part.* 4. *Jur. nat.*) præcipit, neque in exercitio hujus virtutis quicquam committere, quod quocunque modo officio cuidam ſive erga nos atque alios, ſive erga Deum repugnat, quin

quin potius curæ habere, ut in id influant officia omnia, quæ culturam ejus promovent. Quando dicimus, laborem æſtimandum eſſe ex communi utilitate, ad finem potiſſimum reſpicitur, qui intendi debet (§. 369.). Finis nimirum conſideratio erit incitamentum ad laborandum, ne membrum generis humani inutile ſimus. Quando vero contendimus, laborem metiendum eſſe ex uſu facultatum, virium & rerum noſtrarum & ope atque auxilio aliorum; ad modum laborandi attentionem excitamus, nimirum ut non aggrediamur laborem, quem rite exantlare haud valemus, ut labore, cui ſumus pares, diligenter ac recte defungamur, ne cum ſanitatis diſpendio laboremus, ultra quam vires permittunt, ut, ſi impenſas facere teneamur, eas lubenter faciamus, &, ne nobis deſint, diligenter curemus, ut denique ſi ope atque auxilio aliorum ad laborem perficiendum indigeamus, de eo obtinendo ſimus ſolliciti, aut ſi alieno auxilio plus laboris perfici poſſit, utamur eo omni, quod haberi poteſt, aut circumſtantiæ datæ permittunt. Facile apparet, quam multa præcipiantur, dum inculcamus, quomodo labor ſit metiendus, ne in juſta quantitate & qualitate determinanda aberretur. Non eſt quod exiſtimes, non eſſe opus ut talia inculcentur, cum plures ſint cauſæ, quæ homines ad hæc obſervanda impellant. Plurimum enim intereſt, num ea ſpectes tanquam debitum, an vero putes arbitrii tui eſſe, quid facere velis. Status quoque animi longe diverſus eſt, ſi laborans, quicquid facit, cum ſenſu officii facit & virtutis amore, quam ſi ſine officii ſenſu facit & a cauſis aliis ad faciendum impellitur. Quod attinet occaſionem acquirendi, quamvis ea expectanda ſit, ſæpius tamen a nobis dependet, ut offeratur, ſubinde culpa noſtra contingit, ne obveniat, noſtrum eſt, ne oblatam negligentia noſtra omittamus, & ut eam dextre arripiamus, minime autem culpa quadam noſtra opprimamus. Atque hinc denuo diſcimus, quam multæ ſint vigilantiæ partes, quam continentia exigit, quodque niſi hiſce obſervatis fieri haud quaquam poſſit, ne a continentiæ trami-

trámite unquam deflectas. Non vero eſt, quod exiſtimes ſtudium hujus virtutis fore nimis difficile, ſi ad obſervantiam horum omnium extendatur. Quodſi enim quis virtuti omni ſtudet, ac inprimis pietati, quæ omnia erga Deum officia in ſe continet, ob mutuum virtutum in ſe invicem influxum, præſuppoſita voluntate & noluntate bona, multa facies a circumſtantiis præſentibus invitatus, etſi de iis non deliberaveris.

§. 384.

Ad continentiam requiritur, ut contenti ſimus rerum noſtrarum ſtatu, qualiscunque tandem fuerit. Qui enim continens eſt, tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valeat (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), ita ut nec angatur, etiamſi non plus acquirere poſſit, quam quæ præſenti vitæ neceſſitati ſufficiunt, ſi vel maxime mendicando ea acquirere debeat, ideoque nec paupertas, nec mendicitas ipſi moleſtiam creet (§. 397. *part. 4. Jur. nat.*). Quodſi ergo continentiam colere volueris, neceſſe eſt ut contentus ſis rerum tuarum ſtatu, qualiscunque tandem fuerit. *Continentiam exigere, ut ſtatu rerum noſtrarum contenti ſimus.*

Qui continens eſt nihil eorum omittit, quæ in poteſtate ſua ſunt, ut ea acquirat, quibus indigemus ad vitæ neceſſitatem, commoditatem, jucunditatem atque decorem pro eo vitæ genere, quod ſequimur (§. 382. 383.). Quoniam tamen propterea non angitur, quod non plus acquirat, quam acquirere ipſi datur (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); animus ejus minime perturbatur, ſi tantum acquirere nequit, ut vitam etiam commode ac jucunde tranſigat, vel in futuros uſus quædam ſervare poſſit, futuræ neceſſitati proviſurus. Conſcius nimirum ſibi eſt, ſe feciſſe quod ſuum eſt, cetera dependere a nexu rerum in hoc univerſo, quem immutare nemo hominum poteſt. Immo ubi providentiæ divinæ fue-

rit perſuaſiſſimus, quemadmodum eſſe debet (§. 1129. *part. 1. Jur. nat.*); cum norit Deum rebus providere per nexum rerum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*), ſapientia & bonitate ſua conſtitutum (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*); quæ in ſtatu rerum ſuarum a poteſtate ſua non dependent, ad Deum autorem refert, in cujus voluntate acquieſcendum (§. 1201. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero nemo non videt, quam ardua & difficilis virtus ſit continentia, ſi quis præſertim paupertate, vel egeſtate premitur. Rerum ſuarum ſtatu contentum eſſe, ſi omnibus abundamus, quibus quomodocunque indigemus, non adeo difficile eſt, quamvis nec deſint, qui ampliſſimo rerum ſuarum ſtatu contenti non ſunt: aſt qui inopia laborat, etſi nihil in ſe deſiderari patiatur, quod ad ſtatum ſuum perficiendum conferre poteſt, non eandem facilitatem experitur ad continentiam conſervandam, præſertim ſi meliorem ſtatum mereri vel etiam vitæ generi, quod ſequitur, convenire videatur. Plurima hic ſeſe offerunt, quæ affectus moleſtos excitare valent, & in ſtatu rerum florente locum minime habent.

§. 385.

Quænam eo fine requirantur.

Quoniam ad continentiam requiritur, ut contenti ſimus rerum noſtrarum ſtatu (§. 384.); *qui continentiam colere vult, probe conſiderare debet, ſe in ſtatu ſuo, qualiscunque fuerit, felicitate frui poſſe* (§. 425. *part. 3. Eth.*), *nec ideo hominem eſſe felicem, quia fortunatus eſt* (§. 412. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *quod certus eſſe non poſſit, num in alio ſtatu ſit felicior futurus, quam in præſenti eſſe poteſt* (§. 428. *part. 3. Eth.*), *& quod abſurdum ſit velle, ut alius ſit rerum & conditionis ſuæ ſtatus* (§. 430. *part. 3. Eth.*).

Ex demonſtratione eorum, quæ ponderanda eſſe hic inculcamus, ut ſtatu rerum noſtrarum contenti ſimus, apparet, quam multa ſint, quorum convicti eſſe debemus, ut

per

per ea appetitus continentiæ convenienter determinetur (§. 244. 246. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Non igitur existimandum est, per ea, quæ hic præcipiuntur, tolli difficultatem, quam in colenda continentia experimur (*not.* §. 384.): quin potius ex his ipsis colligitur, quam arduum ac difficile sit, ut animus præsterur statu rerum suarum contentus. Etenim quamdiu assensus vacillat veritatibus istis, quas ponderandas esse inculcamus, præbendus; iisdem detrahitur vis ad appetitum determinandum requisita, ut ideo motiva inefficacia experiantur, qui cognitionem vivam acquisitu difficilem insuper habent: id quod etiam in aliis casibus notandum, in quibus motivorum efficacia in dubium vocatur. Talia quidem notanda inprimis sunt ad redarguendam præcipitantiam illorum, qui, cum acumine ceteris præstare sibi videantur, veritates extra nexum earum considerant, quem systema veri nominis conspicuum reddit, & sepositа ratione in sensu quærunt evidentiam, quam ab eo expectare nequeunt. Quodsi vero quis demonstrationes eorum, quæ hic considerанda esse præcipimus, expendere voluerit, is videbit, quam arduæ veritates in Theologia naturali & Cosmologia perspectæ esse debeant, si illorum certa esse debet cognitio, quamvis sine tanto apparatu persuadeantur hebetioribus. Equidem independenter ab iis, quæ de Deo in Theologia naturali demonstrantur, eadem ex principiis quoque pure cosmologicis demonstrari possunt, ne ab hominibus profanis nostri seculi in dubium revocari queant; negandum tamen non est, si veritates istæ ex principiis Theologiæ naturalis demonstrantur, quamvis in horum demonstrationem ingrediantur principia cosmologica, motiva continentiæ fore efficaciora.

§. 386.

Continentia animum tuetur adversus affectuum molestorum impetum, quibus alias torqueri solet, nimirum ne contristemur ob opum carentiam, ut alteri invideamus divitias, fortunamque meliorem, ne nos afflictus moleſtos arceat continentia.

nos pœniteat occaſionis acquirendi neglectæ, ne deſperemus de conſilii eventu, nec de iis, quibus futuræ vitæ neceſſitati proſpicietur, neque etiam iraſcamur iis, quos fortunæ noſtræ adverſos experimur. Qui enim continentiæ deditus eſt, tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valet (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum contriſtemur, ſi non obtineamus, quod cupimus (§. 266. *part. 2. Eth.*); ratio triſtitiæ ceſſat, ſi id non cupimus, quod in poteſtate noſtra non eſt. Continentia igitur animum tuetur adverſus triſtitiam, quam opum carentia concitare alias ſolet. *Quod erat primum.*

Quoniam qui continentiæ deditus ſtatu rerum ſuarum contentus eſt, qualiscunque tandem fuerit (§. 384.), conſequenter de eodem non conqueritur, certus nimirum ſe in ſuo ſtatu felicitate frui poſſe, incertus autem, num in alio ſit felicior futurus (§. 385.); parum curat, quinam ſit aliorum ſtatus, nec propterea eos feliciores exiſtimat, quod opibus abundent & fortuna ipſis magis, quam ſibi faveat. Quamobrem cum invidia oriatur, ſi alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur (§. 714. *Pſych. empir.*), in continente autem ceſſet hæc ratio; continentia quoque animum tuetur adverſus invidiam, ſi videmus alios abundare opibus ac divitiis, quibus nos caremus, & fortuna meliore uti, quam nobis contingit. *Quod erat ſecundum.*

Porro cum continentiæ deditus tantum acquirere ſtudeat, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque nec in labore ſuo diligentiam, nec in arripienda occaſione vigilantiam deſiderari patitur; ſibi quoque conſcius non eſt, quod quædam fecerit acquirendi cauſa, quæ facere minime debebat, aut non fecerit, quod facere poterat. Quam-

Quamobrem cum pœnitentia oriatur, ſi ea, quæ fecimus, nobis repræſentamus tanquam male, aut minus recte facta (§. 759. *Pſych. empir.*); nulla adeſt ratio, cur continentem pœnitere debeat eorum, quæ acquirendi cauſa fecit, vel non fecit. Quamobrem continentia animum tuetur, ne nos pœniteat occaſionis acquirendi neglectæ. *Quod erat tertium.*

Quia continentiæ deditus minime angitur, etiamſi non plus acquirere valeat, quam quæ præſenti neceſſitati ſufficiunt, ſi vel maxime mendicando acquirenda, ita ut nec paupertas, nec mendicitas moleſtia animum torqueat (§. 397. *part. 4. Jur. nat.*); de conſilii eventu parum ſollicitus eſt, nec de iis, quibus futuro tempore indigebit, cum fruſtraneam agnoſcat omnem curam ad ea afferendam, quæ in poteſtate ſua non ſunt, modo ſibi conſcius ſit ſe feciſſe omnia, quæ in poteſtate ſua ſunt. Quamobrem cum tunc demum animum affligat deſperatio, ſi malum, quod appropinquare videtur, tibi repræſentes tanquam inevitabile ac intolerabile (§. 393. *part. 2. Eth.*); in continentia ceſſat deſperationis ratio, conſequenter nec fieri poteſt ut virtuti huic deditus vel de eventu conſilii, vel de iis, quibus futuræ vitæ neceſſitati proſpiciendum, deſperet. *Quod erat quartum.*

Denique quia continentiæ deditus in iis acquieſcit, quæ acquirere in poteſtate ſua eſt, propter ea vero, quæ in poteſtate ſua non ſunt, minime angitur (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); nec propterea angitur, quod aliquos fortunæ ſuæ adverſos experiatur, utpote quorum facta a voluntate ſua minime dependere agnoſcit. Quoniam itaque facto aliorum nos privatos non experiamur bono, quod anxie cuplebamus; nec idem nobis repræſentamus tanquam injuriam, qua nobis ablatum, quod debebatur, ſeu ad quod jus quoddam nobis

competebat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ira concitetur opinione injuriæ nobis ab altero factæ (§. 420. *part. 2. Etb.*); in continentia deficit iræ concitandæ ratio, conſequenter ſi continentiæ fuerimus dediti, iis non iraſcimur, quos fortunæ noſtræ adverſos experimur. *Quod erat quintum.*

Indies experimur, quantum contriſtentur homines, ſi non tantum acquirere valent, quantum mallent; quantum invidia torqueat animum, ſi videant alios, qui idem vitæ genus ſequuntur, vel etiam conditione inferiores ſunt, opibus abundare, quibus ipſimet carere coguntur, ut dudum in proverbium abierit, figulum odiſſe figulum; quantum alios affligat pœnitentia, immo quantum ſibimetipſis indignentur, quod non arripuerint occaſionem acquirendi oblatam, vel ea facere neglexerint, quibus pecuniam, aut res quasdam acquirere poterant; quantum angantur, ſi de conſilii eventu deſperent, quod fortunæ ſuæ amplificandæ cauſa agitant; aut ſi ſibi metuunt, ne olim deſint ea, quibus indigent ad vitam eo modo continuandam, quo eam in præſenti agunt; quantum denique iraſcantur iis, quos fortunæ ſuæ adverſari putant. Quamobrem cum hos affectus omnes arceat continentia; evidens eſt, hanc virtutem animum tueri adverſus impetum moleſtorum affectuum, quibus alii torqueri ſolent.

In caſibus particularibus ſingula, quæ hic oſtenduntur, manifeſtiora evadunt ob circumſtantias particulares, quæ magis in oculos incurrunt, nec in omni caſu eædem ſunt. Quamobrem caſus particulares ſedulo obſervare & attente conſiderare debemus, ut veritas eorum, quæ demonſtrata ſunt, experientia confirmetur, eidemque aſſenſum præbeant plerique, qui ratione convinci nequeunt. Ita nimirum intelligent,

gent, quod animum fruſtra inquietent iis, quæ mutare non poſſunt, & quanti faciendus ſit animus ſorte ſua contentus, qui ab omni iſta inquietudine liber eſt. Atque ita præſens propoſitio præbebit motivum continentiæ efficaciſſimum, cum nemo ſanus fruſtra torquere velit animum, modo omnia expendat. Affectus equidem iſti non omnes æque invadunt animos omnium, qui rerum ſuarum ſtatu contenti non ſunt, vel pro diverſitate ſubjectorum & vitiorum in determinationem appetitus & averſationis nunc huic, nunc iſti locus conceditur, immo admittuntur etiam alii; omnes tamen, qualescunque tandem fuerint, arcet continentia. Cum hæc virtus genuina ſoboles fiduciæ in Deo & acquieſcentiæ in providentia divina ſit; ſi ab hisce ortum ſuum ducat, animum adverſus impetum affectuum moleſtorum tanto fortius tuebitur. Qui enim in providentia divina acquieſcit, pro certo habet, quicquid a Deo fit, vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri, huicque judicio convenienter appetitum & averſationem moderatur (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*), & eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime pendent, approbat (§. 437. *part. 3. Eth.*), nec aliis invidet bona ſua (§. 438. *part. 1. Jur. nat.*). Pellit itaque acquieſcentia in providentia divina triſtitiam, invidiam, iram: adverſus quos affectus continentia animum tuetur. Qui Deo confidit, certus eſt, quomodocunque in poſterum cadant res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*), nec dubius rerum eventus animum ejus angit, nec periculum, quod imminere videtur, perturbat (§. 422. *part. 3. Eth.*). Fiducia igitur in Deo nullum locum relinquit deſperationi, metui & pœnitentiæ, a quibus continentia animum immunem præſtat. Patet itaque, quantas vires ad reſiſtendum affectuum moleſtorum impetui eosque fugandos acquirat continentia a fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina.

§. 387.

§. 387.

De affectibus jucundis, qui comitantur continentiam.

Qui continentiæ deditus eſt, lætatur, quando videt tantundem ſibi ſuppetere, quantum vitæ neceſſitati, vel etiam commoditati, immo jucunditati & decori ſufficit, quod labor ſuus non irritus fuerit, & ſi quando conſilio, vel labori non reſpondeat eventus, fructus conſcientiæ excuſantis percipit. Qui enim continentiæ deditus eſt, tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valeat (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), ſi vel maxime non plus acquirat, quam quæ præſenti vitæ neceſſitati ſufficiunt, & mendicando ea acquirere cogatur (§. 397. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem quando videt tantundem ſibi ſuppetere, quantum vitæ neceſſitati, vel etiam commoditati, immo jucunditati & decori ſufficit, nec laborem ſuum irritum fuiſſe; bona ſua præſentia agnoſcit, quorum magnitudinem æſtimat ex uſu, quem ſibi præſtant, ſicuti laborem ex communi utilitate (§. 383.). Quoniam itaque conſideratione boni præſentis gaudium, ſive lætitia concitatur (§ 624. *Pſych. empir.*); qui continentiæ deditus eſt lætatur, quando videt tantundem ſibi ſuppetere, quantum vitæ neceſſitati vel etiam commoditati, immo jucunditati & decori ſufficit, quodque labor ſuus non fuerit irritus. *Quod erat unum.*

Enimvero cum continentiæ deditus tantum acquirere ſtudeat, quantum in poteſtate ſua eſt (§. 382.), nec quicquam eorum omittat, quæ acquirendi cauſa facere poteſt (§. 383.); ſi contingat, conſilio vel labori non reſpondere eventum, ſe tamen non feciſſe, niſi quod erat faciendum, nec omiſiſſe quicquam, niſi quod erat omittendum, ſibi conſcius eſt, ideoque conſcientia ipſum excuſat (§. 465. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quia cum excuſatione conſcien-

ſcientiæ conjungitur acquieſcentia in ſeipſo (§. 467. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque animus ſumma voluptate perfunditur (§. 468. *part. 1. Phil. pract. univ.*) atque quietus redditur (§. 484. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut homo felix ſit (§. 495. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui continentiæ deditus eſt, fructus excuſationis conſcientiæ percipit. *Quod erat alterum.*

Lætitia & fructus conſcientiæ cum ad felicitatem hominis faciant (§. 636. *Pſych. empir.*); præſens propoſitio continet motivum efficaſſimum continentiæ, propterea quod homines omnes per naturam ſuam felicitatem appetunt (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Cum vero continentia etiam arceat affectus moleſtos (§. 386.), qui hominem infelicem reddunt (§. 637. *Pſych. empir.*); ſi motivum, quod offert propoſitio præcedens, iſti jungatur, efficacia motivi continentiæ maximum inde capiet incrementum, propterea quod homines per naturam ſuam felicitatem averſantur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quemadmodum vero oſtendimus, maximas vires motivum præcedens acquirere ab acquieſcentia in providentia divina & a fiducia in Deo (*not.* §. 386.); ita idem quoque de præſenti poterat oſtendi. Hoc pervidere qui voluerit, curate omnia ponderet, quæ de fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia divina demonſtravimus in parte tertia Ethicæ. Quemadmodum porro de affectibus moleſtis, quos arcet continentia, monuimus, quod in caſibus particularibus varient hi affectus aliique accedant; ita idem quoque tenendum eſt de affectibus jucundis, quos concitat continentia. Ceterum quoniam continentia multa admodum requirit, quæ non adeo facile unusquisque conſequitur, ut propterea hanc virtutem arduam admodum atque difficilem merito dixerimus (*not.* §. 384.); ideo nec experimentum horum fructuum, quos inculcant propoſitio præſens & præcedens, facile eſt. Quodſi ergo, qui continentiæ ſtudet eos in ſe non experitur, is inde intelligat, ſe virtutem hanc ex aſſe nondum conſecutum eſſe.

In moralibus virtutes conſideramus, quales eſſe debent, non quales ſunt in hoc, vel iſto ſubjecto. Quamobrem quæ de virtutibus demonſtrantur, ea ſupponunt virtutem perfectam atque de eadem valent, non vero ſemper valent de virtute imperfecta, qualis hominum eſſe ſolet. Quoniam vero ad virtutem perfectam contendimus, ideo quoque noſſe debemus, quænam ad eam requirantur, & ut ad eam contendere velimus, conſtare debet, quinam fructus inde conſequantur. Notandum præterea eſt, ſi virtutes quædam a ſe invicem dependent, ſicuti una alterius medium eſſe poteſt, ita quoque motiva alterius ſupponere animum virtute priori imbutum, vel ut ſint efficacia, vel ſaltem ut ſint efficaciora. Quæ in propoſitione præcedente continentur, motivi vim habent, quatenus tranquillitatem animi præſtant; quæ vero in præſente continentur, motivi vim accipiunt, quatenus animum lætum efficiunt. Duo enim hæc ſimul ſumta felicitatem hominis abſolvunt, nimirum carere moleſtia & frui voluptate vera.

§. 388.

Quid faciendum, ſi videamus alios nos caremus; eſſe ejusdem nobiscum conditionis opibus abundare.

Ne animus ſorte ſua ceteroquin contentus turbetur, quando videmus alios ejusdem nobiscum conditionis opibus affluentes, quibus non modo ſors eorum, qui ejusdem nobiscum conditionis ſunt, ſed fortunam magis adverſam quam nos experiuntur, cum noſtra comparanda, verum etiam conſideranda ſunt mala fortunæ illorum ſocia & ab iis inſeparabilia, ac perpendendum, num horum participes eſſe velimus. Quando homines contriſtantur, ſi vident alios ejusdem ſecum conditionis opibus abundare, quibus ipſimet carent; quaſi tantæ opes conditioni ſuæ debeantur, aut quaſi non minus eandem fortunam mereantur, qua illi gaudent, opinantur. Quodſi ergo ſortem ſuam conferant cum ſorte aliorum, qui ejusdem ſecum conditionis quoque ſunt, fortunam tamen magis adverſam quam ipſi experiuntur;

falſa

falſa iſta opinio evaneſcet, conſequenter nulla erit ratio, cur ſorte ſua contenti eſſe nolint. Quodſi quis itaque ceteroquin ſorte ſua contentus ſit, & ſaltem perturbetur, quia videt alios ejusdem ſecum conditionis, qui opibus affluunt, quibus ipſe caret (*per hypot.*); comparata ſorte ſua cum ſorte aliorum ejusdem ſecum conditionis, ſed qui fortunam minus faventem experiuntur, quam ipſe; perturbatio iſta ceſſabit. *Quod erat unum.*

Enimvero quando homines ſorte ſua contenti non ſunt, quia ſortem aliorum ſua meliorem judicant; oculos ſaltem convertunt in ea, quæ ſibi deſunt, bona, non vero ſtatum omnem alterius cum ſtatu rerum ſuarum conferunt. Atque hinc contingit, ut non advertant mala, quæ bonis alienis inſeparabiliter adhærent, aut ſaltem talia ſunt, quæ ipſi habere nollent. Quodſi ergo rerum ſuarum ſtatum integrum cum ſtatu integro aliorum componant, id quod utique neceſſe foret, ſi ſtatum ſuum cum ſtatu aliorum permutare deberent; haud difficulter agnoſcent, quam parum inclinatus ſit appetitus ad permutationem. Quodſi ergo animus ſorte ſua ceteroquin contentus perturbetur, quod videmus alios opibus affluentes, quibus nos caremus, quamvis ſint ejusdem nobiſcum conditionis; mala quoque fortunæ conſideranda ſunt bonorum fortunæ ſocia & ab iis inſeparabilia, ac perpendendum, num horum participes eſſe velimus. *Quod erat alterum.*

Naturalis hominum æqualitas, cujus omnem ſenſum inæqualitas per ſtatum civilem introducta non delevit, ipſis facile perſuadet, alterum ſe non eſſe meliorem, aut, ſi inæqualitas civilis ob oculos verſatur, ſaltem alium ejusdem ſecum conditionis ſe meliorem non eſſe. Solent autem homines ſortem ſuam æſtimare ex ſorte aliorum & tunc plerum-

que contingit, ut hæc melior ſua videatur, ita ut fertilior ſemper ſeges ſit in alienis agris & pecus vicinum grandius uber habeat. In ſorte autem æſtimanda non habetur omnium tam bonorum, quam malorum ratio; ſed ſaltem res quædam particulares invicem comparantur, veluti fortunas noſtras cum fortunis alterius conferimus: qui potiſſimum præſens caſus eſt. Quemadmodum vero hic dividuntur, quæ conjungenda erant, ita ex adverſo conjunguntur, quæ ſeparanda erant, quando conditio, qua homines æquales, vel inæquales facit ſtatus civilis, cum ſtatu rerum ipſorum conjungitur, quaſi hic illi ſit coæquandus. Iſtiusmodi opiniones tacite occupant mentes humanas, quas etiam ſubinde, occaſione invitante, verbis aperte ſatis produnt, & in appetitum vim ſuam exerunt. Conjunctioni ſeparandorum medetur conſideratio inæqualitatis ſtatus rerum, quas homines poſſident, etiamſi ejusdem ſint conditionis: perverſam vero æſtimationem ſortis corrigit conjunctio omnium tam bonorum, quam malorum, quæ ad eandem referuntur, inprimis autem malorum bonis inſeparabiliter cohærentium. In caſu igitur priori attentio convertenda eſt ad eos, qui ejusdem nobiscum conditionis ſunt, quorum tamen ſortem noſtra inferiorem deprehendimus, etiamſi eam ſaltem in particulari æſtimemus. Non inutile igitur eſt, ſi multa congerantur exempla, quibus inculcatur, ſtatum fortunarum non eſſe in ratione conditionum. Quemadmodum in omni praxi morali maxima vis eſt exemplorum, ut ideo *Confucius* ſeverus morum & prudentiæ civilis doctor omnem fiduciam in iis collocaverit; ita inprimis in præſenti ſumma eſt. In caſu poſteriori, cum nimis ardua ſit totius ſortis ſuæ cum aliena comparatio, ideoque pauciſſimorum, attendendus eſt potiſſimum animus ad mala cum bonis inſeparabiliter connexa, juxta quæ ſortem noſtram cum aliena comparamus. Ponamus exempli cauſa, *Titium* uxorem duxiſſe bene dotatam, qualem fortuna tibi negavit. Ipſum ideo eſſe opulentum, te carere divitiis. Ponamus porro conjugem Titii eſſe alteram *Xantippem*,

pem, quæ indies novas moleſtias creat marito. Anne igitur tibi eſt animus habendi opes cum uxore adeo maſe morata? *Titius* pecuniam non aliter accepit quam cum uxore. Quodſi ergo ſortem *Titii* anheles, neceſſe eſt ut uxorem iſtiusmodi cum pecunia accipias. Similiter ſpartam, quam alter nactus eſt, tua eſſe pingviorem putas. Habere cupis reditus, ſed non laborem, qui cum officio alterius conjunctus eſt. Quodſi ergo hoc vacare vis, nec illos deſiderare potes. Quæ fortuna nonniſi conjunctim offert, ea dividere non eſt noſtri arbitrii. Non urgemus hic ea, quæ ex acquieſcentia in providentia divina conſequuntur & in parte tertia Ethicæ demonſtrata fuerunt. Qui enim ea tenet, is ſorte ſua contentus eſt, nec alteri invidet ſuam, qualiscunque tandem fuerit, ut aliis remediis non habeat opus ad emendandum appetitum & refrenandum cupiditatem cœcam & temerariam. Qui pro certo habet, a præſtantiſſima mente regi omnia; is non conqueretur, ſe a Deo negligi, qualiscunque tandem ſit rerum ſuarum ſtatus.

§. 389.

Qui ſorte ſua contentus eſt, de fortuna ſibi adverſa non conqueritur, nec limis oculis intuetur fortunam aliorum. Qui enim ſorte ſua contentus eſt, tantum acquirere ſtudet, quantum in poteſtate ſua eſt, nec propterea angitur, quod non plus acquirat (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum pecunia vel labore, vel fortunæ beneficio acquiratur (§. 365.), ipſe autem omnis curæ acquirendi, quam continentia exigit, partes adimpleverit (§. 383.); ſe feciſſe quod ſuum eſt ſibi conſcius non habet quod de ſe conqueratur. Quoniam itaque ea, quæ in poteſtate ſua non ſunt, animum ejus non tangunt, hæc vero a fortunæ poteſtate dependent; de fortuna ſibi adverſa non conqueritur. *Quod erat unum.*

Continentem non conqueri de fortuna, nec aliis invidere bona ſua.

Similiter quia continentiæ deditus non angitur, quod non plus acquirere valeat, quam acquirit, dum facit quod ſuum eſt (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); ejus quoque animus non inquietatur, ſi videt alios labore ſuo, vel fortunæ beneficio plus acquirere, vel acquiſiviſſe, quam ipſe acquirere poteſt. Quamobrem cum invidia conſiſtat in triſtitia ex felicitate alterius percepta (§. 705. *Pſych. empir.*), ſi vel maxime alii videantur feliciores, quod fortuna ipſis magis faveat, id tamen iisdem non invidet, conſequenter fortunam aliorum limis oculis non intuetur. *Quod erat alterum.*

Qui ſorte ſua contentus eſt, non conqueritur de fortuna, quod ſibi minus faveat, quam aliis. Querelæ enim de fortuna adverſa duplicem accuſationem continent, nimirum quod nos negligat, & aliis melius, vel prorſus nimium proſpiciat. Quamvis vero plerumque contingat, ut qui fortunam accuſat, quaſi melius proſpiciat aliis, quam ſibi, aliis invideat bona fortunæ beneficio acquiſita; non tamen ſemper accuſatio invidiam comitem habet. Fieri enim poteſt, ut quis æquo animo ferat, alios abundare opibus, iniquo tamen ferat, quod ipſe iisdem careat. Et ex adverſo fieri quoque poteſt, ut quis de ſorte ſua non conqueratur, aliis tamen invideat ſua meliorem. Sorte vero ſua qui contentus eſt, nec de ſua conqueritur, nec aliis ſuam invidet. Hic quoque denuo plurimum valet acquieſcentia in providentia divina. Cum enim hæc cum fiducia in Deo ſit optimum continentiæ medium (§. 375.); in omnia quoque influit, quæ ab hac virtute abeſſe nequeunt.

§. 390.

Signum continentiæ deficientis.

Quoniam qui ſorte ſua contentus eſt, de fortuna ſibi adverſa non conqueritur, nec limis oculis intuetur fortunam aliorum (§. 389.); *ſi quis continuo de fortuna ſibi adverſa conque-*

conqueritur, & limis oculis fortunam aliorum intuetur, ſorte ſua contentum animum nondum habet.

Invidia cum querelis de ſorte ſua conjuncta haud fallax indicium eſt, querentem ſorte ſua contentum non eſſe: indicio nimirum eſt, eum habere malle, quod habent alii, ſed quo ipſe caret. Tanto enim manifeſtius eſt, quod animum ſorte ſua contentum nondum habeat, ſi nulla appareat ratio, cur conqueratur. Rationes conquerendi deſumuntur vel a carentia rerum neceſſariarum, vel utilium, vel voluptuariarum, vel earum, quas decorum exigit, vel denique inde, quod nihil in uſus futuros conſervare valeamus. Prævalent in ſigno, ſi de carentia rerum voluptuariarum conqueruntur homines: quo facilius enim rebus nonnullis carere poſſumus, eo apertius querelæ propterea motæ, quod iisdem carere cogamur, loquuntur, nos ſorte noſtra contentos non eſſe. Condonandæ quoque facilius, ſi quis inopia eorum laborat, quibus ad vitæ neceſſitatem indiget, præſertim ſi mendicitas conditioni ipſius parum conveniat. Diſtingvendæ quoque ſunt querelæ generales de temporum præſentium infelicitate, quibus præterita præferuntur, a ſingularibus, quæ ad perſonam querentis reſtrictæ ſunt. Quamvis enim interdum etiam illæ ex carentia animi ſorte ſua contenti proficiſcantur, quemadmodum tam ex verbis, quibus exprimuntur, quam ex affectu, quo proferuntur, innoteſcit, non tamen ſemper indicium ſunt continentiæ deficientis. Inde eſt, quod etiam nonnulli de temporum præſentium infelicitate, quibus acquiſitio pecuniæ difficillima, niſi beneficio fortunæ ab aliis parta conferatur, valde conquerantur, mox tamen addant ſe querelis iſtis de ſorte ſua non habere opus. Atque hi miſerantur potius ſortem aliorum, quam meliorem eſſe mallent, quam ut eandem ipſis invideant. In uſu ſignorum multa ſemper circumſpectione opus eſt, ne perperam applicentur.

§. 391.

§. 391.

Querelæ de fortuna fortunatiore in alio vitæ genere.

Qui ægre fert, ſi videt alios in ſuo vitæ genere plus acquirere, quam ipſe in eo, quod ſequitur, acquirere valet; animum ſorte ſua contentum non habet. Idque tanto clarius apparet, ſi ipſi non deſunt ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem atque decorem requiſita. Si quis enim ægre fert, quando videt alios in ſuo vitæ genere plus acquirere, quam ipſe in eo, quod ſequitur, acquirere valet; is utique moleſtia torquet animum, quod non tantum acquirere valeat, quantum acquirunt alii, conſequenter propterea angitur, quod non plus acquirere valeat. Aſt cum continentiæ deditus non angatur, quod non plus acquirere valeat, quam in poteſtate ſua eſt (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*); inquietudo illa animi continentiæ repugnat. Quodſi ergo quis ægre ferat, ſi videt alios in ſuo vitæ genere plus acquirere, quam ipſe in eo, quod ſequitur, acquirere valet; animum ſorte ſua contentum nondum habet. *Quod erat unum.*

Si jam ponamus ipſi non deeſſe, quæ ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem atque decorem requiruntur, cum ipſi omnia ſupperant, quibus in hac vita frui poteſt, conſequenter nonniſi ob defectum ſuperfluorum angatur animus (§. 239. *part. 4. Jur. nat.*), querelæ de aliorum fortuna fortunatiore tanto magis rationi adverſantur. Quamobrem ex iis tanto clarius apparet, quod non habeat animum ſorte ſua contentum. *Quod erat alterum.*

Signum deficientis continentiæ minime fallax ſunt querelæ de fortuna fortunatiore in alio vitæ genere. Qui enim querelas iſtiusmodi movet, ſibi perſuadet vitæ genus, quod ipſe ſequitur, eandem mereri fortunam, quæ comitatur aliud vitæ genus, & ſuum atque hoc coæquari hac in parte cupit. Comitatur eas haud raro invidia erga alios, ſubſiſtunt tamen quoque

quoque querelæ absque invidia. Novi Profeſſorem Theologum, qui lugubri voce conquerebatur, JCtis pro lectionibus privatis & reſponſis Facultatis large liberaliterque mercedem ſolvi, cum ſibi numerus auditorum pauperum eſſe debeat loco mercedis. Ecquis non inde colliget, ipſum non habuiſſe animum ſorte ſua contentum, præſertim cum Theologo maxime conveniret, ut in providentia divina acquieſceret? Publice proſtant querelæ toties in ſcriptis repetitæ a *Sturmio* juniore, Profeſſore quondam Matheſeos in Academia Francofurtenſi de fortuna fortunatiore JCtorum & Architectorum in aula Berolinenſi, quamvis ſalario opimo frueretur & ab auditoribus pro inſtitutione in Matheſi practica, utraque inprimis Architectura, merces liberaliſſime ſolveretur, ut, ſi ſortem ſuam comparare voluiſſet cum ſorte parentis ſui, qui fuerat Profeſſor Matheſeos & Phyſicæ in Academia Altorfina, vel etiam Profeſſorum Matheſeos in aliis Academiis, eam longe meliorem deprehendiſſet ſibi gratulaturus, quod fortunam ſibi minus merenti adeo faventem experiretur. Docuit vero eventus, quod inſtar canis apud Æſopum umbram captans carnis jacturam fecerit. Fortuna enim beneficii ſui contemtorem haud raro deſtituit, ut, qui favorem ejus agnoſcere non vult, diſcat quid ſit eandem ſibi adverſam experiri, & quid interſit inter egeſtatem & ſtatum medium inter paupertatem atque divitias (§. 238. 240. *part. 4. Jur. nat.*). Sed ut turpitudo vitii agnoſcatur, quo inficitur animus eorum, qui tam importunas querelas movent, nec ſorte ſua contenti ſunt, qua maxime contenti eſſe poterant atque debebant, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 392.

Qui ſorte ſua contentus non eſt, præſertim qua maxime contentus eſſe poterat ac debebat; in ipſum Deum injurius eſt. Etenim qui ſorte ſua contentus non eſt, ſed ſuam & ſortem aliorum coæquari vult; præſentem rerum nexum, a quo

De turpitudine animi ſorte ſua non contenti.

Digitized by Google

dependent fata noſtra (§. 83. *Coſmol.*), reprehendit, conſequenter cum is ſapientia & bonitate divina conſtitutus ſit (§. 928. *part. 1. Theol. nat.*) & Deus in hoc univerſo per eundem rebus provideat (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*) ſeque ſanctiſſimum probet (§. 1066. *part. 1. Theol. nat.*), ut nihil faciat, quod rectum non ſit (§. 1063. *part. 1. Theol. nat.*), ipſum Deum ſubaccuſat, quaſi minus recte gubernet hoc univerſum. Quamobrem cum Deus ſit Dominus naturæ, totius mundi ac omnium, quæ in eo ſunt (§. 965. *part. 1. Theol. nat.*), in ſpecie etiam hominum (§. 966. *part. 1. Theol. nat.*), & fortuna quoque providentiæ ipſius ſubſit (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*), ideoque de omnibus in hoc univerſo diſponere poſſit pro arbitrio ſuo (§. 959. *part. 1. Theol. nat.*); qui vult ut Deus diſponat, non quemadmodum ipſi placuerit, ſapientiæ ac bonitati ſuæ convenienter, ſed quemadmodum ſibi viſum fuerit cupiditatibus ſuis conformiter, in jus Dei involat, conſequenter id violat. Quoniam itaque in violatione juris alterius injuria conſiſtit (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſorte ſua contentus non eſt, in ipſum Deum injurius eſt. *Quod erat unum.*

Quodſi jam ſors ejus, qui eadem contentus non eſt, ea fuerit, qua maxime contentus eſſe poterat, cujusmodi exemplum modo commemoravimus (*not.* §. 391.); bonitas divina inde agnoſci debebat (§. 737. *part. 1. Theol. nat.*): quod cum facere negligat, qui ſorte ſua contentus non eſt, ingratus erga Deum eſt, conſequenter cum ingratitudo turpiſſimum vitium ſit (§. 477. *part. 3. Eth.*), ſi ad injuriam in Deum accedit, *per demonſtrata*, hanc utique auget. Quamobrem qui ſorte ſua contentus non eſt, qua maxime contentus eſſe poterat atque debebat, in Deum maxime injurius eſt. *Quod erat alterum.*

Con-

Continentia rara admodum virtus eſt. Non eſt, quod raritatem miremur, quia præſentiſſimum ac optimum ejus medium acquieſcentia in providentia divina negligitur (§. 375.). Negleſtus cauſæ ſunt falſæ opiniones complures de ſtatu hominum (§. 443. *part. 3. Eth.*), quæ tacite ſaltem irrepunt in mentem hominum, quando veritates iisdem oppoſitæ ignorantur. Ignorantia hac cum laborent etiam qui Theologi audiunt, cur in ipſis quoque deſideretur acquieſcentia in providentia divina & cum eadem indivulſo nexu cohærens continentia, non eſt quod miremur. Hæc vero etiam cauſa eſt, cur non agnoſcatur, quantum in Deum injurius ſit, qui ſorte ſua contentus non eſt, præſertim ſi ea fuerit, qua contentus eſſe debebat ac poterat. Excuſationem vero in Theologo non habet ignorantia, quæ ne Philoſopho quidem condonanda. Ne igitur fœda hac labe contaminetur animus, opera danda eſt, ut, quæ de providentia divina in parte prima Theologiæ naturalis & de acquieſcentia in eadem in parte tertia Ethicæ demonſtravimus, penitus perſpiciantur. Cum vero non deſint inter eos, qui Theologi audiunt, qui doctrinam de neceſſitate eſſentiarum & nexu rerum in hoc univerſo tanquam impiam ſub odioſo fati Stoici nomine traducunt, & neſcio quibus conſequentiis moleſtis eandem onerant, ut argumento ab invidia ex aſſe ſatisfaciant; agnoſcant hinc velim, quantum impedimentum objiciant hominibus, ne ſorte ſua contenti ſint, & quantum injuriam in Deum promoveant. Immo agnoſcant, quod eadem de cauſa ipſimet fœdiſſima hac labe bonam ſuam, quam habent, voluntatem contaminent. Non ſufficit velle eſſe pium, ſed ut pius ſis, recte quoque de Deo cogites neceſſe eſt. Neque alios ad pietatem minime fucatam perduces, niſi rectas de Deo cogitationes menti ipſorum inſinuando.

§. 393.

Abſurdum eſt ſorte ſua contentum non eſſe. Qui enim ſorte ſua contentus non eſt, cum videt aliorum ſortem eſſe melio- *Abſurditas eorum, qui*

ſorte ſua contenti non ſunt.

rem ſua, vel ſaltem putat; is vult ut alius ſit rerum ſuarum & conditionis ſtatus: vult enim eſſe eundem, qui ſaltem opinione ipſius eſt aliorum. Enimvero abſurdum eſt velle, ut alius ſit rerum & conditionis noſtræ ſtatus (§. 430. *part. 3. Eth.*). Ergo etiam abſurdum eſt ſorte ſua contentum non eſſe.

Abſurditatem hanc non agnoſcit, niſi qui convictus fuerit, fieri non potuiſſe, ut alium in hac ſerie rerum locum obtineret: quod cur difficulter cognoſcatur, alias jam docuimus (*not.* §. 430. *part. 3. Eth.*). Perpauci præterea ſunt, in quibus abſurditatis agnitio prævalet adverſus impetum affectuum appetitum in transverſum trahentium. Dedecet tamen Philoſophum hanc abſurditatem non agnoſcere, multoque magis ea cupere, quæ abſurda eſſe non diffitetur, ac propterea inquietare animum, quod ea conſequi nequeat. Subinde vero contingit, ut abſurditatem perſuadeas hebetioribus, qui autoritati firmiorem habent fidem, quam eſt aſſenſus vi demonſtrationum extortus, tumque valet motivum, cujus efficaciam alias non una ratio labefactat. Accedit, quod motiva, quæ ſola parum aut nihil efficaciæ habent, vim tamen aliorum, quibus junguntur, augeant, cum tunc non advertantur rationes, quæ alias in ſe licet certum non tamen ſatis perſpectum in dubitationem adducunt. Talia optime cognoſcuntur in caſibus particularibus, in quibus vi circumſtantiarum præſentium in rationes eorum, quæ obſervantur, inquirimus. Quamobrem caſuum particularium reſolutiones non ſatis commendari poſſunt tam ad ſcientiæ, quam ad praxis moralis profectum.

§. 394.

Quænam perpendenda ſunt ſortem

Qui ſorte aliorum commovetur, ut ſua contentus non ſit, inquirere tenetur in rationes, ob quas habere vult, quod habent alii, ipſe non habet, & num felicior ſit futurus, vel vitam commodius ac jucun-

jucundius transacturus, quam nunc, quando iisdem caret. Etenim *aliorum in-* pecuniam non propter ſe appetere debemus (§. 412. *part. 4. bianti. Jur. nat.*), ſed quatenus ea indigemus ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam (§. 368.). Quodſi ergo inquiramus in rationes, ob quas habere volumus, quod habent alii, ipſi vero non habemus; an pecunia per ſe appetatur, an vero eadem indigeamus ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam facile conſtabit. Ne vero hanc indigentiam ultra id extendamus, quod convenit, conſiderandum eſt, nos non obligari ad vitam commode (§. 466. *part. 1. Jur. nat.*) ac jucunde tranſigendam (§. 471. *part. 1. Jur. nat.*), niſi quantum in poteſtate eſt (§. 209. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 175. *part. 1. Jur. nat.*), nec ulterius extendendam eſſe obligationem aliorum perfectionem promovendi (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque virtus (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non bona fortunæ hominem reddant felicem (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*), neque etiam bona corporis (§. 411. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quia voluptas tranſitoria, etiamſi innocua fuerit, quæ inde percipitur, non magnam partem felicitatis humanæ faciat (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ut ea non facile carere ac defectum abundantius virtutis ſtudio ſupplere valeamus; haud difficulter quoque agnoſcemus, nos non fore feliciores quam nunc ſumus, etiamſi haberemus, quod habent alii, nos non habemus. Immo ſi advertamus nos vitam nec commodius, nec jucundius transacturos, ſi vel maxime id haberemus; rationem ſufficientem nullam eſſe conſtabit, cur iis contenti eſſe nolimus, quæ habemus. Quamobrem patet, ſi quis forte aliorum commovetur, ut ſua contentus non ſit, ea, quæ inculcamus, facienda eſſe.

Cupiditas hominum ſæpe tendit ad ea, quæ num habere conducat non inquirunt. Quodſi ergo vident, ea a ſe acquiri non poſſe, contriſtantur & gradus triſtitiæ reſpondet gradui cupiditatis (§. 266. *part. 2 Eth.*). Excitant autem cupiditatem bona, quæ habent alii, ita ut haud raro non aliam cupiditatis rationem allegare valeant, quam quod hoc, vel illud alii habeant. Loquimur autem in præſenti ſaltem de bonis fortunæ, non vero de bonis animi. Cupiditas enim habendi bona animi, quam incendit exemplum aliorum, non extingvenda, ſed alenda, ut omni animi contentione ea conſequi ſtudeamus. Studium enim hoc in poteſtate noſtra eſt, quamvis non æque ſit profectus. Nec hic opus eſt, ut inquiramus, cur ea habere velimus: ad ſtudium enim eadem conſequendi nos ducit naturalis obligatio, quæ nullo limite circumſcribitur, ita ut continuo progrediendum ſit ultra. Alia vero eſt ratio bonorum fortunæ, ac inprimis pecuniæ, de qua potiſſimum hic nobis ſermo eſt. Hæc appetenda eſt propter uſum, quo indigemus, ideoque ex hoc æſtimanda eſt ejus cupiditas. In æſtimando autem uſu non ſolum id quæritur, num poſſis commodius ac jucundius vitam tranſigere, ſi hoc, vel iſtud habeas, ſed & num velis. Et ſi quæſtio fuerit de fortuna liberorum promovenda, probe conſiderandum eſt, annon bona educatione rectius iis proſpiciatur, quam opum cumulatione. Maxime autem neceſſarium eſt, ne felicitatem cum fortuna ſecunda confundamus, nec feliciores putemus, qui ſunt nobis fortunatiores, neque etiam exiſtimemus nos fore feliciores, ſi fuerimus fortunatiores. Quodſi hæc omnia obſervemus, facile agnoſcemus fortunam aliorum fortunatiorem absque ratione nos permovere, ne noſtra ſorte ſimus contenti.

§. 395.

Certitudo judicii Dei, Quoniam ſorte noſtra non contenti, quia videmus alios habere, quod nos non habemus, in rationes inquirere debe-

Digitized by Google

debemus, cur id habere velimus, & perpendere, num ideo feliciores ſimus futuri (§. 394.); ne falſo judicio nobis imponamus, cum conſtet, nihil mali nobis accidere poſſe niſi Deo providente ſecundum ſapientiam & bonitatem ſuam (§. 931. *part. 1. Theol. nat.*) & fortunam providentiæ divinæ ſubeſſe (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*); *plurimum conducit ad æſtimandam ſortem noſtram, ut perpendamus, Deum rectius judicare quam nos, quæ nobis bona ſunt* (§. 413. *part. 3. Eth.*), *& quam fallax ſit hominum de ſtatu ſuo judicium* (§. 417. *part. 3. Eth.*).

fallacia noſtri de ſtatu noſtro conſideranda.

Inquirendum eſt in rationes, cur cupiamus fortunam fortunatiorem, quam habent alii, ut inde diſcamus, utrum revera nobis bonum ſit, nec ne, quod cupimus. Quodſi enim contrarium apparuerit, cupiditas evaneſcit, conſequenter nec amplius obſtabit, quo minus ſorte noſtra ſimus contenti (§. 484. *part. 2. Eth.*). Quamdiu vero opinionem iſtam fovemus, quod melior foret conditio noſtra, ſi hoc, vel iſtud haberemus, quod caremus, cupiditas non reſtingvitur, ideoque nec ſorte noſtra contenti ſumus. Patet igitur, quantum interſit, ut fallaciam judicii noſtri, certitudinem judicii Dei de ſorte noſtra agnoſcamus & pro certo habeamus, Deum nobis tantundem conferre boni, quantum ſalva ſapientia ſua conferre poteſt (§. 698. *part. 1. Theol. nat.*), nos vero de bonitate divina eodem modo, quo Deus, judicare non poſſe (§. 729. *part. 1. Theol. nat.*), ut in judicio Dei acquieſcamus, noſtro autem ſtare nolimus. Conferenda hic ſunt, quæ de fallacia judicii hominum de ſtatu ſuo agnoſcenda demonſtravimus (§. 417. *part. 3. Eth.*), nec non de eradicanda opinione, quaſi Deus nobis non bene provideat, quod caremus eo, quod habere maxime velimus (§. 415. *part. 3. Eth.*).

§. 396.

Abſurdum eſt bonis ſuis non lætari & alienis contriſtari. Homo per naturam ſuam felicitatem appetit (§. 324. *part. 2. Phil.*

Quod abſurdum ſit,

Digitized by Google

alienis bonis contriſtari, ſuis non lætari.

Phil. pract. univ.), infelicitatem averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque gaudium, ſive lætitia ad felicitatem (§. 614. 636. *Pſych. empir.*), triſtitia ad infelicitatem pertinet (§. 619. 637. *Pſych. empir.*); qui bonis ſuis non lætatur & alienis contriſtatur ſe privat felicitate, qua frui poterat, & in infelicitatem ruit, quo carere poterat, contra naturam appetitus & averſationis. Quamobrem cum abſurdum ſit velle eſſe felicem, & ſe felicitate, qua frui poteramus, privare, nolle eſſe infelicem & ſe in infelicitatem præcipitem dare, qua carere poteramus; abſurdum omnino eſt bonis ſuis non lætari & alienis contriſtari.

Multa homines abſurde faciunt: nemo tamen videri vult abſurdus. Quamobrem maxime intereſt, ut abſurditas agnoſcatur. Ea enim niſi agnoſcatur, ſapientia hominum in inſipientiam degenerat. Detecta autem abſurditate in ruborem dantur, qui dum ſapere ſibi videntur & videri volunt aliis, inſipientes ſe probant. In præſenti caſu abſurditas ſatis manifeſta eſt, ut etiam hebetioribus eam facile perſuaſeris, cum tota nitatur repugnantia cupiditatis cum appetitus & averſationis naturali determinatione unicuique explorata. Propoſitio præſens generalis eſt, ut non modo ſit remedium adverſus animum ſorte ſua non contentum, verum etiam adverſus invidiam. Infimæ ſortis homines plerumque rectius fruuntur bonis ſuis, aliena parum eos movent: aſt id quoque plerumque non virtuti, ſed ignorantiæ & a prima pueritia contractæ conſuetudini tribuendum, quemadmodum apud gentes barbaras plus valet vitiorum ignoratio, quam apud cultiores virtutis ſcientia.

§. 397.

An pauper & mendicitate redactus; in ſtatu ſuo felix eſſe poteſt.

Qui ſine culpa ſua pauper eſt, vel prorſus ad mendicitatem redactus; in ſtatu ſuo felix eſſe poteſt. Qui enim perpendit, ſe ſine

ſine culpa ſua eſſe pauperem, vel prorſus ad mendicitatem redactum; ejus animus ab omni culpæ ſenſu quoad ſtatum ſuum vacuus eſt, ſeu is ſe nullius culpæ ſibi conſcium eſſe agnoſcit. Quamobrem cum magna felicitatis pars ſit animus ab omni ſenſu culpæ vacuus, ſeu ſibi conſcium non eſſe ullius culpæ (§. 685. *part. 2. Phil. pract. univ.*); hac ipſa felicitate etiam frui poteſt pauper atque mendicus in ſtatu ſuo, ſi in paupertatem, vel mendicitatem non inciderit ſua culpa. Quamvis pero pauper & mendicus victu & amictu vili contentus eſſe cogatur (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*), cum tamen natura paucis contenta ſit, ut vitam tolerare poſſint, hoc minime obſtat, quo minus res neceſſarias, quibus utuntur ad ſui conſervationem, beneficium Dei datoris omnis boni agnoſcant (§. 267.) eidemque gratias agant & bonitate ipſius delectentur (§. 268.), cumque voluptate perfundatur animus, ſi cum ſenſu beneficii divini cibo ac potu fruimur, & hæc voluptate, quæ ex ſapore cibi ac potus percipitur, infinities major ſit (§. 270.), felicitate fruuntur, qua carent opulenti, qui ſine ſenſu beneficii divini & absque gratiarum actione laute ac opipare vivunt (§. 638. *Pſych. empir.*). Immo quodſi perpendant Deum ſibi jure ſuo hanc impoſuiſſe perſonam (§. 413. *part. 3. Eth.*), ipſis vero dandam eſſe operam, ut eam recte gerant (§. 426. *part. 3. Eth.*), Deo ſeſe obedientes præbituri (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*); nec pauperi labor multus & gravis, quamvis videatur parum fructuoſus, moleſtiam creabit, nec mendico moleſtum accidet mendicando acquirere ad extremam vitæ neceſſitatem ſublevandam neceſſaria, conſequenter nec hac ex parte verendum eſt, ne fiant infelices (§. 639. *Pſych. empir.*). Denique nec paupertas, nec mendicitas obſtat, quo minus virtutem colant, cum ad ejus culturam non indigeant rerum externarum apparatu

cur felix eſſe poſſit.

(§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*): quin potius ipſe eorundem ſtatus motiva virtutum & remedia vitiorum ſuppeditare poteſt, conſequenter quia virtus homines felices reddit, ut ſine ea nemo felix eſſe poſſit (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitio vero deditus infelix eſt (§. 406. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & nemo ideo felix eſt, quia bonorum fortunæ particeps (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*), tam pauperes, quam mendici vera felicitate frui poſſunt. Patet itaque qui ſine culpa ſua pauper eſt, vel prorſus ad mendicitatem redactus, eum in ſtatu ſuo felicem eſſe poſſe.

Equidem nullus dubito, fore longe plurimos, quibus nimis paradoxum videbitur, pauperem ac mendicum in ſtatu ſuo poſſe eſſe felicem: velim tamen ut probe perpendant demonſtrationem præſentem. Hanc vero ſi perpendere velint, neceſſe eſt ut demonſtrationes ſingularum propoſitionum, quæ hic inſtar principiorum ſumuntur, ſimiliter expendant & in ſua principia continuo reſolvant, quemadmodum analyſis demonſtrationum exigit ſæpius a nobis jam inculcata. Non nego paupertatem & mendicitatem eſſe mala phyſica (§. 416. *part. 4. Jur. nat.*), quæ per ſe non ſunt appetibilia (§. 904. *Pſych. empir.*), nec nego cavendum eſſe, ne culpa noſtra in paupertatem, aut egeſtatem incidamus, aut ad mendicitatem redigamus (§. 416. *part. 4. Jur. nat.*). Immo oſtendimus quoque, in pecunia acquirenda & conſervanda omnem operam ac induſtriam collocandam eſſe, quæ in poteſtate eſt (§. 393. *part. 4. Jur. nat.*), ut ſcilicet vitam quoque commode (§. 466. *part. 1. Jur. nat.*) & jucunde tranſigere valeamus (§. 471. *part. 1. Jur. nat.*). Huc etiam faciunt, quæ de cura & vigilantia ſuperius inculcavimus, ſollicite obſervanda, ſi animum ſorte noſtra contentum habere velimus (§. 383.). Aſt hæc omnia minime adverſantur propoſitioni præſenti, quæ ſupponit pauperem & mendicum non ſua culpa, ſed mero infortunio incidiſſe in eum ſtatum, quem præcavere debet, quam-

quantum poteſt. Quoniam itaque impedire homo nequit, ne absque ſua culpa fiat miſer, hic tantummodo oſtenditur, ne miſeriam in infelicitatem vertat (§. 329. *part. 2. Eth.*): quæ quomodo a ſe invicem diſcernantur, ſatis docuimus (*not. §. cit.*). Quæ in poteſtate noſtra non ſunt, a nobis quoque mutari non poſſunt. Noſtrum tamen eſt, ut felicitatem conſervemus, quæ poteſtati noſtræ non ſubducitur. Nihil nobis in mundo accidere poteſt mali, qualecunque tandem ſit, niſi Deo providente ſecundum ſapientiam & bonitatem ſuam (§. 931. *part. 1. Theol. nat.*) & bonitati divinæ quoque tribuendum, ſi Deus homini ob fines ipſi ſalutares mala phyſica immittit (§. 734. 735. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus velit hominem eſſe felicem (§. 706. *part. 1. Theol. nat.*), ut autem ſit infelix, velle nequeat (§. 707. *part. 1. Theol. nat.*); ideo nec fieri poteſt, ut velit hominem eſſe pauperem, aut mendicum, ut ſit infelix. Ne igitur in bonitatem divinam injurii ſimus, agnoſcendum eſt, ſi quis absque culpa ſua fuerit pauper, vel mendicus, eum in hoc quoque ſtatu felicem eſſe poſſe. Nihil vero in eo difficultatis occurret, modo felicitatem cum fortuna ſecunda non confundamus, nec infelicitatem cum adverſa: quod cum vulgo fieri ſoleat, præſens quoque propoſitio, inveteratæ opinioni contraria, abſona videtur.

§. 398.

De pecunia modo illicito acquirenda.

Qui continentiæ deditus eſt, pecuniam modo illicito, ſeu facto lege naturæ prohibito acquirere non vult. Etenim qui continentiæ deditus eſt, pecuniam acquirere non ſtudet, niſi quantum in poteſtate ſua eſt (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum ab omni facto illicito abſtinere obligemur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatio vero, quæ a lege naturæ venit, neceſſaria & immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); pecuniam modo illicito, ſeu facto lege naturali prohibito

hibito acquirere referendum eſt ad ea, quæ in poteſtate noſtra non ſunt (§. 175. *part. 1. Jur. nat.*). Ergo qui continentiæ deditus eſt, pecuniam modo illicito, ſeu lege naturæ prohibito acquirere non vult.

Omne factum legi naturæ contrarium ad vitium pertinet (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Continentia virtus eſt (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque omnia facta ad eam referenda legi naturæ conformia ſunt (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem pecuniam facto legi naturæ contrario acquirere continentiæ repugnat. Plures ſunt modi illiciti pecuniam acquirendi. Pertinet huc omnis fraus tam conſilii, quam eventus (§. 147. *part. 5. Jur. nat.*), lege naturali prohibita (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*). Pertinent huc ludi, ſi quod periculo ſubjicitur, excedat expenſas, quas jucunditatis vitæ cauſa facere licet (§. 364. *part. 5. Jur. nat.*), ideoque nonniſi lucri cauſa initi, quales fortuiti eſſe ſolent (§. 353. *part. 5. Jur. nat.*). Pertinent huc etiam dona, quibus juſtitia eſt venalis, lenocinia, quæſtus ex fornicatione. Immo in eundem cenſum quoque referendus eſt nimius labor & nimia acquirendi ſollicitudo. Dantur vero etiam modi quidam, qui in ſe ſpectati illiciti non ſunt, pro datis autem circumſtantiis in illicitos abeunt, veluti ſi quis neglecto officio publico, quo fungitur, aliis laboribus tempus conſumit, ex quibus plus lucri facit; ſi quis plura officia cumulat, quorum adminiſtrationem demandat aliis, qui exigua mercede contenti ſunt, ut fiat locupletior ex labore alieno; ſi ſubdolis perſuaſionibus aufert aliis hæreditatem, quam ſperare poterant, ut taceam artes alias, quas homines lucri cupidi excogitant. Ex omnibus autem iſtiusmodi modis recte colligitur animus ſorte ſua non contentus, cujus turpitudo variat pro diverſitate perſonarum aliarumque circumſtantiarum. Nullo vero loco habendi ſunt prætextus, quibus factis parum licitis colorem inducunt. Demonſtrationes morales minime ferunt, ut rationem

nem turpitudini obtendas. Veritas, quam conſpicuam faciunt, vincit quemcunque obtentum.

§. 399.

De remedio adverſus ſollicitudinem ob defectum in caſus futuros conſervandorum.

Si quis propterea angitur, quod acquirere nequeat, quæ in caſus futuros ſervare poterat; is non modo perpendere debet, quod abſurdum ſit torquere animum cura, qua nihil proficitur, ſed etiam operam dare, ut Deo confidere diſcat. Qui perpendit, abſurdum eſſe ut torqueat animum cura, qua nihil proficitur; is quoque curis inanibus animum torquere non volet. Quodſi ergo conſideret, ſe propterea non plus acquirere poſſe, quia ſeſe angit, quod plus acquirere nequeat; hanc curam inanem eſſe agnoſcit. Cumque caſus futuros proſpicere nequeat, ignorat non tantum, num caſus iſtiusmodi ſint obventuri, in quibus parta tunc temporis non ſufficient, aut annon mala obventura inexpectata quoque remedia ſint allatura. Inde igitur multo magis convincetur inanem eſſe curam, qua vexat animum, quia acquirere nequit in caſus futuros ſervanda. Quamobrem ſi hæc ſatis ad animum revocat, curam iſtam abjiciet. Quodſi ergo quis propterea angitur, quod acquirere nequeat, quæ in caſus futuros ſervare poterat; is perpendere debet, quod abſurdum ſit torquere animum cura, qua nihil proficitur. *Quod erat unum.*

Qui Deo confidit, ejus animum dubius rerum eventus non angit (§. 422. *part. 3. Eth.*), certus nimirum eſt, quomodocunque in poſterum cadant res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*). Quamobrem nec inani cura torquet animum, ſi tantum acquirere nequeat, ut etiam in caſus futuros ſervet aliqua, quibus emergenti cuidam neceſſitati proſpicitur. Quodſi ergo quis

propterea angatur, is operam dare debet, ut Deo confidat. *Quod erat alterum.*

Præſtantiſſimum omnino remedium eſt fiducia erga Deum, quam cum acquieſcentia in providentia divina tanquam præſentiſſimum continentiæ medium commendavimus (§. 375.). Abſurdum eſſe inanibus curis torquere animum, quivis facile largitur. Curas in præſenti caſu eſſe inanes, non minus facile agnoſcitur. Quamvis itaque prona conſequentia inferatur, abſurdum eſſe ut hisce curis torqueas animum; multa tamen ſunt, quæ tacite influunt in appetitum & cupiditatem curarum genetricem fovent, ut cogitatio abſurditatis adverſus eam minime prævaleat. Multo igitur rectius ſibi conſulit, qui tempeſtive Deo confidere diſcit.

§. 400.

An continentia illæſa in acquirendo futuræ neceſſitatis rationem habere poſſimus.

Continentiæ non contrariatur, ut in acquirendo futuræ quoque neceſſitatis rationem habeamus. Continentia enim exigit curam tantum acquirendi, quantum in poteſtate noſtra eſt (§. 382.), ut laborem metiamur ex uſu facultatum, virium & rerum noſtrarum atque ope & auxilio aliorum, deturque opera, ut ſatis vigilantes occaſionem, quando offertur, obſervemus & omni diligentia eandem arripiamus, nihil ſcilicet eorum omittentes, quæ a nobis fieri poſſunt, ut ea in commodum noſtrum vergat (§. 383.). Quamobrem ſi fortunam adeo faventem experiamur, ut non modo acquiramus, quæ ad vitam etiam commode ac jucunde tranſigendam requiruntur, verum etiam quæ in futuros uſus ſervari poſſunt; continentiæ maxime convenit, ne ea acquirere negligamus, quibus futuræ neceſſitati providemus, quamvis propterea angi minime debeamus, ſi tantum acquirere non valeamus, ut in futuros uſus quædam aſſervemus futuræ neceſſitati proviſuri (§. 395.

(§. 395. *part. 4. Jur. nat.*). Continentiæ itaque non contrariatur, ut in acquirendo futuræ quoque neceſſitatis rationem habeamus.

Probe expendendum eſt, quomodo in acquirendo futuræ neceſſitatis ſalva continentia ratio habenda. Qui continentiæ deditus eſt, facit quod ſuum eſt, nec quicquam deſiderare patitur in ſe ſive quoad diligentiam ad laborem afferendam, ſive quoad vigilantiam, ne occaſionem acquirendi a fortuna oblatam negligat (§. 383.); eventum vero omnem providentiæ divinæ committit. Quamobrem non conſtituit, quantum labore ſuo acquirere velit, ut parta non ſolum ſufficiant ad vitam commode ac jucunde tranſigendam, ſed & futuræ neceſſitati, in cujus uſum ſervanda: de his enim diſponit, quando labore vel beneficio fortunæ acquiſitis utendum. Acquirendum, quantum in poteſtate noſtra eſt, conſequenter quæ ad uſum acquiſitorum pertinent, ea in acquirendo non intenduntur inſtar finis labore noſtro conſequendi. Abſit igitur ut exiſtimes in propoſitione præſente inculcari, ut labore tuo acquirere quoque intendas, quæ in uſum futurum ſervanda, non contentus iis, quibus in præſenti tibi proſpicitur. Id ſaltem inculcatur propoſitione præſente, ne ſi plus acquirere valeas licito modo, quam quæ ad vitam commode ac jucunde tranſigendum in præſenti ſufficiunt, a labore deſiſtas, vel occaſionem plura acquirendi oblatam parum cures, quin potius conſideres ſuperflua, quamvis careant præſenti utilitate, uſum tamen habere poſſe in caſibus emergentibus, quos prævidere non valemus. Cum in hoc mundo omnia fiant Deo providente per nexum rerum, vi cujus non omnibus eodem modo provideri poteſt; ſi tua fert conditio, ut multa acquirere valeas, quibus in præſenti non indiges, inde colligendum eſt, Deum tibi providere hoc modo etiam in futurum, aut aliis quoque per te, cum labor tanquam medium quoque acquirendi æſtimandus ſit ex communi utilitate (§. 383.). Non jam attendimus objectiones, quæ forſan a nonnullis moveri pote-

poterant, quod in futuros uſus aſſervata poſt mortem ſæpius abuſui hæredum pateant. Nobis enim jam ſermo non eſt de opibus quomodocunque, ſed legitimo modo partis, & quomodo continentiæ deditus laboris ſui fructum ſpectare debeat. Male parta male dilabi, communiter obſervatum eſt: ut vero bene parta etiam male dilabantur, quamvis vitium non hæreat in modo acquirendi, culpa tamen acquirentis influere poteſt in dilapidationem, veluti ſi liberi bonorum a ſe partorum hæredes negligenter fuerint educati. Legibus autem providentiæ divinæ convenire, ut eo, quod ſuperfluum eſt in præſenti, proſpiciatur neceſſitati futuræ, ipſa bruta nos docent, quæ, cum non qualibet tempeſtate anni reperire poſſint, unde vitam tolerent, tempore opportuno congerunt ea & congeſta condunt, quibus futuro tempore indigent.

§. 401.

Nimia de Deo confidentia continentiæ contraria.

Qui continens eſt, Deo non nimium confidit. Continens enim, ſeu qui animum ſorte ſua contentum habet, & omnem diligentiam in labore adhibet, ut tantum acquirat, quantum poteſt, nec vigilantiam in ſe deſiderari patitur, ne occaſionem acquirendi oblatam omittat (§. 383.). Quamvis itaque dum facit, quod ſuum eſt, Deo confidens eventum omnem ipſius curæ relinquat (§. 423. *part. 3. Eth.*), non tamen ideo in acquirendo uſum facultatum ſuarum mediorumque neceſſariorum a fiducia in Deo ſeparat. Quamobrem cum is demum Deo nimium confidat, qui uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo ſeparat (§. 1193. *part. 1. Jur. nat*); qui continens, ſeu ſorte ſua contentus eſt, Deo non nimium confidit.

Nimia de Deo confidentia, quamvis vitium haud infrequens ſit, vulgo tamen non agnoſcitur, immo qui ignorant quid ſint notiones diſtinctæ & in confuſis acquieſcunt, eam pro excelſiori gradu pietatis habet. Contingit itaque tanto facilius,

lius, ut continentia, ſeu animus ſorte ſua contentus in nimiam de Deo confidentiam extendatur. Apprime igitur neceſſarium videbatur, ut oſtenderemus continentiam ab hoc procul diſtare.

§. 402.

De iis, qui pecuniam propter ſe appetunt.

Qui pecuniam propter ſe appetit, ſe felicem eſſe putat, ſi multum pecuniæ poſſidet, & ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtere arbitratur. Quoniam enim nihil appetimus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156. *part. 2. Etb.*); qui pecuniam propter ſe appetit, non propter uſum, quem habet, ex pecunia in ſe ſpectata voluptatem percipit, conſequenter eam tanquam voluptatis creatricem conſiderat. Quamobrem cum ex voluptate, qua animus perfunditur, felicitas æſtimetur (§. 636. *Pſych. empir.*); ſe felicem putat, ſi multum pecuniæ poſſidet. *Quod erat unum.*

Et quoniam nihil appetitur, niſi quatenus repræſentatur tanquam bonum (§. 892. 893. *Pſych. empir.*); qui pecuniam propter ſe appetit, eam in ſe ſpectatam, non attento ejus uſu, pro bono hominis habet. Cumque idem ſe felicem exiſtimet, ſi multum pecuniæ poſſideat, *per demonſtrata*, homo autem per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ea in mentem irrepit opinio, quod pecunia illud bonum ſit, quo homo appetitum ſuum ſatiare debet. Quamobrem cum divitiæ conſiſtant in patrimonio, bonorum omnium, ſeu rerum, quæ in dominio noſtro ſunt (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), pecunia æſtimabilium & pecuniæ ipſius paratæ (§. 290. *part. 4. Jur. nat.*), complexu (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*), quod multum ſuperflui continet, quo non indigemus ad vitam commode, jucunde ac decore degendam (§. 240. *part. 4. Jur. nat.*); pecunia majus bonum non dari ſibi per-

perſuadet, cujus homo particeps fieri poſſit, conſequenter ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtere arbitratur. *Quod erat alterum.*

Non defuerunt inter ipſos Philoſophos, qui ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtere opinati ſunt. Et quis eſt, qui neſciat, opinionem hanc plurimorum mentem occupaſſe. Latius tamen patet, quam mos eorum, qui pecuniam propter ſe appetunt, quemadmodum ex ſequentibus eluceſcet. Qui pecuniam propter ſe appetunt, eandem non conſiderant tanquam medium ſibi comparandi ea, ex quibus voluptatem percipiunt; ſed tanquam rem ipſam, quæ animum voluptate paſcit. Nimirum pecuniam, ut cum JCtis loquamur, conſiderant tanquam corpus, non vero tanquam menſuram communem pretii rerum & operarum (§. 290. *part.* 4. *Jur. nat.*), cujus non alius eſt uſus, quam ut eadem res & operæ ab aliis comparari poſſint (§. 293. *part.* 4. *Jur. nat.*). Dari iſtiusmodi homines, quos pecunia per ſe delectat, experientia abunde docet. Amant illi pecuniam (§. 654. *Pſych. empir.*), & hunc amorem cum non uno modo prodant, intus quoque latentes de pecunia opiniones una produnt. Tanto magis autem in opinione ſua admodum abſurda confirmantur, quod voluptatis, quam percipiunt, ex conſpectu pecuniæ, quam poſſident, aut rerum pecunia æſtimatarum, ſibi conſcii ſunt, atque experiuntur, hanc voluptatem a ſe percipi poſſe, quoties libuerit, & in ſe innocuam eſſe, ut ideo eam præferant omni voluptati corporis, quæ tranſitoria eſt, & quam noxiam fieri exempla indies obvia teſtantur. Inde quoque eſt, quod ipſis abſurdum videatur, dare pecuniam pro iis, quæ voluptatem tranſitoriam pariunt, cum ex pecunia, ſalva ejus ſubſtantia, voluptas percipi poſſit durabilis, toties reſuſcitanda, quoties libuerit. Perinde nimirum ipſis videtur, ac voluptatem durabilem commutare cum tranſitoria &, ut voluptatem momentaneam percipias, quæ nonniſi triſtem memoriam ſui relinquere poteſt, jacturam facere voluptatis quovis momen-

momento reſuſcitandæ ac tamdiu conſervandæ; quamdiu viſum fuerit.

§ 403.

Quoniam qui pecuniam propter ſe appetit, ſe felicem eſſe putat, ſi multum pecuniæ poſſidet (§. 402.), conſequenter cum felicitatem ex divitiis æſtimet, tanto feliciorem ſe eſſe putat, quanto majores ſunt divitiæ; iis contentus non eſt, quæ acquirere valet, ſed plus habere cupit, quam acquirere in poteſtate ſua eſt, ſi vel maxime ad vitam commode, jucunde ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant, quæ acquiruntur, conſequenter cum avarus ſit, quem hæc cupido habendi vexat (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*), *qui pecuniam propter ſe appetit, avarus eſt.* Quoniam vero idem hanc tenet opinionem, quaſi ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtat (§. 402.); *opinio falſa de ſummo hominis bono in divitiis conſiſtente avaritiam gignit.*

De falſa opinione de ſummo bono avaritiæ creatrice.

Qui pecuniam per ſe appetit, non attento uſu, quem habere poteſt ac debet, avarus eſt: ſed non omnis avarus pecuniam per ſe appetit. Quamobrem nec omnis avarus hanc fovet opinionem, quaſi pecunia per ſe hominem reddat felicem & ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtat. Equidem avarus omnis cupiditate habendi inſatiabili flagrat, quippe quæ nunquam expletur, quantumcunque habuerit; non tamen propterea ſibi perſuadet, ſummum bonum in divitiis conſiſtere, cum divitias quoque appetat propter pecuniæ uſum quamvis illicitum, quem habet in eo acquirendo, in quo ſummum bonum conſiſtere arbitratur, ſeu quod inſtar ſummi boni appetit, & quo appetitum ſuum ſatiare intendit. Quoniam avaritia non eandem cauſam habet; nec de omni avaro valent, quæ de avaritia demonſtrantur, prouti hanc vel iſtam cauſam agnoſcit. Et ideo quoque diverſi admodum ſunt avarorum mores, quibus ſubinde avaritia adeo occulta-

tur, ut non agnoſcatur. Avaritiam autem nimis arctis limitibus circumſcribunt, qui pro avaro non habent niſi eum, quem pecunia per ſe delectat, ut eadem uti nolit, quaſi tantummodo inſerviat oblectamento.

§. 404.

Quando avarus parum curet moleſtiam ex pecuniæ acquiſitione & conſervatione ortam.

Si avarus pecuniam per ſe appetit, moleſtiam omnem parum curat, quæ cum pecuniæ acquiſitione & conſervatione conjuncta. Etenim ſi avarus pecuniam per ſe appetit, felicitatem ſuam æſtimat ex quantitate pecuniæ, quam habet & lucratur, ac ſummum ſuum bonum in divitiis conſiſtere arbitratur (§. 402.). Quamobrem acquiſitionem & conſervationem pecuniæ, ſive opum pro medio felicitatis ac ſummi boni habet (§. 937. *Ontol.*). Quicquid igitur facit pecuniæ ſive acquirendæ, ſive conſervandæ cauſa, ab eo voluptas ex pecunia percepta ſeparari nequit. Hac cum appetitum naturalem ſatiare cupiat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſatis certus ſi velit finem, neceſſe etiam eſſe ut velit media (§. 941. *Ontol.*), ad moleſtiam, quam creare poterat acquiſitio, vel conſervatio, animum parum attendit, quem voluptas ex pecunia percepta totum in ſe trahit. Quamobrem moleſtiam omnem parum curat, quæ cum pecuniæ acquiſitione & conſervatione conjuncta eſt.

Nihili facit avarus pecuniam per ſe appetens curas, quas die nocteque accumulat & in annum venientem extendit. Omnem lubenter conſumit operam atque laborem lucri cauſa. Non horret injurias tempeſtatis, nec ipſum mare iratum, modo ſpe lucri alatur animus. Vitæ commoditati & jucunditati, quam videt tanti fieri ab aliis, parum aut nihil pretii ſtatuit. Hominem natum eſſe arbitratur ad acquirendum pecuniam, ſicuti avis ad volandum. Studium acquirendi pecuniam ſupremam virtutem eſſe exiſtimat, ut tantum unus-

unusquisque gloria excellere ipsi videatur, quantum eadem præstat. Exempla istiusmodi inter mercatores non infrequentia sunt. Memini, cum aliquando in præsentia mercatoris, qui magnas opes coacervaverat liberis suis magis, quam sibi utiles, dixissem, me non existere in hoc mundo, ut pecuniam acquiram, ipsum attonitum quæsivisse: ecquem in finem alium? Nonne homo, quicquid facit, pecuniæ lucrandæ causa facit? Absit tamen, ut existimes, me studium indefessum acquirendi in mercatoribus damnare, quasi ab avaritia ortum suum trahat. Etenim cum continentia exigat curam tantum acquirendi, quantum in potestate est (§. 382.), & hæc cura præter laborem etiam requirat vigilantiam, ne occasionem acquirendi omittamus, sed teneamus (§. 383.), mercatorum vero est communis utilitatis causa, ex qua omnis labor metiendus (§. *cit.*), commercia exercere; quam in acquirenda pecunia consumunt, cura atque opera non obstat, quo minus habeant animum forte sua contentum, modo non labem contrahat a vitiis, quibus infectus est animus, & perversæ opiniones, quibus mens imbuta est, aut quæ tacite in eandem irrepserunt, avaritiam suscitent.

§. 405.

Quoniam molestiam omnem, quæ cum pecuniæ acquisitione & conservatione conjuncta est, parum curat avarus, qui pecuniam per se appetit (§. 404.); *adversus avaritiam frustra urgetur molestia, quam creant curæ ac operæ in pecuniam acquirendam & conservandam impendendæ, si pecunia per se appetitur.*

Remedium inefficax avaritiæ, si pecunia propter se appetitur.

Cum avaritia multiplicem habeat causam, malo vero huic non medeamur, nisi causa sublata; eadem remedia non prosunt in omni casu. Qui contra avaritiam declamant, multi sunt in exaggeranda molestia, quam creant curæ atque operæ, quas consumit avarus, nulla utilitate sua, cum opibus

ſuis, quas coacervare ſtudet, ipſemet non fruatur, aliorum cauſa vitam miſerrime tranſigens. Quoniam enim ipſum pecunia per ſe delectat, & hæc voluptas omni alii ab ipſo præfertur; ſe nullum fructum ex curis atque operis ſuis percipere, experientiæ domeſticæ contrarium deprehendit. Nec ſufficit ut dicas, nullam eſſe hanc voluptatem, qua ipſe fruitur; aliter enim propriis ſenſibus fidens ſentit (*not.* §. 402.). Et quoniam moleſtiam cum acquiſitione & conſervatione pecuniæ conjunctam parum curat, voluptate ex pecunia percepta omnem vim ei detrahente; quicquid dixeris de cura atque labore, parum ipſum movebit. Immo ſi contendas, nonniſi virtutem eſſe, quæ hominem felicem reddit; voluptas ignota non vincet voluptatem, quam deguſtavit. Vana igitur ſpes eſt fore, ut in tuam abeat ſententiam. Quodſi ipſum docere velis, quomodo virtus acquiratur, ut voluptatem inde percipiendam deguſtet & cum voluptate ſua compararet; ſtudium virtutis multo moleſtius ipſi videbitur, quam ſtudium pecuniam acquirendi. Diſcimus hinc, avaritiam non adeo facile extirpari, quemadmodum multis forſan videtur, & multa inprimis circumſpectione opus eſſe, ut genuinis remediis utaris.

§. 406.

Quonam remedio opus ſit, ſi avarus pecuniam per ſe appetit.

Si avarus pecuniam per ſe appetit, & ab ea liberari debet; eradicanda eſt opinio, quod divitiæ hominem reddant felicem. Ereſt nim ſi avarus pecuniam per ſe appetit, ſe felicem eſſe putat, quod multum pecuniæ poſſidet (§. 402.), conſequenter opinatur, divitias hominem reddere felicem (§. 240. *part. 4. Jur. nat.*). Quamdiu igitur hac opinione imbutus eſt, cum homo per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nec fieri poteſt, ut avaritiæ valedicat. Cum enim exiſtimet auctis divitiis augeri felicitatem ſuam; quanto plus acquiſiverit, tanto magis exardeſcit habendi

bendi cupido. Quodſi ergo avarus, qui pecuniam per ſe appetit, ab avaritia liberandus; opinio eradicanda eſt, quod divitiæ hominem reddant felicem.

Ex iis, quæ modo diximus (*not.* §. 405.), patet, opinionem hanc non adeo facile eradicari poſſe, præſertim cum homines, quos pecunia per ſe delectat, mentem habeant a ratione prorſus alienam & diſtinctis veri boni veræque felicitatis notionibus non modo deſtituantur, verum etiam notiones ſpuriæ, quæ altas in ipſorum mente radices egerunt, quaſi innatæ videantur, adverſus quas rationes ſuaſoriæ parum valent. Etenim ſi vel maxime ad aſſenſum compelli videantur, propterea quod non habent, quod excipiant; deeſt tamen illa firmitas, quæ voluntatem & noluntatem perpetuam efficit atque conſtantem.

§. 407.

Quoniam avaritiæ illorum, quos pecunia propter ſe delectat, medela affertur, ſi eradicatur opinio, quaſi divitiæ hominem reddant felicem (§. 406.), ſi vero quis falſam opinionem refutare vult, propoſitionem veram eidem contrariam demonſtrare (§. 1035. *Log.*) & modum, quo alter in errorem incidit oſtendere (§. 1033. *Log.*), aut falſitatem opinionis, quam fovet, per indirectum demonſtrare tenetur (§. 1039. *Log.*); *opinionem, quaſi divitiæ hominem reddant felicem, eradicaturus avarum convincere tenetur, divitias referendas eſſe ad bona fortunæ* (§. 415. *part. 4. Jur. nat.*), *quæ hominem reddere nequeunt felicem* (§. 410. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *vera nimirum felicitate nonniſi cuſtodia legis naturalis obtinenda* (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*). *Oſtendendum præterea eſt, pecuniam referri ad bonum conſervativum, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem noſtram neceſſariæ* (§. 51. *part. 2. Eth.*), *ad bonum vero perfectivum, quatenus ſumtus facere tenemur, ad perfectionem accidentalem* *Quomodo opinio iſta eradicetur.*

talem acquirendum (§. 61. *part. 2. Eth.*), *hominique naturale eſſe, ut pecuniam appetat, quatenus ea comparare poteſt res ad conſervationem ſui neceſſarias* (§. 52. *part. 2. Eth.*) & *ſumtus facere ad acquirendum perfectionem accidentalem* (§. 65. *part. 2. Eth.*); hoc enim modo diſcitur, pecuniam propter ſe non eſſe appetendam, ut ea ſatiemus appetitum naturaliter in felicitatem pronam (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*). *Oſtendendum quoque eſt, quomodo notio boni, ex qua felicitatem æſtimat* (§. 638. *Pſych. empir.*), *menti ejus fuerit ingenita* (§. 5. *part. 2. Eth.*), *qua vera bona diſcerni nequeunt* (§. 557. 560. *Pſych. empir.*); & *qua ſeductrix evadere poteſt* (§. 6. *part. 2. Eth.*). *Inculcanda denique ſunt omnia bonorum genera, quomodo ex naturali determinatione appetitus recto intellectus uſu regendi derivantur* (§. 43. & *ſeqq. part. 2. Eth.*). *Nec inutile eſt expendere notas characteriſticas, quibus bonum verum a divitiis differt.* Cum enim omnium hominum appetitus generaliter determinatus ſit ad bonum appetendum (§. 904. *Pſych. empir.*); verum bonum, unde pendet felicitas hominis (§. 559. 638. *Pſych. empir.*), in poteſtate omnium hominum eſſe debet, ita ut & ſtudio ſuo id conſequi, nec idem invito auferri poſſit, naturæ humanæ convenire hominique intrinſecum eſſe. Hæc vero requiſita non deprehendi in divitiis, quilibet per ſe facile videt.

Clarius hic perſpicitur, cur difficile ſit opinionem avaritiæ maximæ abſurdæ genetricem eradicare, quaſi ſummum hominis bonum conſiſtat in divitiis & hæ reddant hominem felicem, præſertim ſi rite expendantur demonſtrationes eorum omnium, ad quæ hic provocamus. Non minus clare autem perſpicitur, quod, qui in ſyſtemate noſtro diligenter fuerit verſatus, ut omnium illorum convictus fuerit, ei verendum non ſit; ne perverſa iſta de ſummo bono & felicitate opinio mentem ipſius invadat. Ceterum conſultum eſt, ut a prima pueritia educandis inſinuentur veri boni veræque felicitatis

tatis notiones & genuinus pecuniæ uſus inculcetur, ſicque animus adverſus avaritiam muniatur. Principio hic quoque obſtandum, ne ſero medicina paretur. Qui turpitudinem avaritiæ agnoſcit, ut ſeipſum ab hoc vitio liberare velit, extincta lucri cupidine, quam voluptas ex pecunia per ſe percepta fovet; is ex propoſitione præſenti addiſcit, quomodo voti ſui compos reddi queat. Quamobrem cum ipſum non deterreat difficultas, quæ nobis objicitur, ſi ex alterius mente opinio eradicanda; remedii efficaciam quin in ſe experturus ſit, nullus dubito, quamvis aliis emendandis ſine ſucceſſu adhibeatur. Philoſophiam moralem non ſaltem diſcimus ad aliorum mores formandos; verum etiam ad proprios emendandos. Et de emendatione ſui unusquisque ante ſollicitus eſſe debet, quam de emendatione aliorum cogitet.

§. 408.

Maxime abſurdum eſt pecuniam propter ſe appetere. Qui enim pecuniam propter ſe appetit, is nullum ejus intendit uſum, neque eadem utitur, ſed ſe eam poſſidere contentus eſt. Non aliter igitur vivit, ac ſi pecuniam iſtam non haberet, & quando moritur perinde eſt ac ſi eam non habuiſſet. Quamobrem cum nec in vita, nec poſt mortem ipſi utilis ſit, immo quando in vita utilis eſſe poterat, ſeipſum tamen utilitate iſta privaverit; voluptas, quam ex eo ſolo percipit, quod eandem poſſideat, rationi parum conſentanea eſt, ideoque nimis puerilis. Æquiparatur nimirum pecunia reſpectu ipſius rei prorſus inutili, qua nemo ſanus delectatur. Quamobrem maxime abſurdum eſt pecuniam propter ſe appetere. *Abſurditas propter ſe.*

Abſurditas ſatis manifeſta eſt, modo eam æſtimemus ex hypotheſi, non vero ex iis, quæ ad eam excuſandam eidem admiſcentur. Quamprimum enim eam amoliri conamur, qui

divitias amant, ad certos quosdam uſus pecuniæ provocant, qui conditionem divitis meliorem reddunt conditione pauperis, ſive pecunia eos per ſe habeat, ſive ex accidente. Quodſi vero hos uſus intendas tanquam finem, pecuniam non amplius propter ſeipſam intendis, nec eadem per ſe delectaris, ſed propter uſus iſtos, ob quos ſeſe tibi commendat. Exemplum vero manifeſtum hypotheſeos præſentis habemus in iis, qui, cum quovis modo pecuniam corradunt, in eroganda tamen renaces ſunt, ut commoditati nihil dent, multo minus jucunditati, neque decorum obſervent, more pauperum, vel egenorum vitam tolerantes, quamvis nec liberos, nec nepotes habeant, quorum fortunæ opibus ſuis conſulere volunt, non alia de cauſa lætati, quam ut opum ſuarum incrementi ſibi conſcii ſint. Horum abſurditatem redarguentes nimis puerilem dicimus voluptatem, qua animum paſcentes ſibi felices videntur. Neque enim pueri niſi infantia proximi delectantur rebus, ex quibus nullam prorſus utilitatem percipiunt. Maxime igitur dedecet homines adultæ ætatis pueris aſſimilari.

§. 409.

Cur lucri cupidus facile fiat avarus.

Lucri cupidus facile fit avarus. Qui lucri cupidus eſt, ejus voluntas determinabilis eſt per lucrum (§. 173. *part. 2. Eth.*), conſequenter id bonum judicat, ex quo lucrum facit (§. 170. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum quid ideo appetat, quia ex eo lucrum facit (§. 171. *part. 2. Eth.*); ſi vel labore ſuo, vel fortunæ beneficio plus acquirere valet, quam quod præſenti vitæ neceſſitati, commoditati & jucunditati ſufficit, commoditatem vero parum curat, multoque minus jucunditatem, facile contingit, ut pecuniam propter ſeipſam appetat. Quamobrem cum avarus ſit, qui pecuniam propter ſeipſam appetit (§. 403.); lucri cupidus facile avarus ſit.

Hic

Hic ſupponimus lucri cupidinem ſejunctam ab aliis cupiditatibus hominibus quaſi naturalibus, & conſideramus quidnam ex ea in ſe ſpectata ſequatur, non attento rationis uſu. Lucri cupido inclinatio hominis eſt (§. 182. *part. 2. Eth.*), nec in ſe mala (§. 172. *part. 2. Eth.*), modo ab intellectu regatur, ne voluntas corrumpatur (§. 184. *part. 2. Eth.*). Cum enim tum lucri cauſa nil committatur, quod legi naturæ quomodocunque adverſatur (§. 187. *part. 2. Eth.*), lucri quoque cupidus pecuniæ acquiſitionem non aliter ſpectat quam finem ſecundarium, quem nonniſi primarii cauſa, nimirum quatenus ea ad perfectionem noſtram & aliorum promovendam requiritur, intendit (§. 369.). Atque ita continentiæ non adverſatur, ſed potius eandem juvat, dum nobis commendat curam acquirendi, quam continentia exigit (§. 382. 383.). Enimvero neglecto regimine intellectus, lucri cupido voluntatem corrumpit (§. 183. *part. 2. Eth.*), atque tum avaritiam gignit.

§. 410.

Lucri cupido non extirpanda, ſed ab intellectu ſaltem regenda. An lucri cupido extirpanda ſit.

Etenim lucri cupido in ſe mala non eſt (§. 172. *part. 2. Eth.*). Quamobrem nec ulla ratio eſt, cur eam extirpare velimus, præſertim cum continentiæ non obſtet, ſed eam potius juvare poſſit (*not.* §. 409. & §. 56. *Ontol.*). Quoniam itaque ſine ratione ſufficiente nil faciendum (§. 70. *Ontol.*); lucri cupido extirpanda nôn eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero inclinatio ad lucrum voluntatem corrumpit (§. 183. *part. 2. Eth.*), niſi intellectus eam regat (§. 184. *part. 2. Eth.*). Quoniam igitur tum evadit mala (§. 172. *part. 2. Eth.*); intellectus cupidinem lucri regere debet. *Quod erat alterum.*

Non jam inquirimus, num lucri cupido, ſeu inclinatio animi ad lucrum, quatenus nimirum appetitus in lucrum propendet, extirpari poſſit, quemadmodum oſtendimus affectus eradicari non poſſe (§. 243. *part. 2. Eth.*). Sufficit tenere, quod extirpanda non ſit, ſi vel maxime poſſet. Pecuniæ acquiſitionem, conſequenter lucrum, ſpectare debemus tanquam finem ſecundarium, qui propter primarium, noſtram aliorumque perfectionem, intenditur (§. 369.). Quamobrem conducit eam conſervari, & ea ſalvam nobis incumbit cura, ut officiis convenienter dirigatur. Datur igitur inclinationis ad lucrum uſus, datur etiam abuſus. Propter uſum fovenda, non vero propter abuſum delenda. Dudum in confeſſo eſt apud omnes propter abuſum non tollendum eſſe uſum. Atque hinc apparet inutilem prorſus eſſe diſceptationem, utrum inclinatio ad lucrum eradicanda ſit, nec ne, cum ſine manifeſto detrimento eradicari non poſſet.

§. 411.

Quomodo regimine cupidinis lucri avaritia vitetur, continentia ſervetur.

Quoniam cupido lucri ab intellectu regenda (§. 410.), intellectus autem eandem regit legis naturæ obſervantia (§. 187. *part. 2. Eth.*) & voluntas bona generaliter ad hanc determinata eſt (§. 121. *part. 2. Eth.*); *qui habet voluntatem bonam & ſcit lege naturæ præcipi, ut in pecunia acquirenda & conſervanda non majorem operam ac induſtriam collocemus, quam in poteſtate eſt* (§. 393. *part. 4. Jur. nat.*), *& ſalva quacunque obligatione naturali fieri poteſt* (§. 411. *part. 4. Jur. nat.*), *cetera providentiæ divinæ committamus* (§. 394. *part. 4. Jur. nat.*), *neque pecuniam propter ſeipſam appetamus* (§. 412. *part. 4. Jur. nat.*), cum avaritia conſiſtat in cupiditate plus habendi, quam in poteſtate noſtra eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore degendam, immo futuræ neceſſitati & aliis expenſis extraordinariis ſufficiant, quæ acquiruntur (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*) & appetentia pecuniæ propter ſeipſam avaritiam gignat

gnat (§. 403.), *eum lucri cupido ad avaritiam minime ſedacet, nec in eo ferat opinionem, quaſi divitiæ hominem reddant felicem, ſed*, cum continentia virtus ſit, qua tantum acquirere ſtudemus, quantum in poteſtate eſt, nec propterea angimur, quod non plus acquirere valeamus (§. 396. *part. 4. Jur. nat.*), *ipſum intra limites continentiæ continebit.*

Videmus itaque, quomodo bonus uſus cupidinis lucri ſit obtinendus, abuſus vero vitandus. Abuſui locus non eſt, niſi aut deficiat bona voluntas, aut ignoretur, quid lex naturæ de pecunia acquirenda præcipiat & prohibeat, aut cum defectu bonæ voluntatis copuletur ignorantia legis naturæ. Videntur equidem ſubinde ſibi homines bonam habere voluntatem, ſed quamdiu lege naturali non præcipitur, quod cupiditatibus ipſorum non repugnat, vel non prohibetur, quod iisdem convenit; nondum tamen voluntas ipſorum vere bona eſt: præfigunt enim eidem limites ex cupiditatibus ſuis. Id ſane perinde eſt, ac Deo ſibique ſimul ſervire velle, & quod turpiſſimum, cultum ſui præferre cultui divino, ut in caſu colliſionis ille hunc vincat. Voluntas bona generaliter determinata eſſe debet ad omnem obſervantiam legis naturæ, ſeu ad obediendum Deo in omnibus (§. 121. *part. 4. Eth.*). Quodſi cupidine lucri in contrariam partem determinetur voluntas, tum bona non eſt (§. 122. *part. 2. Eth.*). Tenenda hæc ſunt de aliis inclinationibus quibuscunque. Videtur equidem hoc modo facillime extirpari poſſe avaritiam; non tamen adeo facile eſt, quemadmodum videtur. Ut hoc appareat, perpendendum ſaltem eſt, quomodo propoſitum ſervandi legem naturæ efficiatur firmum (§. 429. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & quænam requirantur, ut veritatis eorum, quæ lex naturæ de pecunia acquirenda & ſervanda præcipit, aut prohibet, convincamur (§. 393. 394. 412. *part. 4. Jur. nat.*). Immo quo diligentius quis verſatus fuerit in Philoſophia practica univerſali, in Jure naturæ atque in Ethica, eo clarius

difficultatem perſpiciet. Infinitus enim foret labor, ſi omnia in unum cumulum hic congerere vellemus. In ſyſtemate continuo præcedentia lucem affundunt ſequentibus, tum ut ob claritatem penitus intelligantur, tum ut ob evidentiam aſſenſus firmetur: qui vero nexum tollit, quo ſingula in ſyſtemate invicem copulantur, fruſtra deſiderat claritatem & evidentiam, quæ a nexu intime perſpecto unice pendet, & quæ remediis adverſus vitia, motivis virtutum addit efficaciam. Si quis nexum demonſtrationum tenet, is demum apertis oculis videt, quomodo voluntatis & noluntatis determinatio ſit poſſibilis: id quod oſtendere philoſophi eſt, in ſuum uſum vertendum a Theologo.

§. 412.

Idem porro expenditur. Similiter quia cupido lucri ab intellectu regenda (§. 410.), ne ad avaritiam nos ſollicitet (§. 409.), intellectus autem eandem regit, ſi lucri cauſa nil committatur, quod legi naturæ quomodocunque adverſatur (§. 187. *part. 2. Eth.*), & noluntas bona eſt, quæ ad actiones lege naturæ prohibitas non committendas generaliter determinata eſt (§. 127. *part. 2. Eth.*); *qui habet noluntatem bonam & ſcit avaritiam lege naturali prohibitam eſſe* (§. 399. *part. 4. Jur. nat.*), *is avaritiam fugiet, ideoque lucri cupido ad avaritiam eum minime ſollicitabit.*

Quæ ad propoſitionem præcedentem annotavimus; de præſente etiam intelliguntur.

§. 413.

De influxu timoris Dei, timoris filialis & obedientiæ in Quoniam voluntas (§. 411.) & noluntas bona requiritur ad regimen cupidinis lucri, ne in avaritiam degeneret (§. 412.), timore autem Dei filiali voluntas & noluntas bona efficitur (§. 141. *part. 2. Eth.*), timor autem Dei ex amore Dei proficiſcitur (§. 318. *part. 3. Eth.*) & hominem ad obedientiam

dientiam Deo debitam impellit, eandemque facilitat (§. 326. *part. 3. Eth.*); *in regimen cupidinis lucri*, & per conſequens *in regimen cupidinis lucri fugam avaritiæ amor & timor Dei filialis una cum obedientia Deo præſtanda influit.*

fugam avaritiæ.

Videmus itaque, quantum interſit Deum amare ac timere ipſique obedire, ſi avaritiam fugere velimus. Etenim qui Deum diligit, avaritiam odit, quia ipſi diſplicet, qui eidem obedit, avaritiam fugit, quia eandem prohibet, qui timet eundem maxime ſollicitus eſt, ne dum acquirere ſtuder, quantum in poteſtate ſua eſt, lucri cupido labe quadam inficiat animum ipſius. Facile hoc perſpicit, qui ea didicit, quæ de officiis iſtis erga Deum demonſtravimus in parte tertia Ethicæ.

§. 414.

Qui veretur, ne emergant caſus funeſti, in quibus ſibi deſunt ad vitæ neceſſitatem, vel decorem neceſſaria; avarus fit. Qui enim veretur, ne emergant caſus funeſti, in quibus ſibi deſunt ad vitæ neceſſitatem, vel decorem neceſſaria; is ex iis, quæ acquirit, vel nihil reſervare poteſt in uſus futuros, vel ea, quæ reſervat, ſufficere ipſi non videntur ad periculum evitandum. Quamobrem iis, quæ acquirit, contentus non eſt, ſed plus acquirere cupit, quam in poteſtate eſt, ſi vel maxime ad vitam, etiam commode ac jucunde, aut decore degendam ſufficiant, immo etiam in uſum futurum, aut caſus quosdam extraordinarios, pars quædam partorum conſervari poſſit. Quoniam itaque avarus eſt, qui plus acquirere cupit, quam in poteſtate eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*); ſi quis veretur ne emergant caſus funeſti, in quibus ſibi deſunt ad vitæ neceſſitatem, vel decorem neceſſaria, avaritia gignitur.

Quomodo metus avaritiam gignat.

Sunt

Sunt quidam homines natura meticuloſi, quos malum quodlibet, quod eventu non impoſſibile ſibi imaginantur, terret. Eventu autem poſſibile ſumunt reſpectu ſui, quod aliis contigiſſe vel obſervarunt, vel audiunt. Immo comminiſcuntur caſus futuros, in quibus ad egeſtatem, vel mendicitatem ſe redactum iri ſibi perſuadent, niſi in præſenti futuræ indigentiæ proſpiciatur. Caſus futuros cum proſpicere nequeat homo; nullus eorum cogitationem ſubire poteſt, quin metum inopiæ concitet. Quamobrem non contenti ſunt iis, quæ acquirere in poteſtate ipſorum eſt, & anguntur, quod non plus acquirere valeant. Rationis lumen in ipſis obfuſcatur, ideoque nec de probabilitate eventus, nec de æſtimatione ejus, quod in futuros caſus reſervandum, cogitant, immo plerique de his ſtatuere minime valent. Ceterum metus hic plures admittit gradus, ideoque nec omnium animos eadem moleſtat ægritudo, conſequenter nec omnes ad eundem avaritiæ gradum impellit. Effectus quoque avaritiæ eadem de cauſa non iidem ſunt, ſed pro diverſitate circumſtantiarum plurimum variant: ex quibus cum vulgo de avaritia ſtatuatur, contingit avarum non videri, qui eſt, propterea quod illa in actus externos non procedit, ſed in animo latet. De ea igitur judicandum eſt ex definitione, non vero ex iis ſaltem, quæ pro datis circumſtantiis ex hoc vitio conſequuntur. Notandum quoque, nos hic non demonſtrare, niſi quæ ex metu inopiæ in ſe ſpectato conſequuntur, ſepoſitis omnibus aliis, quæ conſideratione caſuum futurorum in ſtatum animi ſimul influere poſſunt, ac obſtare, quo minus avaritia gignatur. Caſus itaque particulares accurate diſcutiendi, ne in præjudicium veritatis extendantur. E. gr. fieri poteſt, ut parens liberos ſuos impenſe amans, aſt non videns, quomodo fortunæ ipſorum conſulere poſſit, contriſtetur: triſtitia tamen hæc non parit avaritiam, etſi mallet ipſis proſpicere, modo plus acquirere in poteſtate ſua eſſet. Sane ſi Deo confidit & in providentia ipſius acquieſcit, eorum ſalutem providentiæ divinæ committit, vel, ſi agnoſcit, in

pote-

poteſtate ſua non eſſe, ut plus acquirat, quam ſibi datur, ipſis ſaltem quævis meliora apprecatur. Alia prorſus eſt conditio avari meticuloſi, quemadmodum ex demonſtratione propoſitionis præſentis colligitur.

§. 415.

Quoniam avarus ſit, qui veretur, ne emergant caſus funeſti, in quibus ſibi deſunt ad vitæ neceſſitatem, vel decorem neceſſaria (§. 412.); *avarus, qui idem meticuloſus eſt, continuo conqueritur de temporum infelicitate, atque de periculis imminentibus, & ob futuram neceſſitatem angitur.*

De querelis & ægritudine avari meticuloſi.

Malum omnino eſt in neceſſitate vivere: quod declinare utique debemus, quantum in poteſtate eſt. Pertinet hoc ad vigilantiam, quæ ad curam continentis, hoc eſt, ejus, qui ſorte ſua contentus eſſe vult, requiritur (§. 383.). Aſt angere animum ob ea, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, præſertim ſi metuuntur caſus incerti, illi repugnat. Querelæ avari meticuloſi moventur de temporum infelicitate, quod non tantum acquiri poſſit, ut quædam in uſus futuros reſerventur, aut patrimonium augeatur, & de periculis imminentibus, quod caſus metuendi ſint, in quibus inopia premantur. Et hæc querularum objecta ægritudinem animi concitant, quam etiam ipſa vox & verba produnt, ut vultum taceam. Notandum vero querelas hasce non ſemper effundi, ſed ſubinde alta mente repoſitas abſcondi.

§. 416.

Cum avarus, ſi avaritiam metus gignit, continuo conqueratur de temporum infelicitate atque de periculis imminentibus, & ob futuram neceſſitatem angatur (§. 415.), qui vero appetitum & averſationem non moderatur ſenſu certitudinis de rectitudine actionum divinarum in gubernatione

Quod is in providentia divina non acquieſcat, nec Deo confidat.

hujus univerſi tam poſitivarum, quam privativarum, in providentia divina non acquieſcit (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*), quique meliora ſperans ſe totum resque ſuas providentiæ divinæ non committit, Deo non confidit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*); *avarus, qui idem meticuloſus, in providentia divina non acquieſcit, nec Deo confidit.*

Fieri non poteſt, ut qui in providentia divina acquieſcit Deoque confidit, ſit avarus, cum acquieſcentia in providentia divina & confidentia in Deo ſint optimum continentiæ medium (§. 375.), quæ avaritiam non fert (§. 381.).

§. 417.

Effectus avaritiæ metu futuræ inopiæ concitatæ.

Qui metu caſuum futurorum in avaritiam incidit, opes quovis, immo etiam illicito, modo corradere conatur. Qui enim metu caſuum futurorum in avaritiam incidit, is inopiam futuram ſibi repræſentat tanquam malum venturum, aut ſaltem eventu poſſibile. Quamobrem cum metus tendat ad malum venturum, aut quod evenire poſſe putatur, amoliendum (§. 396. *part. 2. Eth.*), inopia autem avertatur, ſi opes acquirantur; opes quoque corradere ſtudet. Et quoniam cupiditas acquirendi tendit ad opes acquirendum (§. 388. *part. 2. Eth.*), & hominem impedit, quo minus legis naturæ recordetur (§. 533. *part. 2. Phil. pract. univ.*), attentionem omnem in opes acquirendas trahens (§. 530. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ideo contingit, ut non vereatur modo lege naturæ prohibito, conſequenter illicito (§. 170. *part. 2. Phil. pract. univ.*), opes corradere.

Si avarus, qui metu caſuum futurorum in avaritiam incidit, non videt, quomodo pecuniam acquirere poſſit, quam futuræ neceſſitati reſervet; in querelis ſubſiſtit & ægritudine animi. Enimvero ubi occaſionem acquirendi ſibi offerri videt,

det, eam ambabus manibus amplectitur, ideoque non modo contingit, ut nimio labori vacet lege naturali prohibito (§. 519. *part. 1. Jur. nat.*), verum etiam fraudi faciat locum, quem vitare debebat (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*), nec ab injuſtitia animum alienum habeat, quamvis juſtitiam lex naturæ præcipiat (§. 927. *part. 1. Jur. nat.*). Exempla obvia ſunt.

§. 418.

Immo omnis avarus opes corradere conatur, quantum ipſi da- *Effectus a-*
tur, nec ſibi religioni ducit, quamvis id fiat illicito modo. Ava- *varitiæ in*
ritia enim eſt cupiditas plus habendi, quam acquirere in po- *genere.*
teſtate noſtra eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore tranſigendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant, quæ acquiruntur (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum cupiditas tendat ad id, quod cupimus, acquirendum (§. 388. *part. 2. Eth.*); avarus nullam prætermittit occaſionem acquirendi, ſed eam tenet. Cum igitur attentionem trahat in lucrum, cujus obtinendi occaſio offertur (§. 530. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & legis naturæ, quamvis cognitæ, recordationem impediat (§. 533. *part. 2. Phil. pract. univ.*); facillime contingit, ut modo quoque illicito opes ſuas auget (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Patet itaque, quod avarus omnis opes corradere ſtudeat, quantum ipſi datur, nec ſibi religioni ducat, quamvis id fiat illicito modo.

Dantur equidem rationes complures, cur ab illicitis acquirendi modis avarus retrahatur; eæ tamen in præſenti non attenduntur, manetque cupido lucri injuſti, quamvis aliis cauſis refrænetur, ut ab eo ſeſe abſtineat. Quodſi ergo animum ſpectes, eadem labe is inficitur, qua animus alterius, cujus avaritia ad actus externos procedit. Qui avarus non eſt,

ſed continens, omnem illicitum acquirendi modum odit. Eum ſuadere nequit niſi illicita habendi cupido, quæ utplurimum avaritia eſt, ſi excipias homines, qui otio delectantur, laborem fugiunt, aut quorum mos gentilitius eſt vivere rapto.

§. 419.

De remedio adverſus avaritiam metu inopiæ futuræ concitatam.

Si avaritiæ, quam metus inopiæ futuræ gignit, medela afferenda; perpendendum eſt, quod ob caſus incertos inanibus curis vexare & fruſtra inquietare animum abſurdum ſit: inprimis autem opera danda, ut providentia divina intimius perſpiciatur. Quodſi enim perpendas, caſus, qui metum incutiunt, eſſe incertos, & parum aut nihil probabilitatis habere eorum exiſtentiam; nullam adhuc rationem eſſe apparet, cur metu concutiatur animus. Quamobrem ſi hinc porro agnoſcas inanes eſſe curas, quas de acquirendis opibus ad tollendam incertam inopiam agitas; nullam porro rationem adeſſe conſtat, cur iis moleſtare velis animum. Quodſi denique conſideres, te ea, quæ in poteſtate tua non ſunt, eidem ſubjicere haud quaquam poſſe, ut nimirum acquiras, quantum tibi ſufficere videtur, ne ulla unquam metuenda ſit inopia, aut ut avertas caſus funeſtos, quibus bonis acquiſitis privari potes, ſi vel maxime tam ampla poſſideres, quanta tibi ſufficere videntur; nullam quoque rationem eſſe agnoſces, quod animum inquietare velis, quia tantum acquirere non vales, quantum ad præcavendam inopiam incertam tibi ſufficere videtur. Quamobrem cum abſurdum ſit, absque ulla ratione metu concutere animum, curis inanibus eam moleſtare, & fruſtra inquietare animum, nemo autem ſanus abſurda velle poſſit, modo abſurda eſſe agnoſcat; ſi avaritiæ, quam metus inopiæ futuræ gignit, medela afferenda, perpendendum

dendum eſt, quod ob caſus incertos inanibus curis vexare animum & fruſtra inquietare abſurdum ſit. *Quod erat unum.*

Quodſi jam porro opèram des, ut providentiam divinam perſpicias intimius, cum providentiæ divinæ conſideratione concitetur fiducia in Deo (§. 404. *part. 3. Eth.*) & acquieſcentia in providentia ipſius (§. 433. *part. 3. Eth.*), Deo confides & in providentia ipſius acquieſces. Enimvero qui Deo confidit certus eſt, quomodocunque in poſterum caſuræ ſint res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*), nec ejus animum dubius rerum eventus angit, neque periculum, quod imminere videtur, perturbat (§. 422. *part. 3. Eth.*) & qui in providentia divina acquieſcit, eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime pendent, approbat (§. 437. *part. 3. Eth.*) ſorteque ſua contentus eſt (§. 438. *part. 3. Eth.*). Quamobrem nec metuit inopiam futuram incertam, nec propterea angitur, quod non plus acquirere valeat, quo futuræ neceſſitati proſpicere poſſit, conſequenter metu inopiæ futuræ incertæ in avaritiam non incidit (§. 414.). Quodſi ergo avaritiæ, quam metus inopiæ futuræ gignit, præſentiſſima medela afferenda; opera danda eſt, ut providentia divina intimius perſpiciatur. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus jam ſuperius, ſi quis propterea angitur, quod acquirere nequeat, quæ in caſus futuros ſervare poterat, eum non modo perpendere debere, quod abſurdum ſit propterea angi, quod acquirere nequeat in caſus futuros ſervanda (§. 399.). Poteramus igitur hinc per modum corollarii inferre, quod eadem perpendenda ſint avaro, qui metu inopiæ futuræ in avaritiam incidit. Monuimus vero jam alias, in Moralibus conducere, ut, quæ in genere demonſtrata

ſunt, in ſpecie quoque demonſtrentur, cum in applicatione demonſtrationum ad ſpecialia occurrant determinationes ſpeciales, quæ pondus aliquod afferunt ad convincendum & vim in appetitum acuunt. Sane in præſenti caſu ægritudo avari pendet non modo a ſtatus futuri, verum etiam præſentis conſideratione, quoniam avarus quoque angitur, quod non plus acquirere poteſt, nec media plus acquirendi reperire, vel etiam quod incaſſum cadant, quæ reperiſſe ſibi viſus eſt. Immo in caſibus ſingularibus circumſtantiæ occurrunt, quæ ad evincendam curarum inutilitatem & ægritudinis abſurditatem plurimum faciunt. Dantur vero etiam melancholici, quorum metus avaritiam gignit, ut, licet divitiis abundent, de paupertate tamen continuo conquerantur. Pertinet huc exemplum apud *Foreſtum* de mercatore, qui optime ratiocinabatur, niſi quod ad extremam inopiam ſe redactum eſſe conquereretur (*not.* §. 574. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Cum melancholici abſurda opinione ut veriſſima pertinaciſſime hæreant; nullis rationibus contrarium ipſis perſuaſeris. Eorum igitur curatio non philoſophi eſt, ſed Medici. Ceterum avari, qui pecuniam coacervatam in arca condunt, nec eadem aliter utuntur, quam ut conſpectu ejus delectentur, non melioris ſunt conditionis, quam mulierecula melancholica apud *Donatum* de Hiſt. med. mirab. lib. 2. c. 1. quæ, cum ſibi perſuaderet, ſe Regi deſponſatam eſſe, vitrorum fragmenta & alia lucida corpuſcula colligebat, quas gemmas a Rege conjuge ſibi transmiſſas dicebat, eaque tanquam rem ſibi cariſſimam in arca, quam totam fere oppleverat, aſſervabat. Quodſi enim avarus teſtarum fragmenta aut lapillos colligeret & arcam ſuam oppleret, ſomnians ſe pecunias tantas poſſidere; nihil prorſus in conditione vitæ ipſius mutaretur. Sane ſi ponamus melancholicum talia ſibi perſuadentem, quod non impoſſibile eſſe exèmplum mulierculæ modo commemoratum abunde probat, & avarum ſummum bonum in nuda poſſeſſione divitiarum conſiſtere opinantem; eadem erit utriusque felicitas. Immo melancholicus in eo foret felicior

Digitized by Google

licior avaro pecuniam propter ſe appetente, quia cupiditatem habendi facilius ſatiare poteſt, quam avarus, ideoque caret anxia illa cura acquirendi, quæ plerumque avarum moleſtat. Obiter hoc obſervamus, cum attentionem excitare poſſit etiam in aliis. Hoc unum addo, in avaritiam ſive falſa de ſummo bono perſuaſione, ſive metu inopiæ futuræ concitatam ſubinde tacite influere melancholiam, atque tum remediis moralibus nihil effeceris, quæ ſi vel maxime in præſenti proficere videntur, morbus tamen animi redibit, quamdiu morbus corporis non fuerit ſanatus, cujus curatio num ſemper ſit poſſibilis, in præſenti non disquirimus. Notandum vero etiam hoc eſt, quod in hoc caſu haud raro malum augeant remedia moralia, cum, quæ ad evincendam abſurditatem perſuaſionis in medium afferuntur, argumenta contra veritatem opinione melancholicorum manifeſtam pugnare videantur. Nemo hoc ignorat, qui cum melancholicis rem habuit. Neque aliter fieri poteſt, quoniam melancholici ſibi conſcii ſunt, ſe in aliis recte ratiocinari, ideoque ſibi perſuadent, ſe non minus recte ſentire, dum in abſurda opinione, quam melancholia ſuadet, pertinaciſſime hærent. Quoniam melancholici non eandem fovent opinionem abſurdam; dari utique debet ratio differentiæ, unde intelligitur, cur hanc potius, quam aliam opinionem ſibi perſuaſerint, quæ ſi pateret, forſan non prorſus impoſſibile foret ad ſaniorem mentem reducere melancholicum. Aſt hæc disquiſitio ulterioris indaginis eſt, quam ut in præſenti eandem ſuſcipere poſſimus. Maxime conſultum eſt, ut a prima ætate notiones genuinæ menti ingignantur, ex quibus iſtiusmodi opiniones naſci nequeunt: id quod in omni praxi morali maximum habet momentum.

§. 420.

Ambitio homines avaros reddit, quando vident eos maximi fieri, qui opibus abundant, contemni e contrario, aut parvi fieri, qui ne avaritiæ iisdem cauſa. De ambitiori,

Digitized by Google

iisdem carent. Ambitioſus enim cupiditate honoris inſatiabili flagrat (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque cum nemo alterum honorare poſſit, niſi qui verum de perfectione alterius judicium ferre valet (§. 540. *part. 1. Jur. nat.*), non vero honore contentus eſt, ſi vel maxime eum non ſpernit, ſed eum quoque affectat, immo haud raro hunc ſolum, qui opinione turbæ nititur. Quamobrem quando videt, eos maximi fieri, qui opibus abundant, contemni e contrario aut parvi fieri, qui iisdem carent; cum ab omnibus magni fieri cupiat, divitias propter ſe appetit, nec veretur illicitis quoque modis pecuniam corradere eademque opes ſuas augere. Cupido nimirum honoris accendit & inflammat cupidinem habendi, ſicque ambitio avaritiam gignit (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*).

Avaritia eruditorum, qui famam nominis affectant, ex hoc fonte profluere ſolet. Neſcio, quam gloriam ſibi imaginentur, ſi divites moriantur, & poſt mortem narretur, quod magnam opum vim acquiſiverint. De modo, quo acquiſiverunt, parum ſolliciti ſunt, non perpendentes, divitias per ſe laudem nullam parere, ſed ſi qua laus inde petenda, eam unice ex modo acquirendi derivandam eſſe. Aſt de his plura dicenda in capite ſequente.

§. 421.

Avaritiæ ex ambitione profluentis effectus.

Si ambitio homines avaros reddit, de divitiis ſuis gloriantur & alios, præſertim eos, qui idem vitæ genus ſequuntur, vel etiam dignitate præſtant, pares autem opes non poſſident, contemnunt. Si quem enim ambitio avarum reddit, is divitias ideo appetit, quod eos magni fieri videt, qui opibus abundant, contemni autem e contrario, aut parvi fieri, qui iisdem carent (§. 420.). Quoniam itaque nominis famam ex divitiis affectat, & pro-

& propterea alios ſe antecellere putat, qui dignitate pares vel etiam ſuperiores ſunt, de divitiis ſuis gloriatur & alios, præſertim eos, qui idem vitæ genus ſequuntur, vel etiam dignitate præſtant, pares vero opes non poſſident, contemnit.

Gloriatio ſui propter divitias conjuncta cum contemtu aliorum pares opes non poſſidentium prodit avaritiæ originem, quæ aliunde per ſe nota eſt: neque enim illa avaritiæ, ſed ambitionis ſignum eſt. Ambitioſus cupidine honoris inſatiabili flagrat (§. 570. *part 1. Jur. nat.*). Quando igitur avaritiam accendit atque inflammat, cupido quoque habendi inſatiabilis efficitur, quippe quæ menſuram ſuam accipit ex cupidine gloriæ. Quamobrem non eſt, quod mireris, ſi videas homines iſtiusmodi infamibus artificiis & parum honeſtis pecunias corradere, ut non ſolum ſordidum quodvis lucrum inhiënt, ſed & dulce ſit quodlibet lucellum, licet inter juſtitiæ ſacerdotes ſupremum affectent locum. Non modo uſuraria pravitate locupletiores fieri amant hujusmodi avari, verum etiam opificibus non ſolvunt mercedem debitam, tandemque poſt longam moram ſolutionem obtendunt, vel ſub vario prætextu eandem pro lubitu imminuunt. Splendor enim gloriæ, quam ex divitiis ſperant, confundit oculos, ne videant infamiam facti, & magnitudo gloriæ affectatæ parit contemtum vulgi de turpibus factis ſeſe locupletandi rumores. Similiter auri ſacra fames, quam ſi non excitavit, ſaltem comitatur gloriæ ſitis, Medicos, qui laude merita contenti eſſe poterant, impellit, ut medicamenta ſub ſplendido arcanorum titulo, quæ circumforaneorum more ſparſis in vulgus ſchedis mirifice prædicant & in diſſitis locis vendenda aliis committunt, caro pretio vendant, quæ vili comparari poterant, nec verentur ridicule ſane perſuadere aliis, quod amor generis humani eos impellat ad ſuccurrendum miſeris. Quantum vero deinceps glorientur, quod *Galenus* ipſis dederit opes, quas denegavit aliis artem ſalutarem exer-

centibus, pluribus referre tædet. Abſonum omnino eſt, quod aliis perſuadere velint, ſe amorem proximi colligere debere ex occultatione arcanorum, ſi quæ ſunt, quæſtus cauſa facta, cum fideli remediorum expoſitione ſaluti ægrotantium rectius conſuleretur. Neque etiam deſunt inter Theologos exempla, quamvis hi hypocritarum more beneficium divinum extollant, dum obtentu gloriæ divinæ ad propriam gloriam contendunt, ut pietate excellere Deoque præ aliis chari videantur.

§. 422.

Remedium avaritiæ ex ambitione natæ.

Si ambitio homines avaros reddit, ambitio eradicanda. Etenim cum omnino verum ſit, vulgus magni facere eos qui ſunt divites, aſt pauperes contemni; avaritia in præſenti caſu non nititur falſa opinione, etſi in ſe abſurda. Quoniam itaque concedendum eſt divitias parere exiſtimationem; non aliud reſtat, quam ut oſtendatur, verum honorem non a divitiis eſſe expectandum, conſequenter ut avaritiæ medela afferatur, ambitio eradicanda (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*).

Quænam ſint remedia adverſus ambitionem, in ſequentibus ſuo loco oſtendetur.

§. 423.

Quando prodigalitas & luxus avaritiam gignunt.

Prodigalitas & luxus avaritiam gignunt, ſi quis tantum pecuniæ acquirere nequit, quanta ſufficit, ut profuſis ſumtibus vivat. Etenim prodigus plures & maiores facit pro facultate patrimonii ſui expenſas, quam officium aliquod erga ſe ipſum, vel erga alios exigit (§. 385. *part. 2. Jur. nat.*), & qui luxu delectatur pecuniam ſolius oſtentationis cauſa profundit (§. 387. *part. 4 Jur. nat.*). Quamobrem tam prodigus, quam in luxum effuſus ſumtibus profuſis vivere amat. Quodſi ergo tantum pecuniæ acquirere nequeunt, quanta ſuffi-

Digitized by Google

Mar. in medio fuerint vitæ, plus habet mulier, quam maritus: si pueros duos M. A. Varro natos dicit, quorum unus ex duodecim mensibus, unus horis octodecim fuerit, ille annum, hic diem vitæ complevit. Quamobrem non ex pueris, sed ex perfectis ætatibus judicandum est. Si mulier ad virilem ætatem pervenit, & quidem non quotannis fiat, sed quinto quoque anno, ut Romæ fiebat, quæ ad censum delata est, quinquennalis mulier appellata est, ut Varro testatur, annis X. [1. pro. 2. pr. ult.] privilegium & hanc habet, ut ad virilem ætatem pervenisse videatur, quæ ad censum delata est.

Nullus fabrum fecit præmium, nullus unus quidquam ad ædificandum, nullus ad ornandum, nullus ad custodiendum, nullus ad vitam sustinendum, nullus ad gloriam, nullus ad dignitatem, nullus ad opes, nullus ad honorem. Nisi omnium ordinum, nisi omnium ætatum, nisi omnium fortunarum homines ad rempublicam accedant, nullo modo distinguendi. Quidlibet potest quisquam, si non omnia, tamen plura: quæ quidem ego, quæ mihi videor, ut potero, explicabo. Nam quæ sunt ea, quæ non modo ad vitam, sed ad beate vivendum pertinent, & ab his quæ sunt ad vitam necessaria, ducuntur, ea sunt, ut opinor, hæc: Ut sit ingenium, ut memoria, ut ea, quæ sunt in ingenio & in memoria, ad vitæ fructum, & ad eam, quam dixi, beatam vitam, adhibeantur. Ingenium quidem, quod sit, quale sit, quantum sit, non est hujus temporis definire. Sed quia non semper fuit, quia tempore quodam discitur, quia ortum habet, quia progreditur, quia adolescit, quia senescit, quia restinguitur, quia obliviscimur, quia amittimus, quia denique interimur, quæ sunt hæc omnia, quæ ingenium

eſt, vitium ſpectari in appetitu & facultate averſandi, cui inhæret, quamvis ab actibus externis abſtinere cogatur labe ejus infectus. Solent autem plerumque homines de vitiis tantummodo ſtatuere ex actibus externis, quibus deficientibus vitium abeſſe putant, neque attendunt animum ad mutuam vitiorum a ſe invicem dependentiam. Puto vero attentionem ipſorum excitatum iri, ſi demonſtrationes noſtras morales ſibi familiares reddiderint.

§. 424.

Remedium contra avaritiam prodigi & in luxuriam effuſi.

Quoniam prodigalitas & luxus avaritiam gignit, ſi quis tantum acquirere nequit, ut profuſis ſumtibus vivat (§. 423.); *ſi profuſis ſumtibus vivere volens tantum acquirere nequit, quantum ſufficit, ne prodigalitas vel luxus ad avaritiam eum ſollicitet, ab hiſce vitiis animum purgare tenetur.*

Prodigus, itidemque in luxum effuſus vult profuſis ſumtibus vivere. Qui prodigalitati & luxui renunciat, voluntatem profuſis ſumtibus vivendi mutat. Quamvis itaque avaritia a voluntate profuſis ſumtibus vivendi pendeat; non alia tamen re opus eſt ad fugandam avaritiam, quam ut prodigalitas & luxus tollatur. Quomodo vero hæc vitia debellanda ſint; mox inquiremus.

§. 425.

Signum avaritiæ prodigi & in luxum effuſi.

Similiter quia prodigalitas & luxus avaritiam gignit, ſi quis tantum acquirere nequit, ut profuſis ſumtibus vivat (§. 423.); *qui propterea angitur, vel conqueritur, quod non tantum acquirere poſſit, ut profuſis ſumtibus vivat, cum avaritia minimum intus latentem prodigalitatem vel amorem luxus prodit, ſi vero manifeſto fuerit prodigus, vel in luxum effuſus, avaritiam inde pendentem.*

Ægritudinem animi unusquisque in ſe ſentit, querelæ autem eam produnt aliis. Hæ illam ſupponunt, non tamen ſem-

Romæ conclusum: quippe cum omnes Galliæ & patres, & totius ecclesiæ status, tantum non in extremum discrimen, non minus secularis, quam religionis, deducantur. Quamobrem ne ipse quidem Pontifex, quamvis ad Gallos natione pertinens, & Pius, & Christianus, & Romanus esse desinat, si ea, quæ ad Gallorum salutem pertinent, non curet. Quæ cum ita sint, Pontifex ad Regis supplicia explicanda, & ad Gallorum ecclesiæ, & Regni ruinam, quæ ex illis supplicis sequi videbantur, non potuit non vehementer commoveri. Verum vero multitudo Verò cum multitudo Gallorum, quæ Romæ erat, & Gallorum, qui Romam ad Pontificem confluebant, & Cardinalium, qui Gallis favebant, & Romanorum, qui ex eorum gratia familiæ erant suæ, Romæ præsidium haberent, & Pontificem ipsum, quem ad Regis supplicia non posse non commoveri videbant, ne ipsum quidem Pontificem, quamvis Romæ esset, satis tutum fore ab omni periculo & incommodo existimarent,

§. 426.

Quando voluptuoſus in avaritiam incidat.

Voluptuoſus in avaritiam incidit, ſi tantum acquirere non valet, quantum ad reſtingvendum ſitim voluptatum corporis ſufficit. Cum enim voluptuoſi voluntas determinabilis ſit per delectationes ſenſuales (§. 166. *part. 2. Eth.*); voluptuoſus ſepoſito intellectus uſu ea appetit, quæ ſenſus hilarant (§. 552. *Pſych. empir.* & §. 163. *part. 2. Eth.*), conſequenter voluptatibus corporis appetitum ſatiare cupit. Quoniam vero hiſce ut fruatur pecunia opus habet; ſi tantum acquirere nequit, quantum ad reſtingvendum ſitim voluptatum corporis ſufficit, plus habere cupit, quam acquirere in poteſtate ſua eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant, quæ acquiruntur. Quoniam itaque avarus eſt, qui plus habere cupit, quam acquirere in poteſtate ſua eſt, ſi vel maxime ad vitam commode ac decore agendam, immo futuræ neceſſitati & aliis extraordinariis expenſis ſufficiant (§. 398. *part. 4. Jur. nat.*); voluptuoſus in avaritiam incidit, ſi tantum acquirere non valet, quantum ad reſtingvendum ſitim voluptatum corporis ſufficit.

Equidem homini jus eſt fruendi delectationibus ſenſualibus, ſi fuerint innocuæ (§. 410. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque in ſe illicitæ non ſunt (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); attamen ubi ſepoſito intellectus uſu ſibi perſuadet ſe eſſe felicem, quando voluptatibus corporis indulgere datur, quaſi ſummum hominis bonum in iis conſiſtat, cupido fruendi voluptatibus corporis inſatiabilis naſcitur. Quodſi ergo deficiant opes, ut voluptatum inſtrumenta ſibi comparare poſſit; ſitis voluptatum excitat ſitim opum, quae menſuram ſuam ex illa accipit, ſicque cupido voluptatum corporis avaritiam gignit. Hinc videas homines voluptuoſos inhiare divitias, beneficio

neficio fortunæ obtinendas, quarum ubi facti ſunt participes, totos voluptatibus ſe dedunt & nullo labore parta conſumunt. Quando vero fortuna divitias ipſis negat, ut labore ſuo partis vivere teneantur, quæ ſumtibus voluptatum corporis cauſa faciendis non ſufficiunt; fieri omnino nequit, quin cupido plus habendi inceſſat animum ipſorum, ut ſorte ſua contenti eſſe nequeant, præſertim ſi videant alios voluptatibus ſeſe ingurgitantes, ad quorum ſimilitudinem vivere mallent. Quodſi hæc perpendamus, abſonum minime videbitur, voluptatem eſſe avaritiæ matrem. Ea non repetimus, quæ de prodigalitate & luxu avaritiæ cauſa in anterioribus annotavimus (*not.* §. 423. 425.), huc quoque non inutiliter mutatis mutandis trahenda.

§. 427.

Quoniam voluptuoſus in avaritiam incidit, ſi tantum acquirere non valet, quantum ad reſtingvendum ſitim voluptatum corporis ſufficit (§. 426.); *ſi quis propterea angitur, vel conqueritur, quod tantum lucrari non poſſit, quantum ſufficit ut giguit. more aliorum ſumtus voluptatum corporis cauſa faciat, is avaritiam una cum matre ejus prodit.* *Signum avaritiæ, quam*

Quæ in caſu ſimili de ægritudine animi & querelis avaritiæ cum matre ſua ſignis annotavimus (*not.* §. 425.), ea in præſenti quoque notanda, quantum permittit caſuum differentia. Omnis avarus cupidine habendi inſatiabili laborat, ſed non omnis plus habere cupit, quam acquirere valet, propter eundem finem. Voluptuoſus tanquam finem intendit voluptates corporis, ambitioſus honorem nominisque famam, prodigus profuſiones ſumtuum, in luxum effuſus oſtentationem, meticuloſus averſionem inopiæ futuræ, qui ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtere opinantur, ſeu pecuniam propter ſe apperunt, ſummi boni poſſeſſionem: omnes autem pecuniam conſiderant tanquam medium, quo finem a ſe

Si numerus omnium partium ... Quotiens igitur quilibet pars erit ... Si numerus omnium partium ... Quotiens igitur quilibet pars erit ...

mento (§. 321. *& ſeqq.*). Qui voluptates corporis amant, eas ut plurimum appetunt, quæ intemperantiam & libidinem ſuadent. Quamobrem ad cupidinem illarum voluptatum reprimendam omnia illa faciunt, quæ ſupra de temperantia & caſtitate demonſtravimus. Et quamvis detur eorum, quæ ſenſum hilarant, licitus quidam uſus, in eo tamen non acquieſcunt, qui illorum cupidine ad avaritiam ſollicitantur, ſed abuſus ipſis arridet. Confundunt ſtatum jucundum cum felicitate, qui tamen ab hac plurimum differt (§. 106. *part. 2. Eth.*). Huc igitur faciunt, quæ contra abſurdam opinionem felicitatem ex perceptionibus jucundis, ſeu iis, quæ ſenſum hilarant, æſtimantium (§. 113. *part. 2. Eth.*) non uno in loco attulimus. Inprimis hic uſui ſunt, quæ de vera felicitatis æſtimatione demonſtrata & uberioribus annotationibus declarata ſunt (§. 107. *& ſeqq. part. 2. Eth.*). Plurimum quoque conducit, ut conſiderentur diverſa bona, quæ ex naturali determinatione appetitus derivantur (§. 43. *& ſeqq. part. 2. Eth.*). Non provoco ad voluptatem, quam homo ex præſtatione officiorum erga Deum percipit & qua Deus animum hominis hilarat, in parte tertia Ethicæ paſſim demonſtrata. Qui enim voluptates corporis adeo amant, ut iisdem ad avaritiam alliciantur, eam nondum deguſtarunt, nec rem ſibi ignotam cum notiſſima comparare valent, ut de prælatione ſtatuatur: qui vero eam deguſtarunt, voluptates corporis tanti non facient, ut earum cupidine ad avaritiam ſe incitari patiantur.

§. 429.

Quoniam cupido voluptatis delenda eſt, ne ad avaritiam voluptuoſum ſollicitet (§. 428.); *ſi voluptuoſus tantum habet, quantum ad vitæ quoque jucunditatem ſufficit, ne cupido voluptatum corporis avaritiam gignat, conſiderare tenetur, quod ſibi detur voluptate felicitati amica, ex reliqua autem, cujus gratia ampliores opes deſiderat, felicitatis veræ jacturam eſſe metuendam,* *De eo, cui vitæ jucunditatem ſuppetunt ad ceſſaria.*

ab eo ut tenetur ex duobus lateribus, quæ cum angulo continentur, ita tenetur ex duobus reliquis lateribus, quæ cum angulo reliquo continentur. Ergo ut ex duobus lateribus, quæ cum angulo continentur, fit parallelogrammum rectangulum, ita ex duobus reliquis lateribus, quæ cum angulo reliquo continentur, fit parallelogrammum rectangulum. Quod erat demonstrandum.

Non pertinebant ea ultra, quæ in hac sede posita sunt, ad propositum, quod est de solidis; sed quia ea, quæ de parallelogrammis rectangulis demonstrata sunt, ad ea, quæ de solidis rectangulis sequuntur, pertinent, ideo ea hic posita sunt. Sit A (Fig. 1.) parallelogrammum rectangulum, cujus latera sint B, C, & sit D parallelogrammum rectangulum, cujus latera sint E, F. Dico, quod si A æquale sit ipsi D, latera ipsius A, B, C, reciproca erunt lateribus ipsius D, E, F, hoc est, latera ipsius A, B, C, ita se habebunt, ut latera ipsius D, E, F, ita scilicet, ut latus B ad latus C, sic latus E ad latus F. Et si latera ipsius A, B, C, reciproca sint lateribus ipsius D, E, F, hoc est, latera ipsius A, B, C, ita se habeant, ut latera ipsius D, E, F, scilicet ut latus B ad latus C, sic latus E ad latus F, tunc A æquale erit ipsi D. Quod si latera ipsius A, B, C, ita se habeant, ut latera ipsius D, E, F, scilicet ut latus B ad latus C, sic latus E ad latus F, & A æquale sit ipsi D, latera ipsius A, B, C, reciproca erunt lateribus ipsius D, E, F. Quod erat demonstrandum. Quemadmodum si quatuor numeri proportionales sint, ita se habebit primus ad secundum, ut tertius ad quartum, & si primus ad secundum, ita se habeat tertius, ut quartus: Ita quoque latera parallelogrammorum rectangulorum, quæ æqualia sunt, ita se habebunt, ut latera parallelogrammorum rectangulorum, quæ reciproca sunt.

§. 440.

Solidum parallelepipedum rectum, quod basin habet parallelogrammum rectangulum, per ea, quæ de parallelogrammis, quod ei latus opponitur, rectangulis, demonstrata sunt, facile intelligitur.

Analyse : poème en dix chants, divisé en trois livres, par Antoine Deschamps, publié pour la première fois par Gustave Crapelet. — Paris, Crapelet, 1832, in-8°.

Antoine Deschamps, surnommé Morel, naquit à Vertus, en Champagne, vers l'an 1328. Il fut d'abord page de Guillaume de Machaut, puis huissier d'armes de Charles V, roi de France, bailli de Senlis, bailli de Valois, et enfin bailli de Sézanne. Il mourut en 1415, à l'âge de quatre-vingt-sept ans. Il a laissé un grand nombre de poésies, dont la plupart sont restées manuscrites. Quelques-unes ont été imprimées dans différents recueils, et, entre autres, dans le Recueil de Poésies françoises, publié par M. de Crapelet. Ce sont des ballades, des rondeaux, des virelais, des lais, des chansons royales, des épîtres, des complaintes, etc. Les poésies morales sont, en général, les meilleures. Il a composé, d'ailleurs, quelques pièces historiques, et un traité de versification, intitulé : *l'Art de dictier et de faire chançons, balades, virelais et rondeaux*.

Les vices que présente Morel, qui le rendent, en général, peu agréable à lire, sont : 1° une prolixité qui va souvent jusqu'à la diffusion ; 2° une recherche d'esprit qui le fait tomber dans le faux et le ridicule ; 3° une érudition qui est d'un mauvais goût. Il a pu, en effet, être utile à son temps, en répandant, dans ses poésies, des connaissances de toute espèce ; mais il ne les présentoit pas toujours heureusement. Quoique

enim jus, quod natura eſt omnium hominum commune (§. 24. *part. 1. Jur. nat.*), proprium fuerit factum (§. 166. *part. 2. Jur. nat.*), dominus tamen re ſua aliter uti non debet, quam ut ſatisfaciat obligationi cuidam naturali (§. 167. *part. 2. Jur. nat.*); ideoque re ſua abutatur, ſi aliter utitur, hoc eſt, ea uſurus quicquam facit, quod obligationi cuidam naturali repugnat (§. 168. *part. 2. Jur. nat.*); uſus hic parſimoniæ objectum eſt (§. 381. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam vero opera humana, poſtquam dominia introducta fuerunt, æquiparatur rebus, quæ ſunt in dominio præſtantis (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*); quæ de uſu rerum dicta ſunt, de uſu quoque operarum alienarum eadem tenenda ſunt. Datur pecunia pro rebus, ac operis ab aliis nobis comparandis (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum uſus cauſa res ac operæ ab aliis comparandæ ſint; expenſæ quoque ex uſu rerum & operarum lege naturali conceſſo metiendæ. Hæc qui obſervat, facile judicabit, quænam ſint parſimoniæ partes, ne vel ipſe quicquam committat, quod eum a tramite virtutis abducat, vel in aliis reprehendat, quod laudari debebat, quemadmodum ſæpiſſime contingit. Ceterum cum in propoſitione præſenti ſupponamus, nos velle parſimoniam colere; voluntatem bonam adeſſe ſupponimus, utpote quæ generaliter determinata eſt ad faciendum, quod legi naturæ convenit (§. 121. *part. 2. Eth.*). Quamobrem opus eſt ut ea conſideremus, quæ lex naturæ de eroganda pecunia, ſeu expenſis urget. Ne vero in hiſce ceſpitemus, conſultum omnino eſt, ut rectus pecuniæ uſus ex primo fonte deducatur, ad quem ducunt quæ modo dicta ſunt.

§. 431.

Quamnam circumſpectionem urgeat parſimonia.

Si pecunia, quam habemus, vel acquirere valemus, non ſufficit, ut vitam quoque commode vel jucunde agamus; parſimonia exigit, ut res utiles voluptuariis, neceſſarias autem utrisque præferamus, immo cum utilitas quoque omnium non eadem ſit, futuræ neceſſi-

quæſtiones referuntur, quod in eo reipublicæ eſſe non poſſit
quam plurimi. Cum enim ex hominum ſtudiis ſtudia nascantur
(ſi) Civium non ſolertia reipublicæ ſit conducibilis, ut ego in
libro de Cive demonſtravi, ſed ſtudium, quod ex ſolertia civium
nascitur, non ſolertium ſtudia: (ſi) ut ſtudium, quod ex ſolertia
Magnatum non nascitur, ſed ex eorum voluntate: (ſi) ut ſtudium
Principis, quod ex ſolertia Principis nascitur, non ex ſolertia
ſubditorum. Quod ſi ſtudia ſolertiæ ſequantur, ut ſtudium ſolertiæ
Principis, ſtudium Magnatum, ſtudium civium, ſtudium ſolertiæ
civium, ſtudium hominum ſolertiæ, ſtudium ſolertiæ hominum
ſequitur, ſtudium omnium ſolertiæ, ſtudium ſolertiæ omnium
ſequitur, ſtudium ſolertiæ omnium ſequitur, ſtudium ſolertiæ
(ſi) ſtudium ſolertiæ (ſi) ſtudium ſolertiæ (ſi)

ficit, ut vitam quoque commode ac jucunde agamus, parsimonia exigit, ut res utiles voluptuariis, necessarias autem utrisque præferamus, & futuræ necessitati reservetur, quod in res voluptuarias & minus necessarias impendi poterat. *Quod erat unum.*

Enimvero cum operæ aliorum nobis utiles æquiparentur rebus, quæ sunt in dominio ipsorum (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), & perinde ac res pecunia ab aliis comparentur (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*); quæ de expensis, quibus res comparantur, demonstrata sunt *n. 1.* eadem quoque tenenda de operis aliorum nobis utilibus. *Quod erat alterum.*

Ostendimus jam superius, qui curam rebus habere vult, eum res necessarias, utiles & voluptuarias a se invicem discernere debere, sive sint comparandæ, sive iisdem sit utendum (§. 348.). Quamobrem cum parsimonia versetur circa res comparandas (§. 381. *part. 4. Jur. nat.*), res vero comparandæ sint usus causa, quem habent in vita conservanda & commode, jucunde ac decore transigenda, animaque perficienda & perfectione aliorum promovenda (§. 430.); parcus quoque res necessarias, utiles & voluptuarias a se invicem accurate discernere debet: alias nimirum fieri non potest, ut expensas moderetur legi naturæ convenienter. Notandum vero hic inprimis est, unam eandemque rem diverso respectu & necessariam, & voluptuariam, vel necessariam simulque utilem, vel utilem & una voluptuariam, vel denique necessariam, utilem & voluptuariam simul esse posse (§. 349.). Ne igitur parsimonia aliqua ex parte deficiat, diversi usus, quem una eademque res habere potest, probe considerandi. Exempla, quæ supra dedimus (*not. §. cit.*), facile ostendent, quomodo horum observatio conducat ad satisfaciendum obligationi de rebus certis aliis præferendis. Rerum comparandarum causa expensæ fiunt (§. 364. *part. 4. Jur.*

Digitized by Google

Jur. nat.), ideoque pro harum diverſitate diſtingvantur quoque expenſæ. Cur vero eas non ſaltem diſtingvamus in neceſſarias, utiles & voluptuarias, ſed addamus minus neceſſarias, inutiles & non inutiles, ex definitionibus ſingularum expenſarum patet (§. 365. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quodſi quis ob eandem rationem res quoque minus neceſſarias inutiles & non utiles reſpectu facientis a ceteris diſtingvere velit, per me hoc licet quamvis a nimio diſtinguendi ſtudio, quo carere poſſumus, abhorreamus, ne entia præter neceſſitatem multiplicando vel fruſtra memoriam oneremus, vel praxin ad ambages inutiles deducamus. Omnis enim diſtinctio indiſpenſabilem uſum habere debet vel in theoria ad veritatem perſpiciendum, vel in praxi ad recte agendum. Operæ cum conſiderentur quatenus aliis utiles ſunt, non eſt quod miremur, eas eosdem uſus habere, quos nobis præſtant res, quodque eodem prorſus ſenſu in neceſſarias, utiles & voluptuarias diſtingvantur. Ita operæ neceſſariæ ſunt, quæ collocantur in findendis lignis, vel præparandis cibis; operæ utiles, quas nobis præſtant famuli in veſtibus induendis, vel exuendis; operæ voluptuariæ, quando Muſicus tangendo inſtrumenta ſua hilarat auditum, & ad decorem facit, ſi quis ad tuendam dignitatem, qua ornatur, utitur comitatu famulorum. Ex his exemplis ſatis patet, diſtinctionem rerum in neceſſarias, utiles & voluptuarias recte quoque transferri ad operas, quando in iis comparandis parſimoniæ habenda eſt ratio. Immo haud difficulter quoque oſtendi poſſet, unam quoque eandemque operam ſimul utilem ac voluptuariam eſſe poſſe & ita porro, quemadmodum de rebus oſtendimus (§. 349.). Quod vero in expenſis faciendis attendantur non minus res incorporales, quam corporales, alias jam obſervavimus (*not.* §. 365. *part.* 4. *Jur. nat.*), quamvis ſi quis res incorporales admittere in eundem cenſum noluerit expenſas referre poſſit ad operas, quibus ad eas conſequendas utimur, veluti dum pro inſtitutione ſolvitur didactrum. Quoniam in eroganda pecunia ſemper ſpectandus hic finis eſt, ut ſatisfacias obligationi cuidam naturali (§. 379. *part.* 4. *Jur. nat.*);

nat.); perinde eſt, quomodo id, cujus obtinendi cauſa expenſæ fiunt, tibi repræſentes, modo fines, qui intenduntur, a ſe invicem diſcernas (§. 380. *part.* 4. *Jur. nat.*), ut exinde ſtatuas, quid parſimoniæ conveniat.

§. 432.

De partis conſervandis.

Qui parſimoniam colit, parta conſervare ſtudet. Parcus enim ſi pecunia, quam habet, aut acquirere valet, non ſufficit, ut vitam quoque commode ac jucunde degat, res utiles voluptuariis, neceſſarias utrisque præfert, & futuræ neceſſitati reſervat, quod in res voluptuarias & minus neceſſarias impendi poterat, idemque etiam de operis aliorum ſibi utilibus obſervat (§. 431.). Omni igitur ſollicitudine cavet, ne pecuniam eroget, quæ ſervari poterat, conſequenter parta conſervare ſtudet.

Ut propoſitio præſens recte intelligatur probe notandum eſt, quænam partis arcenſenda ſint. Nimirum ad parta referuntur primo ea, quæ fortuna dedit, aliorum opera acquiſita & conſervata, veluti bona, quæ hæreditate venerunt, vel a conjuge opulenta illata fuerunt. Deinde huc pertinet exceſſus redituum ſupra expenſas. Reditus autem proveniunt vel ex rebus noſtris, vel operis noſtris (§. 363. *part.* 4. *Jur. nat.*). Quamobrem qui parta conſervare vult, is non modo operam dat, ne patrimonium, quod omnium bonorum univerſitatem complectitur (§. 452. *part.* 2. *Jur. nat.*), ulla ex parte diminuatur, verum etiam ut, quantum in poteſtate ſua eſt, augeatur, Atque in eo ſatisfacit obligationi naturali de patrimonio ſuo conſervando & amplificando, quantum in poteſtate eſt (§. 458. *part.* 2. *Jur. nat.*). Parſimonia itaque in partis conſervandis nihil committit, quod legi naturæ repugnet. Sicuti continentiæ non adverſatur vigilantia, ne occaſionem ad acquirendum licito modo (§. 398.); oblatam omittamus, ſed ut teneamus (§. 383.); ita quoque parſimoniæ

moniæ non repugnat, neque reprehendi poteſt, ſi quis patrimonium, quantumcunque fuerit, modo quovis licito amplificet. Qui divitem avarum vocant, propterea quod profuſis ſumtibus non vivit, ſed divitias, quibus abundat, in dies magis magisque auget, quamvis in pecunia acquirenda nil committat, quod continentia non fert, nec in divitiis congerendis, quod non ſuaſerit parſimonia, quid ſit continentia, quid parſimonia ignorant, nec intelligunt, quid lex naturæ de pecunia acquirenda & eroganda præcipiat. Laborandum omnibus, quantumvis amplum habeant patrimonium (§. 457. *part. 2. Jur. nat.*); & labor ſpectandus eſt tanquam officium erga nos & alios, non ſaltem tanquam modus acquirendi (§. 371.). Laborem itaque metiens ex communi utilitate (§. 383.), divitias, quas acquirendo pecuniam ſuperfluam amplificat (§. 240. *part. 4. Jur. nat.*), non propter ſeipſas appetit (§. 413. *part. 4. Jur. nat.*): id quod avari eſt (§. 403.). Quilibet etiam parcus eſſe debet (§. 382. *part. 4. Jur. nat.*). Quamvis itaque dives expenſas inutiles non facit, a quibus omnes abſtinere debent (§. 373. *part. 4. Jur. nat.*), non tamen propterea pauciores & minores pro facultate patrimonii ſui facit, quam officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit: id quod tenacis eſt (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*). Nimis frequenter homines judicia de avaritia & tenacitate aliorum deproperant, defectu notionum diſtinctarum nunc avaritiam cum tenacitate, nunc utramque cum parſimonia, nunc curam acquirendi continentiæ convenientem (§. 383.) cum avaritia confundentes. Hosce autem ſcopulos omnes evitabit, qui, quæ in Jure naturæ de labore, de pecunia acquirenda & eroganda demonſtrata ſunt, penitus cognoverit. Ut autem hæc intime perſpiciat, longe plurima ante cognoſcenda ſunt, ad quæ ducit demonſtrationum analyſis. Vitiorum & virtutum quoad hanc materiam adeo arcti ſunt limites, quibus a ſe invicem ſeparantur, ut facillime tranſiliantur, & ex virtute in vitium contingat prolapſus. Atque ideo eadem facilitate contingit, ut quis ſibimeripſi im-

ponat, veluti ut ſe parſimoniam colere putet, dum tenax eſt, vel ut arbitretur, ſe proſpicere futuræ neceſſitati, quemadmodum debet, dum avarus pecunias corradit.

§. 433.

De ære alieno non contrahendo.

Quoniam qui parſimoniam colit, parta conſervare ſtudet (§. 432.), conſequenter omnem dat operam, ne patrimonium ſuum diminuatur, ſed ut potius augeatur (§. 452. *part. 2. Jur. nat.*), ære autem alieno patrimonium diminuatur (§. 449. *part. 2. Jur. nat.*); *qui parſimoniam colit, æs alienum non contrahit, niſi vel in rei fructuoſæ emtionem impendatur, vel in negotium quæſtuoſum, aut præſens quædam neceſſitas aut utilitas paratam pecuniam urgeat, quæ etſi deſit in præſenti, expenſis tamen poſthac faciendis ſuperabit, ut illo ſe rurſus liberare poſſit.*

Si fortuna nobis non adeo faveat, ut acquirere valeamus, quantum ad vitam commode quoque ac jucunde degendam, vel ad reſervandam quandam pecuniæ partem in caſus futuros ſufficit; parſimonia hanc curam nobis injungit, ut caveamus, ne ſimus in ære alieno. Parſimonia enim magnum vectigal dicitur, non ſolum quatenus facit ad patrimonium amplificandum, verum etiam ad parta tuendum & æs alienum vitandum. Emergere autem poſſunt caſus, in quibus ære alieno indigemus, quod nobis grave non eſt, aut cujus uſu reddimur locupletiores. Et tunc patrimonium non diminuit, aut prorſus ad idem amplificandum conducit, cum fine ejus decremento exire ære alieno poſſimus. Quodſi vero quis novit, ſe æs alienum perſolvere non poſſe, is nec contrahere debet. Etenim ſi ad paupertatem, vel egeſtatem fuerit redactus, cum vel ultra res neceſſarias nihil acquirere valeat, vel ne tantum quidem, quantum ad vitæ neceſſitatem ſufficit (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*), in caſu priori parſimonia conſulendum paupertati, quantum datur, in poſteriori nemo propterea defraudandus, ut conſumendo æs alienum egeſta-

egeſtati per temporis aliquod ſpatium conſulas. Præſtat omnino eſſe egenum absque turpi defraudatoris nomine, quam in turpi egeſtate vitam degere. Defraudatione tantummodo differtur egeſtas, non vero tollitur, niſi defraudatori liceat eſſe tam felici, ut ea demum poſt mortem appareat.

§. 434.

De reditibus cum expenſis conferendis.

Qui parſimoniam colere vult, reditus cum expenſis conferre diligenter debet. Qui enim parſimoniam colit, parta conſervare ſtudet (§. 432.), & expenſas ita moderatur, ut non modo ab expenſis inutilibus prorſus abſtineat, verum etiam, ſi neceſſe fuerit, expenſis tam voluptuariis, quam utilibus detrahat, quod in futuros uſus reſervandum, idemque de operis ab aliis ſibi comparandis obſervat (§. 431.), & maxime ſibi cavet, ne in æs alienum incidat (§. 433.). Quoniam hoc fieri nequit, niſi conſtet, num expenſæ ſuperent reditus, an illæ ab his ſuperentur; qui parſimoniam colere vult, reditus cum expenſis conferre diligenter debet.

Collatio expenſarum cum reditibus duplicem habet rationem, nimirum ne minus neceſſarias faciamus, cum pecunia utilius impendi poterat, & ut certius conſtet, num quid & quantum reſervari in futuros uſus queat, ne pecunia præter neceſſitatem, aut inutiliter conſumatur. Parſimonia igitur exigit codicem accepti & expenſi, ſine quo ut omnes parſimoniæ partes adimpleas, tibique tam a prodigalitate, quam tenacitate atque incuria ſufficienter caveas, fieri nequit. Quoniam vero accepta & expenſa totius anni tempore non eadem ſunt; ideo maxime conſultum eſt, ut reditus cum expenſis conferantur in fine anni: exceſſus enim redituum ſupra expenſas ad parta erit referendus, quæ tueri parſimoniæ eſt. Quamobrem ſi initio anni novi in acceptis nondum ſit, quod expenſis ſufficiat, ut defectus ex partis anno ſuperiori ſit ſupplendus, pecunia inde ſumta quaſi mutuo accepta conſide-

randa & quamprimum fieri poteſt reſtituenda. Ita enim demum patebit, quænam hoc anno fuerint parta, nec inutiliter accepta & expenſa hujus anni cum acceptis atque expenſis anni præcedentis conferre poteris, ut expenſarum rationem anno ſequente rectius inire poſſis, prouti vides conditionem tuam factam eſſe vel meliorem, vel deteriorem. Equidem non ignoro, non deeſſe plures, qui exiſtimant, noſtro ſeculo inanem operam in hujusmodi collatione redituum & expenſarum ſumi, quo difficile ſit parta tueri, nedum ut ea quotannis augere velis: attamen nec ignoro, qui ita ſentiunt, eos pro certo habere, quod ad ſimilitudinem aliorum ſit vivendum, ſi vel maxime in æs alienum incidamus, a quo tamen liberi eſſe poteramus, ſi ratione potius & conſilio, quam moribus alienis vivere mallemus. Hi cum nondum habeant animum parſimoniam colendi, cum ipſis quoque in præſenti negotium nullum eſt, qui docemus, quid faciendum ſit iis, qui amore hujus virtutis ducuntur, quæ nunquam ſatis commendari poteſt.

§ 435.

Parſimoniæ motivum.

Parſimonia contra paupertatem & egeſtatem magnum præſidium eſt, & præcavet, ne noſtra culpa in eandem incidamus. Parſimoniæ enim cultor parta conſervare ſtudet (§. 432.), & expenſas ita moderatur, ut minime neceſſarias non faciat, nec faciat ultra quam reditus permittunt, quin potius operam omnem navat, ut futuræ neceſſitati reſervet, quod in res voluptuarias & minus neceſſarias impendi poterat (§. 431.), expenſas cum reditibus diligenter conferens (§. 434.). Nihil igitur eorum prætermittit, quod facere poteſt, ne deficiant, quæ ad vitæ neceſſitatem, utilitatem, jucunditatem atque decorem ſibi neceſſaria ſunt. Quamobrem cum pauper ſit, qui nonniſi res neceſſarias habet, egenus vero, qui rerum quoque neceſſariarum inopia laborat (§. 238. *part. 4. Jur.*

Jur. nat.); parſimonia contra paupertatem & egeſtatem magnum præſidium eſt. *Quod erat unum.*

Enimvero in noſtra poteſtate non eſt acquirere, quantum volumus, conſequenter tantum, ut vitam ſi non prorſus commode ac jucunde, attamen nec prorſus incommode ac minus decore agere valeamus, & parta quoque tueri non ita pendet a poteſtate noſtra, quin multi contingant caſus funeſti, quibus fortuna adverſa nobis eripiuntur, in quibus tuendis omnem operam collocaveramus. Quamobrem in egeſtatem aut paupertatem incidere poſſumus fortuna adverſa utentes. Quodſi tamen parſimoniam nulla ex parte in nobis deſiderari paſſi fuerimus, ut nulla negligentia nobis imputari poſſit (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); parſimonia, quamvis paupertatem vel egeſtatem avertere non potuerit, præcavit tamen, ne noſtra culpa in eandem inciderimus. *Quod erat alterum.*

Divitiæ ſi non ſemper in totum, ex parte tamen a fortuna dependent, & perpetuo poteſtati ejus ſubjectæ ſunt. Parſimonia ergo non eſt medium ditescendi, quamvis fortuna favente ad divitias ſymbolum conferat; ſed medium eſt paupertatem & egeſtatem vel avertendi, vel ſaltem præcavendi, ne in eam culpa noſtra incidamus, prouti nimirum fortuna permiſerit, a cujus poteſtate in hoc pendemus. Paupertas & egeſtas mala ſunt, a quibus nobis cavere debemus, quantum in poteſtate eſt (§. 416. *part. 4. Jur. nat.*). Atque huc redit cura ejus, qui parſimoniam colit. Liberam eſſe a malis iſtis magnum utique bonum eſt, & in ea incidiſſe absque culpa ſua magnum ſolatium, quod malum tolerabilius efficit. Fructus igitur hic, quam ſpondet parſimonia, ejus motivum eſt.

§. 436.

Motivum aliud. Quoniam parſimonia præcavetur, ne quis ſua culpa in paupertatem, aut egeſtatem, vel ipſam mendicitatem incidat (§. 435.); *ſi contingat, ut caſu quodam funeſto, aut fortuna quomodocunque adverſa ad paupertatem, aut egeſtatem, vel ipſam mendicitatem redigatur, qui parſimoniæ fuit deditus*, cum nullius facti ſibi conſcius ſit, cujus ipſum pœniteat (§. 759. *Pſych. empir.*), vel pudeat, *nec pœnitentia, nec pudor animum ejus moleſtat.*

Nemo hominum fata ſua prævidere poteſt, nec votis ſuis ea tollere. Quare nemo quoque certus eſſe poteſt, annon in paupertatem & egeſtatem, vel ipſam mendicitatem incidere poſſit. Quamobrem cum lex naturæ præcipiat, ut nobis caveamus, quantum in poteſtate noſtra eſt, ne in paupertatem vel egeſtatem incidamus, aut ad mendicitatem redigamur (§. 416. *part. 4. Jur. nat.*), obſervantiam ſaltem parſimoniæ & eam diligentiam in laborando & vigilantiam, quam continentia ſuadet (§. 383.), urget, ut ſi adverſa nobis obtingant, habeamus animum a ſenſu culpæ vacuum, nec nos privemus felicitate, qua frui poſſumus, ſi vel maxime contingat nos ſine culpa noſtra fieri pauperes, vel prorſus ad mendicitatem redigi (§. 397.). Lex enim naturæ in omnibus conſulit felicitati noſtræ. Natura paucis contenta eſt. Quamobrem parſimonia in egeſtate & ipſa mendicitate locum habet, atque huic virtuti quoque ſtudere debet, qui perſonam egeni, vel mendici impoſitam ſibi recte gerere voluerit, quemadmodum debet (§. 426. *part. 3. Eth.*). Ex adverſo ſi quis parſimoniam in ſe deſiderari paſſus culpa ſua ad paupertatem, egeſtatem vel ipſam mendicitatem redactus eſt; ejus animum pœnitentia torquet, affectus ſane moleſtiſſimus (§. 758. *Pſych. empir.*), qui animum admodum inquietum reddit (§. 762. *Pſych. empir.*), & tanto moleſtior efficitur, quod pudor eidem ſocietur. Notandum quoque eſt,

eſt, quod in caſu priori ad paupertatem, vel ageſtatem, immo mendicitatem redactum conſcientia excuſet (§. 463. *part. 1. Phil. pract. univ.*), in poſteriori accuſet (§. 472. *part. 1. Phil. pract. univ.*). In caſu itaque priori fruitur ea voluptate, qua excuſatio conſcientiæ animam perfundit (§. 468. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in poſteriori tædio afficitur, quo accuſatio conſcientiæ eam excruciat (§. 483. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Non eſt quod dubitemus, horum conſideratione nos ad parſimoniam incitari poſſe, tanto quidem facilius, ſi non improbabile videtur, conditionem præſentem in deteriorem mutatum iri, niſi tempeſtive parſimoniæ ſtudeamus. Carentia igitur pœnitentiæ ac pudoris in paupertate & egeſtate haud leve motivum parſimoniæ eſt.

§. 437.

An parſimonia adverſetur fiduciæ in Deo & acquieſcentiæ in providentia ipſius.

Parſimonia fiduciæ in Deo non repugnat, nec obſtat, quo minus in providentia divina acquieſcamus. Qui enim Deo confidit, quamvis ſe totum resque ſuas, providentiæ divinæ committat (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*), non tamen propterea uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum in bonis conſequendis & malis evitandis negligere debet (§. 1194. *part. 1. Jur. nat.*). Qui parſimoniam colit, parta conſervare ſtudet (§. 432.), & expenſas ſuas ita moderatur, ut, quantum in poteſtate ſua eſt, quædam in uſus futuros reſervet, vel patrimonium ſuum amplificaturus, vel ſibi ſaltem proſpecturus, ne in paupertatem, aut egeſtatem ipſamque medicitatem incidat, conſequenter uſum facultatum ſuarum aliaque remedia adhibet ad bona conſequenda, mala vero vitanda, quæ ipſa lex naturæ præſcribit. Patet itaque parſimoniam fiduciæ in Deo minime repugnare. *Quod erat unum.*

Parſi-

Parſimonia exigit, ut expenſas cum reditibus conferamus (§. 431. §. 434.), & his proportionaliter res atque operas aliorum nobis comparemus, & ſi ſtatus rerum noſtrarum ita ferat, futuræ neceſſitati reſervemus, quæ in res voluptuarias & minus neceſſarias impendi poterant (§. 431.). Quamobrem qui eam colit, contentus eſt eo rerum ſuarum ſtatu quem ſortitus eſt, nec ultra quid appetit, quam quod in eodem habere poteſt. Enimvero qui in providentia divina acquieſcit eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime dependent, approbat (§. 437. *part. 3. Eth.*) & ſtatu ſuo contentus eſt, nec aliis invidet bona ſua, ſuis vero lætatur, & ſi qua eveniant mala, ea tranquillo fert animo (§. 438. *part. 3. Eth.*). Quamobrem patet, quæ acquieſcentia in providentia divina requirit, ea maxime conſentire cum his, quæ parſimonia urget. Parſimonia itaque non obſtat, quo minus in providentia divina acquieſcamus *Quod erat alterum.*

Sunt admodum multi, qui ſibi perſuadent, hominem diffidere Deo, ſi ea obſervet, quæ ad parſimoniæ culturam requiſivimus, ut propterea codicem accepti & expenſi damnent. Immo opinantur, curam iſtiusmodi circa expenſas, qualem convenire parſimoniæ oſtendimus, arguere nimiam de ſe fiduciam & animum ſibi ipſi providendi, quaſi providentia divina non habeamus opus, vel ea contenti eſſe nolimus. Pervulgata hæc opinio multum nocet atque a parſimoniæ tramite plurimos abducit. Quamobrem neceſſe erat, ut oſtenderemus parſimoniam fiduciæ in Deo minime repugnare, nec obſtare, quo minus in providentia divina acquieſcamus.

§. 438.

Tenacitatis cauſa. *Qui veretur, ne emergant caſus funeſti, in quibus ſibi deſint ad vitæ neceſſitatem, vel decorem neceſſaria, aut ſummum bonum in divitiis*

divitiis consistere putat: tenax fit. Qui enim veretur, ne emergant casus funesti, in quibus sibi desunt ad vitæ necessitatem, vel decorem necessaria, is pecuniam, quam acquirit, omnem reservare mallet, ipsique molestum accidit eam erogare, consequenter pauciores & minores pro facultatibus suis expensas facit, quam officia erga se vel alios exigunt (§. 364. 365. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque tenax est, qui pauciores & minores pro facultate patrimonii sui facit expensas, quam officia erga se ipsum & erga alios exigunt (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*); qui veretur, ne emergant casus funesti, in quibus sibi desunt ad vitæ necessitatem, vel decorem necessaria, tenax fit. *Quod erat unum.*

Similiter qui summum bonum in divitiis consistere putat, cum divitiæ æstimentur ex quantitate pecuniæ superfluæ (§. 353. *part. 4. Jur. nat.*), is multum pecuniæ habere cupit & quam acquirit reservare mallet. Patet igitur ut ante, quod tenax fiat. *Quod erat alterum.*

Sunt quidam homines natura meticulosi, atque his tenacitas quasi naturalis est. Nisi necessitas inevitabilis eos adigat ad pecuniam erogandam, eam sollicite servant, nec in hoc casu absque animi molestia eandem erogant. Metus hic cum plures admittat gradus, non omnium animos eadem molestat ægritudo, consequenter nec ad eundem tenacitatis gradum omnes impellit. Et pro diversitate subjectorum aliarumque circumstantiarum variant quoque tenacitatis effectus, cum ut ubivis ita etiam hic attendendæ sint latebræ atque recessus in animis hominum (§. 72. *part. 1. Eth.*), quibus insuper habitis, quæ in Moralibus satis certa sunt in dubitationem adducuntur. Et ea de causa contingit, ut in dijudicandis vitiis earumque causis tantopere hallucinentur plerique. Qui summum bonum in divitiis consistere arbitrantur,

eos pecunia per ſe delectat; ideoque eam amant (§. 654. *Pſych. empir.*). Amor vero hic tendit ad pecuniam conſervandam & augmentandam (§. 294. *part. 2. Eth.*), conſequenter eidem repugnat, ut pecunia erogetur. Gaudet pecunia præſente (§. 616, *Pſych. empir.*). Eam igitur ſi erogare debet, ſe gaudio, quo fruitur, privare ſibi videtur. Nemo facile alteri dat, quod impenſe amat, niſi urgentes valde adſint rationes, nec dat ſine animi moleſtia, quod retinere mallet, & jacturam ejus, quam evitare non poterat, maxime dolet. Contingit ea de cauſa, ut aliis debitum non ſolvat, aut non ſolvat præciſe, moras nectens, quamdiu poteſt, & debito detrahens, quantum poteſt.

§. 439.

Quando avaritia cum tenacitate conjungatur.

Quoniam metus caſuum funeſtorum & opinio de ſummo bono in divitiis conſiſtente tenacitatem gignunt (§. 438.), eædem vero cauſæ etiam avaritiam pariunt (§. 403. 414.). *Qui metu caſuum futurorum, aut opinione de ſummo bono in divitiis conſiſtente in avaritiam incidit, tenax quoque eſt.*

Solent plerumque homines ex tenacitate colligere avaritiam, & hanc cum illa confundunt, ac ideo paradoxum ipſis videtur, voluptuoſum & luxui deditum, immo prodigum eſſe quoque avarum. Enimvero ex tenacitate non infertur avaritia, niſi quando utrumque vitium eandem habet cauſam, nimirum vel metum inopiæ futuræ, vel falſam opinionem de ſummo bono in divitiis conſiſtente.

§. 440.

De eo, qui poſt mortem multum pecuniæ relinquere ſtudet.

Qui hanc laudem affectat, ut defunctus multum pecuniæ relliquiſſe dicatur; tenax eſt. Etenim qui hanc laudem affectat, ut defunctus multum pecuniæ reliquiſſe dicatur, is pecuniam, quam acquirit, ſervare mallet omnem, ideoque eam

non

non erogat, nisi quando expensas evitare nequit. Quamobrem expensas diminuere studet, quantum potest, non considerans, num officium aliquod erga seipsum, vel erga alios eas exigat. Quamobrem cum tenax sit, qui pauciores & minores pro modo facultatum suarum facit expensas, quam quas officium aliquod erga seipsum vel alios exigit (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*); qui hanc laudem affectat, ut defunctus multum pecuniæ reliquisse dicatur, tenax est.

Dari homines istiusmodi, qui nescio quantam laudem, aut quantam nominis famam sibi imaginantur, si magnas opes post mortem reliquerint hæredibus, experientia abunde docet. Quo major itaque fuerit laudis hujus cupido, eo magis fervet in pecunia corradenda studium. Laude ista cum delectentur, eam tanquam finem ultimum intendunt, consequenter omnem curam in eum consequendum convertunt. Delectantur pecunia, quam accipiunt, quatenus eam considerant tanquam medium finem sibi propositum consequendi. Quodsi ergo eam erogare debent, cum omnes expensas tanquam fini suo adversas spectent, fieri haud quaquam aliter potest, quam ut ipsis accidant molestæ. Quod vero maxime aversantur; id evitare studeut, quantum in potestate est. Tenacitas igitur tanquam medium consequendi finem sese ipsis maxime commendat.

§. 441.

Quoniam pecuniarum coacervatio laudem veram per se non parit (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter affectatio laudis, quod multum pecuniæ post mortem reliqueris, ad temerariam ambitionem referenda (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*), ambitio autem hæc avaritiam gignit (§. 420.); *si quis laudem hanc affectat, ut post mortem multum pecuniarum reliquisse dicatur, avaritia cum tenacitate copulatur.*

Casus adhuc alius, quo tenacitate copulatur.

Mercatores, quorum vitæ genus in eo conſiſtit, ut negotium quæſtuoſum exerceant, facile ſibi perſuadent laudem mercatoris in eo conſiſtere, quod pecunias cogant & coacervent. Quamobrem laudis huius cupido eos ad avaritiam atque tenacitatem trahit. Exempla quoque obvia ſunt inter prædiorum conductores & inter eruditos, quos vana ambitio vexat (*not.* §. 420.).

§. 442.

De querelis tenacium.

Tenaces conqueruntur de expenſarum multitudine & magnitudine, & de difficultate opes acquirendi, vel patrimonium augendi, & quod in eo votis non reſpondeat eventus anguntur. Etenim qui tenax eſt, pecunias, quas habet ſervare, aut cum expenſas facere cogitur, ſaltem minores ac pauciores facere mallet (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum eas invitus faciat (§. 581. *part. 1. Phil. practi. univ.*), nec contentus ſit, quod vel nihil ſervare, vel non tantum poſſit, quantum vellet; ſi de ſtatu rerum ſuarum querelas movet, de expenſarum multitudine & magnitudine & de difficultate opes acquirendi, vel patrimonium augendi conqueritur. *Quod erat unum.*

Quoniam tenax expenſas, quas facere cogitur, non facere & pecunias potius ſervare mallet, nihil vero averſamur niſi quatenus moleſtiam nobis creat (§. 156. *part. 2. Etb.*), angimur vero, quando moleſtia efficitur animus pro gradu moleſtiæ, qua afficitur; ſi votis non reſpondeat eventus, ut minores & pauciores facere poſſint expenſas, quam facere coguntur tenaces, nec patrimonium magis augere, quam in poteſtate ipſorum eſt. *Quod erat alterum.*

Quamvis tenaces omnes non conquerantur de expenſarum faciendarum multitudine & magnitudine ac de difficultate ſervan-

ſervandi pecuniam & augendi patrimonium; querelas tamen mente repoſitas tenent, quas, ne effundantur, cauſa quædam reprimit. Cauſa vero iſtiusmodi quando deficit, eas effundere ſolent, atque tenacitatem ſuam produnt. Anguntur vero nunc magis, nunc minus pro diverſitate ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum, quæ curas ac ægritudinem vel augent, vel minuunt. Sicuti enim moleſtia ſuos habet gradus, vt ſubinde vix agnoſcatur; ita quoque idem evenit, quando animus angitur.

§. 443.

Si metus inopiæ futuræ aut opinio de ſummo bono in divitiis conſiſtente tenacitatem gignit; in caſu priori conſideranda abſurditas vexandi animum inanibus curis ob caſus incertos & fruſtra inquietandi, inprimis autem opera danda, ut providentia divina intimius perſpiciatur, in poſteriori autem eradicanda eſt opinio, quod divitiæ hominem reddant felicem. Etenim ſi avaritiæ, quam metus inopiæ futuræ gignit, medela afferenda, perpendendum eſt, quod ob caſus incertos inanibus curis vexare & fruſtra inquietare animum abſurdum ſit, inprimis autem opera danda, ut providentia divina intimius perſpiciatur (§. 419.). Si vero avarus pecuniam per ſe appetit, ideoque ſe felicem eſſe putat, ſi multum pecuniæ poſſideat, & ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtere arbitratur (§. 402.), eradicanda eſt perverſa hæc opinio, ut ab avaritia liberetur (§. 406.). Quodſi ergo metus inopiæ futuræ, aut opinio de ſummo bono in divitiis conſiſtente tenacitatem gignit, cum eandem cum avaritia habeat cauſam, ſublata autem cauſa ubique malo medela afferatur adverſus avaritiam: ideoque in caſu priori conſideranda abſurditas vexandi animum inanibus curis & fruſtra inquietandi, atque

Remedium adverſus tenacitatem metu inopiæ futuræ aut opinione falſa de ſummo bono genita.

providentia divina intimius perſpicienda, in poſteriori vero eradicanda eſt opinio abſurda, quod ſummum hominis bonum in divitiis conſiſtat (§. 407.)

Quodſi ad animum nobis revocemus, quam difficile ſit in hypotheſi propoſitionis præſentis eradicare avaritiam (*not.* §. 405. 407. 419.), quam difficile quoque ſit tollere tenacitatem conſtabit: utrobique enim eadem eſt difficultas, quia hæc dependet ab applicatione remedii, quod utrobique idem eſt. Una vero eademque opera tollitur & avaritia, & tenacitas, ideo indiſſolubili vinculo inter ſe cohærentes, quia unam eandemque cauſam habent.

§. 444.

De affectatione laudis, quod dives mortuus fuerit.

Si quis tenax affectat laudem, ut poſt mortem multas pecunias relinquat; oſtendendum eſt, in eo nullam laudem conſiſtere & abſurdum eſſe aucupando vanam laudem deeſſe officiis erga ſe & alios, quorum obſervantia veram laudem parit. Etenim ſi quis agnoſcit, in eo laudem nullam conſiſtere, quod poſt mortem pecunias multas relinquat, cum facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta hominem laude dignum probent (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); nec fieri poterit ut eandem appetat. Quodſi ergo hujus conſequendæ cauſa tenax ſit; abſurditatem agnoſcens a tenacitate ſe liberabit. *Quod erat unum.*

Qui tenax eſt, quia laudem affectat, ut poſt mortem dives moriatur, laudem affectat vanam, cum ea ſtatim oblivioni tradatur, immo ipſi hæredes ejusdem ſtatim obliviſcantur, ſæpiusque nulla laude ornent defunctum, quin potius rideant avaritiam & tenacitatem, qua pecunias coacervavit. Haud raro quoque contingit, ut, ſi ex avaritia & tenacitate majorem de facultatibus defuncti ſpem conceperunt, quam eventus probat, ne quidem contenti ſint hæreditate

Digitized by Google

ditate, & abjecte de eadem ſentiant. Cum vero tenax pauciores & minores faciat pro modo facultatum ſuarum expenſas, quam quas officia erga ſeipſum, vel alios exigunt (§. 391. *part. 4. Jur. nat.*), veram laudem negligit, quam facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta, ideoque officiis conformia (§. 225. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) pariunt (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque abſurdum eſt, aucupando laudem vanam eamque incertam negligere veram eamque non adeo incertam; ſi tenax hanc abſurditatem agnoſcit, ab ea abſtinebit. *Quod erat alterum.*

Plura huc ſpectantia traduntur in capite ſequente, ubi de tuenda fama & ſervanda ex inſtituto agitur. Ceterum abſurditas tenacis in caſu præſenti etiam hinc patet, quod utatur mediis inutilibus ſpretis utilibus.

§. 445.

Qui ſordes averſari debet, is famam curæ habeat neceſſe eſt. Etenim ſordidus eſt, qui in acquirenda & eroganda pecunia nullam habet rationem decori (§. 400. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum avaritia & tenacitas non magis in oculos hominum incurrat, quam ſi quis in acquirenda & eroganda pecunia nullam rationem decori habet, & omnium maxime neglectus decori reprehendi ſoleat, fama autem conſiſtat in communi aliorum hominum ſermone de habitibus intellectualibus & moralibus alterius, conſequenter etiam de vitiis, quibus is laborat (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſordes averſari debet, is famam curæ habeat neceſſe eſt. *De ſordibus vitandis.*

Sordidus avaritiæ atque tenacitati nullum ſtatuit modum & dignitatis ſuæ, qua fulgere debebat, oblitus non conſiderat,

rat; quid ſe deceat. Quamobrem quodvis lucellum inhiat avide & in minimis parcit ſumtibus, quos pro modo facultatum ſuarum facere poterat & debebat, quaſi ad ſimilitudinem infimæ plebis inopia laborantis vivendum ſibi eſſet. Quantum vero famæ ſuæ noceat hoc hominum genus, nemo eſt, qui neſciat, cum vulgi contemtui pateat, communis omnium fabula. Quodſi ergo famam curæ haberent, animum quoque a ſordibus alienum haberent, nec avaritiæ ac tenacitati fræna laxarent.

§. 446.

Remedium ſordium.

Quoniam famam curæ habere debet, qui ſordes averſari debet (§. 445.); *ſi ſordidum corrigere volueris, neceſſe eſt ut ad famam ſollicite ſervandam eum adducas & quantum noceat famæ ſuæ eundem convincas.*

De ſollicitudine famam ſervandi agemus in capite ſequente, quantam vero ſordidus labem famæ ſuæ adſpergat, exempla omnium optime docent, quæ plus valent quam demonſtrationes, ubi animus ab omni rationis uſu procul remotus. Quamvis vero ſordes videantur ſupremus avaritiæ ac tenacitatis gradus; admittunt tamen etiam ipſi gradus. Neque enim exiſtimandum eſt, fieri poſſe, ut quis ad abſolute ſummum virtutis pariter ac vitii gradum perveniat, ne detur quidam ſuperior, quousque progreſſus fuerit. Non ignota mihi ſunt ſordidorum exempla ad quæ provocare poteram: aſt cum talia ubivis obvia ſint, propriis oculis videre conſultius eſt, quam narrationi alienæ fidem habere, præſertim cum non una ratio ſuadeat, ut parcamus nominibus, quæ ad confirmandam facti veritatem haud exiguum pondus afferrent. Neque eſt quod excipias, dari eruditos ambitioſos, qui famam latam, immo etiam magnam curæ quam maxime habent, parum tamen curant, utrum ſordidi habeantur, nec ne. Ecquis enim eſt qui neſciat, eos famam, quam conſectantur, ad certum eruditionis,

Digitized by Google

nis, vel ſcientiæ genus reſtringere certasque perſonas, an vero in virtutibus moralibus laudem habeant parum curare, nec ſiniſtris aliorum de avaritia & tenacitate ſibi lucroſa judiciis moveri?

§. 447.

In æſtimanda avaritia & tenacitate, & per conſequens in ſordidibus quoque æſtimandis, maxime habenda eſt ratio facultatum & ſtatus rerum ejus, de quo judicium ferre volueris. Ponamus enim te in æſtimanda avaritia & tenacitate nullam rationem habere facultatum ejus, de quo judicium ferendum, nec conſiderare, quinam ſit ſtatus rerum ſuarum. Fieri omnino poterit, ut, quem neceſſitas pro rerum ſuarum ſtatu attentum eſſe jubet ad minima, quorum acquirendorum occaſio ſeſe offert, aut quæ ipſi quomodocunque debentur, & expenſis etiam minimis parcere quovis poſſibili modo, eum avarum atque tenacem, immo ſordidum pronuncies, cum tamen nihil committat, quod continentiæ ac parſimoniæ pro conditione ſua adverſetur (§. 391. 396. *part. 4. Jur. nat.*). Ne igitur judicium deproperes & aliorum famæ detrahas (§. 870. *part. 1. Jur. nat.*), quod lege naturali prohibitum (§. 871. *part. 1. Jur. nat.*); in æſtimanda avaritia & tenacitate, & per conſequens cum avaritia & tenacitas nimia in ſordes abeat (§. 400. *part. 4. Jur. nat.*), in æſtimandis ſordibus maxime habenda eſt ratio facultatum & ſtatus rerum ejus, de quo judicium ferre volueris. *Cautio adhibenda in æſtimandis ſordibus.*

Admodum circumſpecti eſſe debemus, ne avaritiæ ac tenacitati imputemus, quod neceſſitati tribuendum, quam fortuna adverſa imponit. Quod in divite ſordidum animum arguit, id in egeno prudentiæ tribuendum, quam continentia & parſimonia imperat. Et quoniam ſordes potiſſimum ſpectantur in neglectu decori; ſi veritate ſtandum, decorum magis

gis naturale, quam conſuetudinarium obſervandum: cum enim hoc moribus introductum ſit, ideoque rationem ſufficientem in ſtatu hominis non ſemper habeat, quando cum naturali pugnat, huic poſtponendum. Homo unus idemque multiplicem repræſentat perſonam, & propterea diverſos ſortitur ſtatus, veluti ut ſit eruditus, magiſtratus, pauper, vel dives: qui ſtatus omnes ſimul conſiderandi, ſi quid ſit decore vivere, ſeu quemadmodum decet hos ſtatus habentem, judicare volueris. Sordes autem maxime infamant hominem quemcunque, ſi injuſtitia accedat, & omnium maxime conſpicuæ ſunt in divite ac opulento.

§. 448.

Quomodo vivat incurius.

Incurius in diem vivit. Incurius enim nunquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit, & quomodo parta conſervanda, ſed tam in acquirendo & partis conſervandis omnem curam abjicit (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem accepti & expenſi nullam rationem init, ſed pecuniam prompte erogat, prout fert occaſio & ipſum trahit voluptas ſua, & ſi accepta non ſufficiunt expendendis æs alienum contrahit, parum ſollicitus, num id fiat cum, an ſine patrimonii ſui decremento, & quorſum tandem evaſuræ ſint res ſuæ. Quoniam itaque *in diem vivere* dicitur, qui nullam prorſus accepti & expenſi rationem init; incurius in diem vivit.

Qui in diem vivunt, tacite ſupponunt, ſe ſemper ita vivere poſſe, quamdiu vixerint. Non igitur perpendunt, utrum ſemper tantum accepturi ſint, quantum nunc accipiunt, nec ne, ut expenſas, quas nunc faciunt, perpetuo facere queant, & quando æs alienum coacervant, quamdiu ipſis de eo reſtituendo fides habetur, num ab eodem ſalvo patrimonio ſuo ſe liberare poſſint, aut annon eo dilapidato creditores

eandem

tandem ſint defraudandi. Si æs alienum negotii quæſtuoſi cauſa contraxerunt; minime conſiderant, utrum quod in lucro eſt, an æs alienum conſumant, cum enim accepti & expenſi rationem non habeant, lucrum ab ære alieno in negotium impenſo non ſeparant, quaſi accepta ſint acquiſita & in lucro computanda, ut de iis diſponere liceat, quemadmodum ſuadet voluptas, qua trahuntur. Satis itaque manifeſtum eſt incuriorum eſſe, ut in diem vivant.

§. 449.

De nimia confidentia incuriorum.

Incurii aut Deo, aut rebus ſecundis, aut ſibi nimium confidunt. Incurii in diem vivunt (§. 448.), ideoque ſibi imaginantur, ſe ſemper ita vivere poſſe. Quodſi agnoſcant dari Deum hominibus providentem, eum ſibi ſicuti nunc, ita etiam in poſterum proviſurum putant, etiamſi ipſi in pecunia acquirenda & eroganda partisque conſervandis nullam curam collocent, ſicque a fiducia in Deo omnem facultatum ſuarum aliorumque mediorum uſum ſeparant. Quoniam itaque de Deo nimium confidit, qui uſum facultatum ſuarum aliorumque mediorum a fiducia in Deo ſeparat (§. 1193. *part. 1. Jur. nat.*); ſi incurius cognoſcit dari Deum hominibus providentem, de Deo nimium confidit. *Quod erat primum.*

Si quis providentiam divinam non agnoſcit, ſed quod eidem debebat acceptum referre, fortunæ tribuit; in diem vivens ſibi perſuadet, ſemper fore tam fortunatum rerum ſuarum ſtatum, quam nunc eſt, ut ſemper vivere poſſit, quemadmodum nunc vivere ſuevit. Quoniam vero conſtat, fortunam eſſe admodum variabilem, ut tuto eidem confidere nequeamus; incurius de conſervando ſtatu fortunato, quo gaudet, minime ſollicitus rebus ſecundis nimium confidit. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi in diem vivens ſibi perſuadet, ſe eſſe autorem ſtatus fortunati, qno in præſenti gaudet, nec ullas in eo agnoſcit fortunæ, ſeu providentiæ divinæ partes; ſe ſolo facultatum viriumque ſuarum uſu conſequi poſſe putat, ut, quemadmodum nunc vivit, perpetuo vivere queat. Quamobrem cum ſibi nimium confidat, qui hac opinione imbutus eſt (§. 1195. *part. 1. Jur. nat.*); ſi incurius ſe ſtatus fortunati, quo gaudet, autorem eſſe ſibi perſuadet, ſibi nimium confidit. *Quod erat tertium.*

Qui in diem vivunt, totos ſe permittunt voluptati ſuæ, qua trahuntur. Hæc conſiliatrix & directrix eſt vitæ ipſorum, utut pro diverſitate ſubjectorum diverſa vitia influant in determinationem voluptatis, ideoque non omnes, qui in diem vivunt, eodem modo vivant. Voluptas igitur cupiditatum, quas explere conantur, creatrix ipſis loco rationis eſt, ſenſu magis abſurdo ſe in machinam vertentibus, quam quo materialiſtæ hominem pro machina venditant. Solo enim impulſu rerum externarum aguntur, quæ voluptatem concitant cupiditatum genetricem, & cupiditatibus hisce omnes facultates ſuperiores ſubjiciunt, dum eas explere ſtudent. Abuntur itaque ratione, qua ab animantibus brutis ſecernuntur, ideoque dum ſibi videntur qui non ſunt, ad nimiam de ſe confidentiam abripiuntur. Qui vero omnia fortunæ accepta referre tenentur, ſibi probe conſcii ſe non opera ſua acquiſiviſſe bona, quibus fruuntur, aut potius abutuntur, aut rebus ſecundis præſentibus, aut, ſi de providentia divina incidit cogitatio, ſepoſito omnis rationis uſu, de Deo nimium confidunt. Neque nimia hæc confidentia, ſi ejus geneſin intimius perſpicias, ab effectu machinæ abhorret, cum utique tandem redeat ad rerum externarum impulſum, quo concitatur voluptas iſta, quæ cupiditatem in diem vivendo explendam gignit.

§. 450.

Digitized by Google

§. 450.

Ex voluptate naſcitur incuria. Voluptuoſus enim ea appetit, quæ ſenſus hilarant, averſatur autem, quæ ſenſui ingrata ſunt (§. 166. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum ipſi moleſtum accidat, accepta & expenſa in codicem referre, illa cum his conferre, atque expenſas neceſſarias, voluptuarias, minus neceſſarias, inutiles, utiles & non utiles a ſe invicem diſcernere (§. 365. *part. 4. Jur. nat.*); ut eas legi naturæ convenienter moderari poſſit (§. 372. *& ſeqq. part. 4. Jur. nat.*); quantum acquirere in poteſtate ſua ſit, & quomodo parta conſervanda, nunquam deliberat, ſed omnem in acquirendo & partis conſervandis curam abjicit. Quoniam itaque qui hoc facit incurius eſt (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*); incuria ex voluptate naſcitur. *Voluptas incuriæ cauſa.*

Opponitur incuria tam continentiæ, quam parſimoniæ in defectu. Quamobrem incurius ea averſatur, quæ continentia & parſimonia exigit. Non ſunt ea in illorum numero, quæ ſenſus hilarant, ideoque minime ad palatum voluptuoſorum (§. 166. *part. 2. Eth.*). Quare voluptas eos facile a continentia & parſimonia retrahit ad incuriam, quæ in neglectu eorum conſiſtit, quæ continentia & parſimonia urget.

§. 451.

Incurius in paupertatem vel egeſtatem incidit, aut ſaltem periculo in eam incidendi ſe exponit. Cum enim incurius nunquam deliberet, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit, & quomodo parta conſervare queat (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*), ideoque nec expenſas ex acceptis metiatur, nec occaſionem acquirendi teneat; facile contingit, ut occaſionem acquirendi omittat & pro modo facultatum ſuarum plures ac majores faciat expenſas, quam debebat. Quamobrem ſi occaſio *Effectus incuriæ.*

caſio acquirendi deficiat, & patrimonium fuerit dilapidatum, aut æri ſuo alieno parum aut nihil ſuperet, cum jam vix ſuppetant, immo ne ſuppetant quidem, quæ ad vitæ neceſſitatem ſufficiunt, carendum vero ſit iis, quæ ad ejus commoditatem, jucunditatem & decorem requiruntur, pauper vero ſit, cui non competunt niſi quæ ad neceſſitatem vitæ ſufficiunt, & egenus, qui etiam eorum inopia laborat, quæ vitæ neceſſitas exigit (§. 238. *part. 4. Jur. nat.*); incurius in paupertatem, vel egeſtatem actu incidit, aut ſaltem periculo in eam incidendi ſe exponit.

Experientia abunde confirmat, incurios in paupertatem vel egeſtatem incidere, quamvis fortunæ beneficio ampliſſimas opes poſſideant. Multa quoque exempla occurrunt inter opifices, qui ſine impenſis artem ſuam exercere nequeunt: etenim incurii pecuniam, quam accipiunt, conſumunt, quaſi omnis in lucro ſit. Aſſimilantur his alii, qui lucrifaciendi cauſa ſumtus inſumere tenentur. Quamvis vero incuria paupertatem vel egeſtatem non ſemper poſt ſe trahat; detrimentum tamen affert patrimonio, quod, ſi vel maxime ob amplitudinem ſuam non minuatur, augeri tamen poterat. Et quatenus caſus funeſti contingere poſſunt, quibus damnum infertur rebus noſtris; minimum periculo contrahendi æs alienum ſeſe exponit incurius, quod non uno modo grave accidit pro diverſitate circumſtantiarum.

§. 452.

Remedium incuriæ voluptuoſi.

Quoniam incurius in paupertatem & egeſtatem incidit, aut ſaltem periculo in eam incidendi ſeſe exponit (§. 451.), paupertas vero & egeſtas haud parvum malum eſt, tanto quidem intolerabilius, ſi eam evitare potuiſſemus, modo incurii non fuiſſemus (*not.* §. 436.); *ne voluptas ad incuriam nos trahat, probe perpendendum eſt, quantum malum ſit paupertas & egeſtas*

egeſtas, præſertim ſi noſtra culpa in eam incidimus, & quod tantocius ad eam contendamus, quanto major fuerit incuria. Inprimis quoque conſiderandum, quod paupertas & egeſtas magis vexet eum, qui ſe felicem eſſe putabat, quod pro lubitu voluptati indulgeret.

Quantum voluptuoſo malum ſit paupertas & egeſtas, inde diſcitur quod carere debeat omnibus iis, quibus ſe felicem putat, & quod eorum nonniſi triſtis memoria ipſi relinquatur, quando in paupertatem, vel egeſtatem incidit. Quam intolerabile vero efficiatur malum, ſi ſibi conſcius eſt, ſe id evitare potuiſſe, niſi incurius fuiſſet, agnoſcitur ex iis, quæ de affectibus moleſtis, pœnitentia & pudore, quibus torquetur animus, & de accuſatione conſcientiæ ſupra annotavimus (*not.* §. 436.). Urgetur vero etiam non inutiliter, quam abſurdum ſit fugere moleſtiam, quam continentia & inprimis parſimonia creare videtur, & ſe periculo tantarum moleſtiarum exponere, quibus paupertas & egeſtas culpa ſua contracta animum obruit. Ne vero quis putet, ſibi tantum malum ab incuria non eſſe metuendum; exemplis optime docetur. Complura mihi nota ſunt. Quo hominum opulentiſſimorum, qui quod incurii in diem viverent, in paupertatem, vel egeſtatem redacti ſunt &, ſi qui tam fortunati fuerint, ut hoc malum ipſi vitarent, conjuges tamen atque liberos poſt mortem ſuam in id præcipites dederunt. Facile autem patet, in caſibus particularibus ad malum ſufficienter agnoſcendum rationes deſumendas eſſe a circumſtantiis particularibus, pro quarum varietate venit non modo magnitudo, ſed imprimis etiam ſenſus huius mali, cujus maxime habenda eſt ratio, ubi vicem motivi ſubire debet, ideoque hoc obſervandum in omni motivorum caſu. Quod vero paupertas & egeſtas magis vexet voluptuoſum, qui in voluptatibus ſummum hominis bonum conſiſtere arbitratur; haud difficulter intelligitur, modo cogitemus, quod ad paupertatem & egeſtatem redactus omni felicitate ſe privatum exiſtimet, ad quam cum tendat appetitus per naturam homi-

Sanctum, quod ad eum locum, ubi Dominus pedes suos stetisse dicitur, ad Montem Oliveti, ad Bethaniam, ad Jordanem, ad Jericho, ad Montem Quarantanum, ad Bethsaidam, ad Montem Thabor, ad Montem Sion, ad Cœnaculum, ad Montem Galilææ, ad Montem Calvariæ, ad Sepulchrum Dominicum, ad Montem Gaudii, ad Montem Scandalizationis, ad Aceldamam, ad Ecclesiam Sancti Stephani, ad Ecclesiam Sancti Petri ad Vincula, ad Ecclesiam Sancti Petri in Monte Gallicantu, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenes, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Rotundæ, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Latinorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Jacobitarum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Nubiensium, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Armenorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Georgianorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Abyssinorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Syrorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Cophtorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Indorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Nestorianorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Melchitarum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Montanorum, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Hierosolymitanorum

ut iis uti poſſimus, animam perficere debemus (§. 167. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cujus perfectio in conſenſu omnium uſuum facultatum conſiſtit (§. 201. *part. 1. Jur. nat.*), & in univerſa Ethica non aliud agitur, quam ut doceamus, quomodo eandem conſequi poſſimus, ut recte agamus. Deus vero mundo providet per nexum (§. 927. *part. 1. Theol. nat.*); ita ut naturaliter non exiſtat effectus, niſi poſita cauſa efficiente ſufficiente (§. 898. *Ontol.*), cumque medium ſe habeat ad finem quemadmodum cauſa ad effectum (§. 934. 937. *Ontol.*), qui finem vult, media etiam velit neceſſe ſit (§. 941. *Ontol.*). Providentia igitur divina non excludit uſum mediorum. Quod vero hæc non raro in caſſum cadant, a concurſu cauſarum, quæ poteſtati noſtræ ſubjectæ non ſunt, nec a nobis prævideri poſſunt, venit. Et propterea eventus providentiæ divinæ committendus, nobis vero incumbit, ut agamus, quod noſtrum eſt, ne, ſi præter ſpem & expectationem mali quid nobis accidat, culpa in nobis hæreat, ſed ut agnoſcamus id evenire Deo volente & hoc quoque modo ſaluti noſtræ conſulente (§. 902. 903. *part. 1. Theol. nat.*).

§. 454.

Si quis incurius fuerit, quia nimium confidit rebus ſecundis; Remedium is per exempla docendus eſt, quam mutabilis ſit fortuna & quantum ſibi nocuerint eidem nimis confiſi. Quodſi enim quis incurius fuerit, quia nimium confidit rebus ſecundis, is ſibi perſuadet, eum eſſe rerum ſuarum ſtatum, qui nullam in acquirendo & in partis conſervandis curam exigit (§ 403. *part. 4. Jur. nat.*), & eum ſemper fore eundem, nec unquam immutatum iri, quamdiu vixerit. Quamvis itaque concedamus, quod tamen non ſemper concedendum, eum eſſe præſentem rerum ſtatum, in quo omnem in acquirendo & in partis conſervandis curam abjicere liceat & in diem vivere; non tamen quisquam certus eſſe poteſt, ſemper futu-

incuriæ, ſi quis nimium confidit rebus ſecundis

rum eundem, ut in præſenti opus non ſit proſpicere futuris. Quodſi ergo incurius per exempla doceatur, quam mutabilis ſit fortuna & quantum ſibi nocuerint eidem nimis confiſi; everſa falſa opinione de immutabilitate ſtatus præſentis, qua incuria fovetur, hanc ipſam quoque averſabitur incurius.

Ne exceptionibus locus detur, ad quas comminiſcendas amor vitii homines acutos reddit, quando id oppugnatur, talia inprimis feligenda ſunt exempla, quæ cum ſtatu incurii quoad circumſtantias particulares maxime conveniunt, & in quibus is deprehenditur rerum ſtatus, in quo multo minus verendum erat ab incuria periculum, quam in ſtatu incurii, cum quo nobis negotium eſt. Circumſtantiæ quoque præſentes ſi rite ac ſufficienter expendantur, rationes probabiles mutabilitatis ſtatus præſentis inſinuant, quibus exempla majorem ad perſuadendum vim addunt. In Ethica res ſaltem in genere conſiderantur, ut per generalia, quæ traduntur, excitetur attentio ad ſpecialia in caſibus datis obvia. Hæc vero in praxi potiſſimum attendenda veniunt, ne in emendandis & præcavendis vitiis, & in conciliandis ac promovendis virtutibus inanem operam ſumas, non obſervans impedimenta, quorum quamvis tacita, maxima tamen vis eſſe ſolet. Oppido falluntur, qui ſibi perſuadent, ſtatum ſuum præſentem, quantumcunque fortunatus fuerit, ſibi otium facere ſeque ab omni cura in acquirendo & partis conſervandis liberare. Et quamvis in præſenti culpam non agnoſcat incurius, quæ in ſe hæret, ſero tamen eandem agnoſcit, quando in malum incidit, quod præcavere poterat.

§. 455.

Remedium incuriæ, ſi nobis nimium confidimus.

Si quis nimia de ſe fiducia in incuriam incidit, perpendere debet, ſtatum rerum ſuarum non pendere a poteſtate ſua in totum, nec ab negatam homini prævisionem futurorum quenquam certum eſſe poſſe, in quantum ſtatus futurus ab eadem dependeat & quales in eo futuræ ſint fortu-

fortunæ partes. Qui enim ſibi nimium confidit, is putat ſe ſolo uſu facultatum ſuarum rerumque ac hominum aliorum auxilio conſequi poſſe & vitare, quod vult, (§. 1195. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter fortunæ ſuæ faber ſibi viſus ſibi perſuadet, ſe ſemper reperturum media tantum acquirendi, quantum in præſenti rerum ſtatu acquirit, ut ſibi verendum non ſit, ne inopia laboret. Quodſi ergo præconceptam de ſe opinionem mutare debeat, neceſſe eſt ut errorem ſuum agnoſcat, conſequenter ut accurate diſcernat, expenſis omnibus circumſtantiis, quænam in ſtatu rerum ſuarum præſenti a poteſtate ſua dependeant, quænam vero fortunæ accepta ferenda; ut agnoſcat nonniſi fortuna obſtetricante in ſua poteſtate nunc fuiſſe, quæ ſibi ſoli tribuit. Jam ſi ulterius perpendat, ſe futura prævidere non poſſe, ideoque non modo ignorare, num idem ſibi conceſſus fuerit facultatum & virium uſus, cui unice confidit, verum etiam neſcire, num fortunam ſibi faventem, vel adverſam ſit experturus; haud obſcure intelliget, ſibi ignotum eſſe, in quantum ſtatus rerum ſuarum futurus a poteſtate ſua dependeat & quales in eo futuræ ſint fortunæ partes. Agnoſcet igitur hoc modo, vanam eſſe de ſe confidentiam, conſequenter ſi a nimia hac de ſe confidentia incuria originem ſuam deducit, eidem hoc modo medela afferetur.

Manifeſto abſurdum eſt, ſe ſolum agnoſcere fatorum ſuorum fabrum & viribus ſuis nimium confidere. Contrarium enim experientia indies loquitur, modo attentione & acumine ad diſcernendum ea, quæ nobis debentur, ab iis, quæ fortunæ accepta ferenda, ſufficiente utamur. Recolenda igitur memoria ſunt, quæ ſupra de agnoſcendis iis, quæ fortuna nobis dat (§. 10), & his, quæ nobis tribuenda, agnoſcendis demonſtravimus & inculcavimus (§. 11). Perpendi quoque merentur, quæ de fortuna cum ſtudio, labore ac induſtria homi-

num in acquirendo concurrente oſtendimus (§. 8). Maxime autem conducit, ut ſingula ſatis expendantur, quæ ad animum revocanda eſſe demonſtravimus, ut Deus tanquam dator omnis boni agnoſcatur (§. 473. *part. 3. Eth.*): horum enim conſideratio plurimum huc facit, ne plus credamus in poteſtate noſtra eſſe, quam in ea eſt, & ut convincamur, nos a fortuna, ideoque providentia divina, cui ea ſubjecta eſt (§. 932. *part. Theol. nat.*), plus dependere, quam putabamus. Nulla igitur ratio eſt, ut nobis unice confiſi omnem curam in acquirendo & partis conſervandis abjiciamus, ideoque incurii ſimus.

§. 456.

De incuriis, quibus fortuna favet.

Incurii quoque fieri ſolent, qui a prima ætate abunde habent, ut vitam commode, decore atque jucunde degant, præſertim ubi adultis adeo favet fortuna, ut non deſint, quæ ad vitam ſic continuandam neceſſaria ſunt. Qui enim a prima ætate habent, ut vitam commode, decore atque jucunde degant, & quibus adultis fortuna adeo favet, ut non deſint, quæ ad vitam ſic continuandam neceſſaria ſunt; hi nullum indigentiæ ac inopiæ, quam experti non ſunt, ſenſum habent, & ſtatum eum, quem ſemper experti ſunt, perennaturum ſaltem tacite opinantur, nec de mutabilitate ejus in pejorem cogitant. Quamvis itaque videant dari pauperes, egenos atque mendicos & qui fuerant divites, in eandem miſeriam incidere; ea tanquam ad ſe non pertinentis nulla attentione dignantur, multo minus mentem ſubit cogitatio de miſeria iſta ad ſe relata, ut ejus metu ad eam avertendam adducerentur. Omnem igitur curam in acquirendo & partis conſervandis abjiciunt, deficiente nimirum ratione, quæ eam ſuſcitare poſſet. Quoniam itaque incurii ſunt, qui omnem curam in acquirendo & partis conſervandis abjiciunt (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*); incurii quoque fieri ſolent, qui a prima ætate abunde habent,

Digitized by Google

bent; quæ ad vitam commode, decore atque jucunde transigendam neceſſaria, & fortunam ſibi adeo faventem in ætate adulta experiuntur, ut non deſint, quæ ad vitam ſic continuandam requiruntur.

In hypotheſi propoſitionis præſentis vivendi conſuetudo contracta eſt a prima pueritia, immo infantia: quæ cum in alteram naturam degeneraverit, ab ea non receditur, quamdiu neceſſitas non urget. Ideo quoque contingit, ut, quamdiu ære alieno vivendi morem continuare poſſunt, æs alienum coacervare non vereantur de reſtitutione parum ſolliciti, ut ab eo rurſus liberentur. Quamdiu itaque fortuna ipſis favet, ut in diem vivere poſſint; accepti & expenſi nullam curam habent, quæ ipſa iis ignota res eſt, cujus nulla cupido animum invadere poteſt (§. 148. *part. 2. Eth.*). Experientia hæc ſatis confirmat: ubivis enim proſtant exempla filiorum, qui liberaliter educati a parentibus parta conſumunt & incurii culpa ſua ad paupertatem, vel egeſtatem rediguntur, nec ad ſimilitudinem parentum, ſed aliorum, quorum vivendi ratio placet, vivunt. In morem vivendi influere ſolent vitia pro diverſitate ſubjectorum diverſa, de quibus in præſenti non dicendum.

§. 457.

Quoniam liberaliter educati incurii fiunt, præſertim cum in ætate adulta fortunam adeo faventem ſibi experiuntur, ut ſuppetant, quæ ad vitam commode, jucunde ac decore transigendam requiruntur (§. 456.); *parentum eſt, ut in iis præſertim, quæ ad jucunditatem atque decorem faciunt, ſe præbeant quodammodo difficiles, & tempeſtive doceant liberos, quam difficulter opes acquirantur, quam facile ex adverſo delabantur, & quatum malum ſit paupertas, in quam facile incidit, qui de acquirendo & de partis conſervandis minime ſollicitus in diem vivit: quantopere nobis cavendum ſit, ne ſimus in ære alieno.* Quodſi in educatione hæc incul-

Remedium incuriæ ex liberali educatione ortæ.

inculcare neglexerunt parentes, vel educatores, cum incuria nitatur tacita perſuaſione, quaſi præſens rerum ſtatus ad finem usque vitæ perpetuandus ſit, ideoque conveniat cum incuria, quæ inde oritur, ut quis nimium confidat rebus ſecundis, vi demonſtrationis partis ſecundæ propoſitionis de incuria ex nimia de Deo, de rebus ſecundis atque de nobis confidentia orta (§. 449.); *remedium contra incuriam ex nimia confidentia de rebus ſecundis ortam valet etiam de incuria ex liberali educatione originem ſuam ducente.*

Quemadmodum liberis educandis virtutum omnium amor, vitiorum vero omnium odium inſtillandum; ita inprimis neceſſe eſt, ut tempeſtive parſimoniæ adſuefiant & ab incuria avocentur. Fortunæ liberorum non conſulitur, ſi magnæ opes ipſis relinquantur, niſi etiam eas bene ac recte adminiſtrare didicerint. Neglectus educationis cum in ſe irreparabilis ſit; nil reſtat, quam ut utamur iis remediis, quæ in aliis caſibus præſcripſimus, quantum patitur conditio incuriorum.

§. 458.

De incuria prodigalitatis & luxus cauſa.

Incurius facile fit prodigus & in luxum effunditur. Quoniam incurius nunquam deliberat, quantum acquirere in poteſtate ſua ſit & quomodo parta ſint conſervanda (§. 403. *part. 4. Jur. nat.*), ſed abjecta omni cura (§. *cit.*) in diem vivit (§. 448.); nonniſi præſenti rerum ſtatui attentus, de futuro autem parum ſollicitus, oblata occaſione pecuniam erogat, prouti hujus, vel illius cupido eum inceſſit, tantum abeſt ut inquirat, num expenſas officium aliquod erga ſe, vel alios exigat, & eas ex facultatibus ſuis æſtimet. Quoniam itaque prodigus eſt, qui plures & majores pro facultate patrimonii ſui expenſas facit, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel alios exigit (§. 385, *part. 4. Jur. nat.*), incurius facile fit prodigus. *Quod erat unum.*

Cum

Digitized by Google

Cum incurius non ratione & consilio regat expensas sed cupidine, quæ animum incessit, *per demonstrata*, & communis hominum mos sit vivere ad similitudinem aliorum; si is videat aliorum luxum, in eundem effunditur, quantum in potestate sua est. *Quod erat alterum.*

Latius patet prodigalitas, quam vulgo putatur, si vitium æstimetur, ex actionibus virtuti oppositis, quemadmodum fert definitio (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*), & in Morabilius fieri par est, ut virtus ab omni labe purgetur. Turba vero a virtutibus vitia non adeo arctis limitibus separat, ut inter virtutem & vitium non admittatur aliquod medium, nec omnem a virtute aberrationem in vitio habet, quasi minima non sint curanda. Sibimet ipsi tamen contrariatur, dum reprehendit, saltem laudari posse negat, quod virtutis non esse videt, vitio tamen accensere non vult. Ita omnino prodigus est, qui, cum ex reditibus quædam reservare posset in casum mortis, ut conjugi & liberis consuleret, quantum in potestate est, expensis inutilibus & minus necessariis reditus omnes consumit: turba tamen prodigum non dicit. Si tamen animum spectes, ex quo dijudicanda sunt vitia, idem est tam ejus, qui reditus mediocres, quam qui uberiores, vel parta inutiliter consumit. Quod si ergo prodigalitatem æstimes, quemadmodum lex naturæ urget, erit ea perpetua incuriæ comes. Quod vero incurius omnis non semper in luxum effundatur, inde est, quod non omnes expensas minus necessarias & inutiles ostentationis causa faciant, qua luxus ab alia pecuniæ profusione distingvitur (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*). Ita qui voluptatum corporis causa opes prodigit, non ostentationis causa hoc facit, consequenter quamvis maxime prodigus fuerit, in luxum tamen non effunditur, censuram adeo incurrens in luxum effusorum, quod sine omni splendore pecunias consumat ipsorum judicio rectius in luxum insumendas. Ne igitur in hisce cespites, ex lege naturali dijudicandæ sunt actiones humanæ, nec attendendæ turbæ opiniones, quibus conveni-

venienter vagus vocabulis ſignificatus imponitur, quem juxta legem naturæ tanquam normam actionum humanarum ad fixum atque determinatum reducit philoſophus.

§. 459.

Remedium prodigalitatis & luxus, cujus incuria cauſa eſt.

Quoniam incurius facile fit prodigus & in luxum effunditur (§. 458.); *ſi incuria fuerit prodigalitatis & luxus cauſa, incuria expellenda* (§. 452. & *ſeqq.*).

Remedia contra incuriam talia ſunt, quæ contra prodigalitatem & luxum adhiberi poſſunt, etiamſi animum non attendas ad incuriam, quamvis ſubinde cautione quadam opus ſit, ſi luxus non excedere videtur modum facultatum, &, ſi alia vitia prodigalitatis & luxus cauſa ſint, aliis remediis rectius utaris: neque enim omnia remedia promiſcue æque efficacia deprehenduntur in omni caſu, qui variat, pro diverſitate vitiorum, quorum unum alterum gignit, aliarumque circumſtantiarum in idem vitium diverſimode influentium. Non minus acumen, ne dicam majus, requiritur ad veritates morales intime perſpiciendas, quam ad ſubtilitates geometricas rimandas: id quod dudum pro comperto haberetur, modo non deeſſent, qui ſimile acumen ad philoſophiam moralem excolendam afferrent, quale Geometræ ad Geometriam promovendam afferunt.

§. 460.

De voluptate prodigalitatis & luxus cauſa.

Voluptas gignit prodigalitatem & luxum. Qui enim voluptatibus corporis indulgent, ſe felices eſſe putant, ſi iisdem ſeſe ingurgitare poſſunt (§. 637. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum homo per naturam ſuam felicitatem appetat (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); cupido voluptatibus corporis fruendi inſatiabilis tandem inceſſit animum (§. 810. *Pſych. empir.*). Cum igitur trahantur ad appetitum voluptatibus ſatiandum

(§. 388.

Digitized by Google

(§. 388. *part. 2. Eth.*), hoc autem fieri absque expensis nequeat; expensas quoque plures & majores pro modo facultatum suarum facere non verentur, quam quas officium aliquod erga seipsum, vel erga alios exigit. Enimvero prodigus est, qui plures & majores facit pro facultate patrimonii sui expensas, quam quas officium aliquod erga seipsum, vel erga alios exigit (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*). Voluptas itaque prodigalitatem gignit. *Quod erat unum.*

Quodsi quem cibi, vestitus aliæque res sumtuosiores delectant, is tanto melior sibi videtur aliis, qui talia sibi comparare non possunt, ideoque contingit, ut ea ostentationis causa inhiet, consequenter ostentationis causa profundat pecunias, quas voluptatis solius gratia non profunderet. Quoniam itaque profusio pecuniæ, quæ solius ostentationis causa fit, luxus est (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); voluptas quoque luxum gignit. *Quod erat alterum.*

Voluptuosus ea appetit, quæ sensus hilarant (§. 166. *part. 2. Eth.*). Quamvis vero determinabilitas voluntatis per delectationes sensuales in se mala non sit (§. 167. *part. 2. Eth.*); cupido tamen delectationum sensualium voluntatem corrumpit, quia intellectus eam non regit (§. 183. 184. *part. 2. Eth.*). Ideo nimirum contingit, ut ea, quæ sensum hilarant, propter se appetantur, quia nimirum sensus delectant, ideoque voluptas nocua ab innocua minime distingvatur: id quod fieri debet, si licita esse debet (§. 287. *part. 1. Jur. nat.*). Qui vero sepositio recto intellectus usu sensum hilarantia per se appetunt; felicitatem quoque hominis ex delectationibus sensualibus æstimant, eorumque cupido tendit ad ea consequenda, quæ sensuum oblectamento sunt. Enimvero cum multiplex sit hæc voluptas, nec omnes trahantur eadem, quemadmodum indies experimur, non omnes pecuniam, quam habent, eodem modo prodigunt, neque omnes prodigi in

luxum effunduntur, quemadmodum jam annotavimus (*not.* §. 458.). Habenda eſt ratio circumſtantiarum in caſibus particularibus, ut appareat, cur ad prodigentiam accedat oſtentatio, ſicque in luxum vertatur. Quia vero adeo compertum & exploratum eſt, voluptatem eſſe matrem prodigalitatis, ſive cum luxu fuerit copulata, ſive minus; ideo quoque ab antiquiſſimis temporibus voluptas opum populatrix audit.

§. 461.

Remedium prodigalitatis & luxus a voluptate ortum trahentis.

Quoniam voluptas prodigalitatem & luxum gignit (§. 460.), conſequenter ſi voluptuoſus a prodigalitate, vel luxu abducendus, voluptas extirpanda, vel minimum compeſcenda; *ſi prodigalitatis & luxus cauſa voluptas eſt, ea perpendenda ſunt, quæ perpendenda eſſe inculcavimus, ſi incuria ex voluptate naſcitur* (§. 452.). *Inprimis* autem *conſiderandum eſt, quam durum ſit homini in voluptatem propenſo, ſi recordetur, ſe olim profudiſſe, quæ nunc neceſſitati ſublevandæ deſunt, & videre alios ſi non opipare, ſaltem commode, jucunde atque decore viventes, quos, cum opibus abundaret, parce viventes contemnebat. Nec hoc negligendum, quam jucundum ſit in ſenectute liberalius vivere, cum in juventute aut ætate minus provecta parcius viveretur, ex adverſo autem quam moleſtum in ſenectute inopia laborare, cum in ætate minus provecta voluptatibus ingurgitaremur.*

Multa ſunt particularia, quæ remediorum horum efficaciam augent, & ad quæ in caſu dato animus maxime attendendus. Cum enim cupido voluptatis præſertim inveterata non adeo facile reſtingvatur; nihil eorum omittendum eſt, quod ad malum, in quod incurrit voluptatis cauſa pecunias prodigens, graphice delineandum facit. Eſt vero etiam hic exemplorum maxima vis. Sunt equidem nonnulli, qui opibus ſuis confiſi exiſtimant, eas ſuffecturas, quamdiu vixerint, & parum curant, utrum defuncti parum, an nihil relinquant, neque

Digitized by Google

neque fortunæ liberorum proſpectum eſſe volunt cum detrimento voluptatis ſuæ: veruntamen perpendant velim, incertum non modo eſſe vitæ terminum, verum etiam varios contingere poſſe caſus in opibus, quæ poſſidentur, quos prævidere nemo poteſt. Accedit, quod homines voluptuoſi non accurato computo definiant expenſas per certum tempus faciendas, ſed confuſa quadam collatione expenſarum præſentium cum facultatibus ſuis ſufficientiam ad dies vitæ æſtiment.

§. 462.

De nexu luxus cum prodigalitate.

Qui in luxum effuſus eſt, prodigus etiam eſt. Qui enim in luxum effuſus eſt pecuniam profundit ſolius oſtentationis cauſa, expenſas multas minus neceſſarias & inutiles faciens (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum prodigus ſit, qui plures & majores facit pro facultate patrimonii ſui expenſas, quam quas officium aliquod erga ſeipſum, vel erga alios exigit (§. 385. *part. 4. Jur. nat.*); qui in luxum effuſus eſt, prodigus etiam eſt.

Luxus ſine prodigentia concipi nequit: conſiſtit enim in profuſione pecuniæ, quod prodigi eſt. Differt autem a prodigalitate nonniſi fine, quæ eſt oſtentatio: neque enim omnis, qui pecuniam prodigit, expenſas minus neceſſarias & inutiles oſtentationis cauſa facit, veluti ſi quis ſcortando aut alius cujusdam voluptatis cauſa, vel etiam temere comparando ſibi res inutiles, ſaltem minus neceſſarias pecuniam prodigit. Quamobrem non omnis prodigus in luxum effunditur. Ita pecuniam prodigit eruditus, qui multos ſibi comparat libros inutiles, qui nonniſi locum in bibliotheca occupant: ad luxum vero referendum, ſi quis libros ſumptuoſos & rariores comparat, ut glorietur, ſe eos poſſidere. In luxum nimium effuſus res ſumptuoſas amat, quia hæ faciunt ad oſtentationem. Sumptus autem æſtimandi ſunt ex facultatibus patrimonii & ex decore,

quem exigit vitæ genus: hinc nimirum determinandus eſt exceſſus in eroganda pecunia. Quæ enim uni ſumtuoſa ſunt, ea non ſunt alteri.

§. 463.

Quando ſuperbia luxum gignat.

Superbia luxum gignit, ſi quis putat ſe præſtare aliis, quod res ſumptuoſiores poſſidet, aut æquiparari iis, qui dignitate excellunt, quod pares in res facit ſumtus. Etenim ſi quis ſuperbus eſt, ſupra alios ſeſe effert & majoris fieri vult (§. 888. *part. 1. Jur. nat*). Quodſi ergo putet ſe aliis præſtare, quod res ſumptuoſiores poſſidet, aut æquiparari iis, qui dignitate excellunt, quod pares in res facit ſumtus; res quoque ſumtuoſiores, quam neceſſe erat ipſumque decebat, ſibi comparat ſolius oſtentationis cauſa, ideoque pecuniam oſtentationis cauſa profundit. Quoniam itaque profuſio pecuniæ ſolius oſtentationis cauſa luxus eſt (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); ſuperbia luxum gignit, ſi quis putat, ſe præſtare aliis, quod res ſumtuoſiores poſſidet, aut æquiparari iis, qui dignitate excellunt, quod pares in res facit ſumtus.

Superbia plerumque luxus cauſa eſt, & ſi aliæ cauſæ eundem excitant, tacite tamen in ipſum ſuperbia influit. Ab oſtentatione enim raro abeſt animus ſuperbus, quamvis neceſſario ad eam minime requiratur. Fieri poteſt, ut quis oſtentet divitias, nec tamen propter eas majoris fieri vult aliis, qui pares opes non poſſident, nec propter inopiam alios contemnit. Vexat ut plurimum ſuperbia fœminas, ideoque in luxum pronæ ſunt. Hinc videas uxores mercatorum in luxum regalem effundi, ut videantur ſuperiores uxoribus eruditorum, quæ præcedentiæ privilegio fruuntur, earumque præcedentiam in contemtum vertant. Vexat ſuperbia homines, quos fortuna ad dignitatem evexit, qua contenti eſſe poterant atque debebant priſtini ſui ſtatus memores: aſt

cum

cum efferre ſeſe conſueverint ſupra eos, cum quibus paris erant conditionis, ſupra alios vero majore dignitate fulgentes emergere nequeant, luxu hos vincere ſtudent ſimiles fœminis illis mercatorum, quarum vanitatem modo notavimus. Videant igitur, quo fundamento nitatur gloria, qua ſeſe efferunt, ut ex ſociis ſe cognoſcant, qui ex ſe cognoſcere nolunt.

§. 464.

Quoniam ſuperbia luxum gignit, ſi quis putat ſe præſtare aliis, quod res ſumtuoſiores poſſidet, aut æquiparari iis, qui dignitate excellunt, quod pares in res facit ſumtus (§. 463.); *ſi luxus corrigendus, aut emendanda ſuperbia eſt, aut oſtendenda abſurditas opinionis, quod gloria maxime excellat, qui rebus ſumtuoſis plurimum præſtat* (§. 47. *Jur. Gent.*). *Remedium luxus, quem ſuperbia gignit.*

Quomodo ſuperbia ſit emendanda, ſuo loco diſquiremus: ad abſurditatem vero opinionis agnoſcendam, de qua hic nobis ſermo eſt, conducunt ea, quæ in capite ſequente de cura famæ demonſtraturi ſumus.

§. 465.

Ambitio luxum gignit, quando quis videt eos maximi fieri, qui luxui ſunt dediti, contemni ex adverſo, aut parvi fieri, qui in luxum effundi nequeunt. Oſtenditur eodem modo, quo ſupra oſtendimus ambitionem homines avaros reddere (§. 420.). Cum enim ambitioſus cupiditate honoris inſatiabili flagret (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*); ſi vel maxime honorem verum agnoſcit eumque non ſpernit, contentus tamen eo non eſt, ſed hunc etiam affectat, qui opinione turbæ nititur, plerumque autem in dijudicando honore turbæ opinionem ſequitur. Quando itaque videt, luxui deditos maximi fieri, ex adverſo autem contemni, aut parvi fieri eos, qui in luxum *Quando ambitio luxum gignat.*

effundi nequeunt, ambitio luxus appetentiam excitat, ſicque ambitioſus cupiditati ſatisfacturus in eum effunditur.

Prætendunt iſtiusmodi homines, ut propter luxum honorentur ab aliis, & hoc ſibi laudi ducunt, quando alii de luxu ipſorum loquuntur. Neſcio quam gloriam ſomniant, ſi de luxu ipſorum, veluti de veſtibus, ſupellectili, conviviis ſumtuoſis communis hominum ſermo ſit. Quamvis vero ambitio cum ſuperbia frequentiſſime copuletur, non tamen hæc vitia neceſſario ac indivulſo nexū cohærent, ideoque ambitioſus in luxum effundi poteſt, etiamſi ſuperbus non ſit, ut propterea ambitio ſeparata cauſa luxus ſit, conſequenter quando medela afferenda, probe diſtingvendum, utrum ſuperbiæ, an ambitioni tribuendus.

§. 466.

Remedium luxus, cujus cauſa ambitio.

Si ambitio luxum ſuadet, non deletur, niſi ambitione emendata. Etenim ambitio luxum ſuadet, quando videmus eos maximi fieri, qui luxui dediti ſunt, contemni ex adverſo, aut parvi fieri eos, qui in luxum effundi nequeunt (§. 464.). Quamvis itaque opinio turbæ in ſe abſurda ſit (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); verum tamen eſt, quod eandem foveat. Quamobrem cum ambitioſus vanum hunc honorem appetat; luxus non deletur, niſi ambitione emendata.

Remedia contra luxum cum eadem ſint, quæ contra ambitionem; de his vide caput ſequens.

§. 467.

De faſtu luxus cauſa.

Faſtus luxum gignit, ſi quis putat, tantum unumquemque antecellere alios, quantum reliis ſumtuoſis præſtat. Faſtoſus enim plus ſibi tribuit perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videtur, quam veritati conſenta-

ſentaneum (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo ſibi perſuadet, tantum unumquemque antecellere alios, quantum rebus ſumtuoſis præſtat; res ſumtuoſas appetit, conſequenter ſolius oſtentationis cauſa pecuniam profundit. Quamobrem cum profuſio pecuniæ ſolius oſtentationis cauſa faſtus ſit (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); faſtus luxum gignit.

Faſtoſus immodice de ſe ſentit, ideoque perfectionem ſui æſtimaturus a veritate recedit. Non igitur repugnat, ut perfectionem hominis confundat cum perfectione ſtatus externi, ad quem utique pertinent divitiæ. Quamobrem quoque accidit, ut divitias oſtentet, quamvis non habeat, cum videri velit aliis, qui non eſt. Sed de hisce plura dicenda in capite ſequente.

§. 468.

Quoniam faſtus luxum gignit, ſi quis putat, tantum unumquemque antecellere alios, quantum rebus ſumtuoſis præſtat (§. 467.); patet, ut ante (§. 466.), *remedium adverſus luxum, quem faſtus gignit, eſſe idem, quo faſtus emendatur.* *Remedium.*

De eo igitur agendum in capite ſequente.

§. 469.

Qui ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt, in luxum effunduntur, ſi vident alios eidem indulgere. Etenim qui ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt, iis exemplum aliorum eſt norma actionum ſuarum. Quodſi ergo vident alios gaudere rebus ſumptuoſis, easdem qnoque appetunt, ut videantur ipſis ſimiles, ideoque ſolius oſtentationis cauſa pecuniam profundunt. Quamobrem cum profuſio pecuniæ ſolius oſtentationis cauſa luxus ſit (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); *De conſuetudine vivendi ad ſimilitudinem aliorum luxus cauſa.*

qui

qui ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt, in luxum effunduntur, ſi vident alios eidem indulgere.

Maxima pars hominum ad ſimilitudinem aliorum vivit: perpauci ſunt, qui ratione & conſilio dirigunt actiones ſuas. Immo non deſunt, qui meliora videntes probantesque ſuam vivendi rationem communi mori attemperare malunt, ne turbæ contemtui pateant, aut ut ſiniſtra ejus de ſe judicia vitent. Inde eſt quod integræ gentes patriis vivant moribus, quamvis abſurdis, nec eos emendare velint, quamvis videant eos longiſſime recedere a moribus gentium cultiorum. Invaluit noſtro ſeculo inter nos quam maxime luxus & majora indies capit incrementa, quamvis communes ſint omnium querelæ de acerbitate, ne dicam atrocitate temporis, ut more majorum noſtrorum opes acquirere pro impoſſibili habendum ſit, & omnes fere ad paupertatem & egeſtatem redigantur. Non obſtantibus tamen hisce querelis luxum opum populatorem non agnoſcunt, aut, ſi agnoſcunt, eidem tamen renunciare nolunt, propterea quod obſtat opinio inſulſa, vivendum eſſe ad ſimilitudinem aliorum, quaſi tyranno huic neceſſario committenda ſint colla, ut ipſis ſubeat jugum famulare. Temporis igitur atrocitati tribuunt, quod perverſo mori vivendi ad ſimilitudinem aliorum tribuere debebant.

§. 470.

Remedium. Quoniam qui ad ſimilitudinem aliorum vivere conſueverunt in luxum effunduntur, ſi vident alios eidem indulgere (§. 469.); *ſi luxui, quem ſuadet mos vivendi ad ſimilitudinem aliorum, medelam afferre volueris, perpendendum eſt, quam ſit abſurdum, libertatem ſuam, quam bonorum maximum prædicant omnes, vendere & ſe ſua ſponte non ſine maximo detrimento turbæ inſanæ in ſervitutem addicere.*

Homo ratione prædituſ eſt, ut ratione & conſilio regat actiones ſuas. Liber naſcitur, ut ratione & conſilio regere poſſit actio-

actiones ſuas: liber autem in agendo non dependet ab aliis, ſed a ſeipſo (§. 153. *part 1. Jur. nat.*); dependentia ab alterius voluntate ſervile quid eſt (§. 1116. *part. 7. Jur. nat.*). Abſurdum itaque eſt judicium turbæ inſanum præferre judicio ſano, quod rationi convenit, & in ejus gratiam renunciare libertati, ut triſte ſervitutis jugum ſubiens evadas miſer, aut ſaltem periculo miſeriæ maximæ te, minimum tuos poſt fata tua exponas. Ridere ſtultos ſapientis eſt, non vero curare ſtultorum de ſe riſum, quem mox ipſi cum lachrymis commutabunt, opum populatori, cui omnia bona ſua ſacrificarunt, pœnas indeprecabiles daturi.

§. 471.

Si qui ſtulto ſtultiores aliorum perſuaſionibus ad prodigendum pecuniam ſe adduci patiuntur; conſultiſſimum eſt ut a conſortio profuſionem pecuniæ ſuadentium ad conſuetudinem cum iis adducantur, qui meliora ſuadent. Si qui enim ſtulto ſtultiores aliorum perſuaſionibus ad prodigendum pecuniam ſe adduci patiuntur; cum ſtultus per præcipitantiam ſtatuat ſive de fine, ſive de mediis, ſive de utrisque, immo propter finem nullum agat, cœco impetu faciens, quod videt facere alios, vel alii ſuadent (§. 458. *part. 1. Etb.*), quævis ſuadentibus nimium credulos ſe præbent. Quoniam itaque conſilia non ponderant, eos rationibus convincere fruſtra tentabis, quibus trutinandis pares non ſunt. Quamobrem conſultiſſimum eſt ut a conſortio profuſionem pecuniæ ſuadentium ad conſuetudinem cum aliis adducantur, qui meliora ſuadent, cum horum dictis eadem facilitate fidem habituri ſint, qua conſilium prodigendi pecuniam amplectebantur.

Remedium contra prodigentiam nimis credulorum.

Dari homines adeo ſtultos, ut nimium creduli prodigentiam pecuniæ nulla arte ſibi perſuaderi patiantur, experien-

tia docet. Proſtant exempla juvenum in academiis noſtris, qui commilitonum ſuaſionibus permoti pecunias turpiter prodigunt & ære alieno obruuntur. Proſtant exempla viduarum, quos eadem temeritas ad mendicitatem, immo jacturam bonorum dolentes ad amentiam redegit. Dementiam non adeo facile eſt corrigere, cum nimis multa influant in determinationem appetitus & averſationis, quemadmodum ex latebris atque receſſibus in animis hominum palam eſt (§. 72. *part. 1. Eth.*). Optimum foret, ſi in educatione homines adſuefierent ad rationis normam omnia exigere & eadem actiones ſuas dirigere. Nihil tamen magis negligitur quam rationis uſus. In prima autem educatione neglecta difficulter poſthac corriguntur, immo haud pauca eradicatu impoſſibilia, ſi non abſolute, ob conditionem tamen ſubjectorum. Neque ſemper facile eſt a conſortio male ſuadentium nimium credulos abſtrahere, tum ob circumſtantias particulares, quæ in diverſis caſibus offeruntur, tum ſi ſuadentur affectibus inveteratis, aut in quos appetitus & averſatio per naturam propendet, conformia. Difficultates in praxi morali dudum fuerunt agnita, aſt per confuſas perceptiones minime perſpectæ, quæ ſine ſufficiente cognitione animæ ad diſtinctas reduci nequeunt. Ac inde eſt, quod plurimi in hanc opinionem delapſi, quaſi naturæ ac fortunæ beneficio omnia ſint tribuenda, nec differre in eo homines a brutis: quæ eſt communis ſententia Materialiſtarum modernorum hominem in puram machinam vertentium.

§. 472.

Quinam magnifice vivat.

Si qui dives eſt & dignitate eminet, intra fines patrimonii & dignitatis ſplendide vivit; magnificus eſt. Etenim ſi quis fuerit dives, is majores ſumtus facere poteſt in res ſibi comparandas, quam alii, qui pares opes non poſſident. Et, ſi dignitate eminet, res ſplendidæ eum decent (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi denique ſumtus iſtos facit intra fines

fines patrimonii & dignitatis, non plures facit ſumtus in res ſibi comparandas, quam amplitudo patrimonii & decor vitæ permittit. Enimvero qui magnos facit in res, quas decor exigit, amplitudini patrimonii, quod habet, reſpondentes ſumtus, magnificus eſt (§. 389. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem ſi qui dives eſt & dignitate eminet inta fines patrimonii & dignitatis ſplendide vivit, magnificus eſt.

Magnificentia & luxus plerumque confunduntur: ideo magnifice vivere dicuntur, qui in luxum effunduntur. Æſtimatur magnificentia ex ſumtuoſitate, veluti domo & familia ſumtuoſa, cœnis & conviviis ſumtuoſis, veſtibus & ſupellectili ſumtuoſis. Hæc ſi ſolum ſpectes, inter luxum & magnificentiam nulla differentia eſt. Vulgus acquieſcit in his, quæ in oculos incurrunt: aſt ſi de virtute & vitio judicium ferendum eſt, inſpiciendus eſt animus, habenda quoque eſt circumſtantiarum ratio, ex quibus is colligitur. In luxum effuſus ſumtus majores facit, quam facere debebat, oſtentationis cauſa (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); magnificus ſumtus magnos facit, decoris gratia (§. 389. *part. 4. Jur. nat.*). Ille nullam rationem habet patrimonii ac dignitatis ſuæ; hic vero ſumtus ex amplitudine patrimonii & dignitatis magnitudine æſtimat (§. §. *cit.*). Quodſi animum ad hæc attendas, luxum a magnificentia facile diſcernes. Luxus parit temerariam affectationem magnificentiæ, ut qui ad ſimilitudinem magnificorum vivunt ſibi videantur hiſce pares, quamvis vitiorum labe conſpurcati, cum magnificus virtute fulgeat, nil quicquam committens, quod bonis moribus adverſum. Equidem non nego, ad ſplendidam vitam divitis & dignitate eminentis accedere poſſe faſtum & ſuperbiam, a quibus vitiis magnificentia labem contrahit, ut oſtentandi animus accedat, qui in luxu deprehenditur; non tamen vitia iſta magnificentiæ aſſidui comites ſunt. Immo quamprimum magnificentiæ ſe ſociant, eandem in luxum vertunt (§. 463. 466.). Ac

propterea magnificentia virtus difficilis eſt, ut plures ſint, qui eandem affectant, quam qui poſſident.

§. 473.

Studium inſerviendi aliis cum magnificentia conjunctum.

Magnificus divitiis ſuis inſervire intendit aliis. Facit enim magnos ſumtus in res, quas decor exigit, amplitudini patrimonii, quod habet, reſpondentes (§. 389. *part. 4. Jur. nat.*). Quoniam itaque eos non facit animo oſtentandi divitias, introductis autem dominiis homines ſibi invicem obligantur ad dominia transferenda & operas communicandas (§. 123. *part. 3. Jur. nat.*), & unusquisque ad perfectionem aliorum & ſtatus eorundem conferre debet, quantum poteſt (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*); divitiis ſuis prodeſſe vult aliis, ut & ipſi habeant, quæ vel vitæ neceſſitas, vel commoditas, vel jucunditas, vel decor requirit. Divitiis itaque ſuis inſervire intendit aliis.

Magnificentia nulla ex parte abit a lege naturæ, ſive officia erga ſeipſum, ſive erga alios ſpectes. Magnificus pecuniam non profundit, cum ſumtus minime faciat ultra vires patrimonii ſui, aut, ſi mavis, ultra modum facultatum ſuarum. Non vult videri melior aliis, nec major ſibi, quam eſt, cum intra limites decoris faciat ſumtus. Si per ipſum ſtaret, vellet, ut omnes vitam commode ac jucunde tranſigere valerent, & divitias ſibi datas agnoſcit, non ut iis ſolus fruatur, ſed ut fruantur quoque alii, quantum præſens rerum humanarum ſtatus permittit. Non eſt quod dicas, luxui quoque deditos inſervire aliis eodem modo: neque enim jam quæſtio eſt de eo, quod ex actione aliqua ſequitur, ſed quod ab agente intenditur. Quamobrem ſi quis luxum animo inſerviendi aliis excuſet, non tamen propterea dicendus erit magnificus. Luxui deditus & magnificus cum idem faciunt, non eſt idem: qualis enim ſit actio ex convenientia cum lege natu-

naturæ æſtimandum, conſequenter ea ſpectanda quoad omnes circumſtantias (§. 61. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ex animo agentis dijudicanda (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 474.

Magnificentia non adverſatur parſimoniæ. Magnificus enim magnos quidem facit ſumtus, aſt nonniſi in res, quas decor exigit, nec majores, quam qui amplitudini patrimonii ſui reſpondent (§. 389. *part. 4. Jur. nat.*), & divitiis ſuis inſervire aliis intendit (§. 473.), ut nimirum & ipſi acquirant pecunias, quibus ad vitæ neceſſitatem, vel commoditatem aut jucunditatem indigent. Expenſas itaque ſuas ita moderatur, ne qua ex parte deſit officio alicui vel erga ſeipſum, vel erga alios pro facultate patrimonii ſui. Enimvero parſimonia nihil aliud exigit, quam ut ita moderemur expenſas (§. 381. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem magnificentia non adverſatur parſimoniæ. *An parſimonia cum magnificentia ſubſiſtat.*

In comparandis rebus & operis habenda eſt ratio facultatum noſtrarum, ſeu redituum & patrimonii, atque conditionis noſtræ. Quoad opes homines inæquales fecit dominiorum introductio; quoad conditionem ſtatus civilis, cum natura omnes eſſent æquales, nec dignitate alius alium antecelleret. Utraque inæqualitas cum non dependeat ab eadem cauſa; divitiæ non ſemper proportionantur conditioni hominum, ita ut qui dignitate alios antecellunt divitiis quoque eosdem ſuperent. Quamobrem cum in expenſis non minus conditionis, quam divitiarum, aut redituum atque patrimonii habenda ſit ratio; parſimoniæ locus eſt, qualiscunque tandem fuerit rerum noſtrarum ſtatus, & quæ lex naturæ de eroganda pecunia præcipit, moderandis expenſis in quolibet ſtatu conveniunt: quæ enim lex naturæ in genere determinat, ea ex conditione & fortunis hominum ſpecialem determinationem accipiunt. Quodſi ergo expenſas modereris juxta præ-

cepta legis naturæ, et magnificum, & parcum te præbebis, prout fert occaſio atque patrimonii tui ratio. Quamvis itaque nec conditioni tuæ conveniat, nec opes tuæ permittant, ut magnos in res facias ſumtus, animus tamen tuus ita diſpoſitus eſt, ut, ſi is eſſet rerum tuarum ſtatus, quos facere deberes, prompte faceres. Magnificentia igitur tenet animum, ſicuti cupido adulterium committendi, cui actu committendi occaſio denegatur. Quemadmodum ergo huic imputatur vitium; ita ſimiliter illi virtus tribuenda, quamvis extus non appareat. Hæc non alio fine monemus, quam ut eximamus ſcrupulum, quem nonnulli injiciunt, quaſi magnificentia perperam inter virtutes numeretur, quia omnium hominum communis eſſe nequit. Immo ſi magnitudinem ſumtuum ex amplitudine patrimonii & decore, quem conditio exigit, æſtimes, quemadmodum fieri debet; in ſtatu quoque humili & mediocri erit quædam magnificentia, quæ quamvis non agnoſcatur ab hominibus, qui ſenſuum judicio ſtant, notionibus rite determinatis deſtituti, vi definitionis tamen in apricum producitur iis, qui notiones virtutum & vitiorum juxta rigorem legis naturæ accurate determinant, & ex iis de eo, quod virtutis, vel vitii eſt, ſtatuunt. Qui hæc admittere non vult prima fundamenta omnis ratiocinationis evellit. Inhæret virtus animo, quando voluntas in actus externos erumpit, quamprimum occaſio agendi offertur: ſi enim tum demum eſſet acquirenda, exercitium ejus nondum in poteſtate foret. Dum legem naturæ intimius perſpicere addiſcimus & animum ad actiones eidem conformandas diſponimus; omnes virtutes eidem ingignuntur, etſi earum exercitium non ſemper in poteſtate ſit, ſed commoda expectanda occaſio.

§. 475.

De uſu & cuſtodia re-

Quoniam parſimonia non adverſatur magnificentiæ (§. 474), parſimoniæ autem convenit, ut expenſas nullas faciamus,

ciamus, quas ſalvis officiis erga nos & alios evitare potera- *rum magni-*
mus (§. 384. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter ut rebus, quæ *ficentiæ non*
uſu deteriorantur, ita utamur, ne culpa noſtra deterioren- *repugnante.*
tur, nec res, quæ ſervando conſumuntur, vel corrumpuntur, tamdiu ſervemus, donec corrumpantur, & res quascunque ita cuſtodiamus, ne culpa noſtra deteriorentur, vel deſtruantur, ideoque in uſu & cuſtodia rerum ab eo, quod præcipit lex naturæ (§. 405. 407. 410. *part. 4. Jur. nat.*), non recedamus; *quimagnificus eſt, rebus tamen, quæ uſu deteriorantur, ita utitur, ne culpa ſua deteriorentur, easdemque diligenter cuſtodit, eas vero, quæ ſervando non conſumuntur, vel corrumpuntur, tamdiu non ſervat, donec corrumpantur.*

Vana eſt perſuaſio, quaſi magnificum deceat neglectus pecuniæ, conſequenter omnis cura expenſas minuendi ab eo abjicienda ſit, propterea quod tam amplum patrimonium, tot reditus ipſi ſint, ut de patrimonio amplificando cogitare & redituum partem quandam ſervare non habeat opus, quaſi vero fortuna, quæ ſuperflua nobis largitur, nos liberare poſſit ab obligatione naturali, quæ certum pecuniæ erogandæ modum obſervari urget. Conſideranda hic ſunt, quæ de cura rerum in genere ſuperius demonſtrata ſunt. Ea pertinent ad homines omnes, cujuscunque tandem ſint conditionis, nec diviti aliud jus in rebus ſuis competit, quam pauperi. Quamnam curam in earum uſu & cuſtodia adhibere debeamus, ex hoc jure æſtimandum, non ex neceſſitate phyſica, quam fortuna imponit, quamvis negligentia minus imputetur diviti, quam pauperi, propterea quod neceſſitas phyſica motivum diligentiæ acuit.

§. 476.

Si luxus invaleſcit, magnificentiæ non repugnat, ut ſaniores minores faciant in res, quibus utuntur, ſumtus, quam vi patrimonii *Quid magnificentiæ ſui*

non repugnet luxu invaleſcente.

ſui facere poterant & conditioni ſuæ conveniebat. Etenim ſi luxus invaleſcit, homines ſolius oſtentationis cauſa pecunias prodigunt, comparando ſcilicet ſibi res pretioſas ultra vires patrimonii ſui & conditionem ſuam, ut videantur aliis, qui ſunt ſuperioris conditionis & patrimonium majus habent, pares (§. 387. *part. 1. Jur. nat.* & §. 463. 467. *cit.*). Quodſi ergo qui magnos ſumtus in res, quibus utitur, vi patrimonii ac redituum ſuorum facere poterat, & cujus conditioni conveniebat, ut faceret, minores tamen facit, ut exemplo ſuo doceat, res pretioſas neminem a conditione inferiori ad ſuperiorem evehere, & abſurdum eſſe mores alienos facere normam actionum ſuarum, non vero eas ratione ac conſilio dirigere, vanamque eſſe gloriam, quam quis rerum pretioſarum uſu conſequi ſtudet; exemplum bonum præbet, malum vero non ſequitur (§. 929. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque exempla bona aliis præbere (§. 930. *part. 1. Jur. nat.*), mala vero ſequi minime debemus (§. 931. *part. 1. Jur. nat.*); luxu invaleſcente, magnificentiæ non repugnat, ut ſaniores minores faciant in res, quibus utuntur, ſumtus, quam vi patrimonii ſui facere poterant & conditioni ſuæ conveniebat.

Optandum foret, ut omnes, quos magnifice vivere decebat, iſtiusmodi exemplum præberent, ne qui in luxum effunduntur ſibi viderentur, qui non ſunt, ſed ut eorum ſtultitia tandem contemtui pateret. Quamvis magnificentia virtus ſit, cum, qui amplum habet patrimonium, ut magnis ſumtibus, quos decor exigit, faciendis ſufficiat, magnificus eſſe debeat (§. 390. *part. 4. Jur. nat.*); non tamen propterea reprehendi poteſt, quod luxu invaleſcente minores faciat ſumtus in res ſibi comparandas, quam magnificentiæ convenit. Etenim in præſenti caſu colliditur officium bonum exemplum præben-

præbendi, ut corrigatur luxus; vitium tantopere noxium, cum officio magnifici, cur divitiis ſuis proſit aliis. Quoniam enim alii adhuc dantur modi, ut divitiis tuis prodeſſe poſſis aliis, quam comparando res ſumtuoſas; exemplum bonum præbendi officium vincit officium magnifici. Quodſi objicias exemplo tuo non corrigi luxum, cum luxui dediti ſe exemplo tuo addere nolint, præſertim ſi non plures tui ſimiles idem præbeant; hoc tamen non obſtat, quo minus tu facias, quod tuum eſt, nec luxui alendo materiam præbeas, cum evitare poſſis. Ceterum patet, nos hic remedium luxus nonniſi morale conſiderare, non vero civile, quod in prohibitione ſuperioris conſiſtit, nec vitium emendat, ſed tantummodo damnum inde emergens tollit. Remedia civilia ad avertenda damna, quæ dant vitia, utilia ad Politicam ſpectant, non vero ad Ethicam, & de iis agendum erit ſuo loco. In Moralibus evellendæ ſunt ex mente hominum falſæ opiniones, a quibus vitia ortum ſuum trahunt. Voluntas enim corrumpitur erroribus, nec emendatur vitium, niſi errores evertantur: unde omnia remedia tandem redeunt ad eradicandas falſas opiniones. Emendato enim intellectu, voluntas quoque emendatur, perverſo illius uſu corrupta, vi eorum, quæ in parte ſecunda de voluntate emendanda & perficienda demonſtravimus.

CAPUT VI.

De Cura Famæ ac Fortunæ.

§ 477.

Medium famam curæ habendi.

Qui famam curæ habere vult, operam dare debet, ut virtutibus intellectualibus & moralibus excellat, vitia vero fugiat. Fama enim conſiſtit in communi hominum ſermone de virtutibus intellectualibus & moralibus noſtris & caren-

carentia vitiorum (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo fama noſtra bona eſſe debet, neceſſe eſt, ut facta noſtra prodant virtutes intellectuales & morales, non vero committamus actiones, quæ vel virtutum intellectualium defectum, vel vitia moralia, ſeu habitus voluntatis pravos arguunt. Quamobrem qui famam curæ habere vult, operam dare debet, ut virtutibus intellectualibus & moralibus excellat, vitia vero vitet.

Equidem fama in hominum poteſtate non eſt, cum aliis liberum ſit de factis noſtris judicium, ex quibus colliguntur tam habitus intellectus, quam voluntatis, quibus inſtructi ſumus, neque alios cogere poſſimus, ut quod veritati conſentaneum agnoſcant, vel, ſi agnoſcant, confiteantur: non tamen propterea negligendum eſt, quod ex parte noſtri requiritur, ut famam bonam conſequamur. Dudum conſtat, alios famam mereri, alios habere. Hoc tamen non obſtante danda eſt opera, ut mereamur certi nos nihil commiſiſſe, quod recte nobis vitio verti poſſit. Cetera quæ in poteſtate noſtra non ſunt, providentiæ divinæ committenda. Præſtat mereri famam & non habere, quam habere & non mereri.

§. 478.

Cur qui famam merentur non habeant.

Si qui famam merentur non habent, id tribuendum eſt aliorum vel ignorantiæ, vel malitiæ. Qui enim famam merentur, virtutibus intellectualibus & moralibus inſtructi ſunt, & easdem factis ſuis produnt (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi quis de factis alterius verum judicium ferre non valeat, notionibus diſtinctis virtutum intellectualium & moralium deſtitutus, atque ignoret, quomodo ex factis certo, aut ſaltem probabiliter colligantur habitus intellectus atque voluntatis per ſe in ſenſum non incurrentes, nec fieri poteſt, ut de virtutibus intellectualibus & moralibus veritati conſentanea

Digitized by Google

nea loquatur. Quamobrem cum plerique, quando loquuntur de aliis, ſint echo aliorum, vel quod ipſimet de virtutibus aliorum ex ipſorum factis judicium ferre nequeant, vel quod aliorum dictis nimis facilem habeant fidem; non eſt quod miremur, ſi communis hominum ſermo de virtutibus intellectualibus & moralibus non is fuerit, qui eſſe debebat. Quod igitur qui famam meretur non habeat, ignorantiæ eorum tribuendum, qui famæ autores eſſe debebant. *Quod erat unum.*

Quamvis vero non deſint, quibus virtutes intellectuales & morales alterius perſpectæ ſunt, plures tamen dantur rationes, quibus permoventur vel ad ſilendum de iis, vel ad eas extenuandum, vel ad detrahendum de laude merita, vel prorſus ad laceſſendum famam alterius. Quamobrem patet ut ante famam non habere eum, qui meretur. Et quoniam illi, qui in cauſa ſunt, ſcientes & volentes hoc agunt ne habeant; quod famam non habeat, qui meretur, id malitiæ ipſorum tribuendum. *Quod erat alterum.*

Ut quis famam habeat, quam meretur, neceſſe eſt ut alii agnoſcant virtutes intellectuales & morales, quibus præditus eſt, & ut ipſi laudem meritam tribuant. Quodſi ergo famam non habeat, quam meretur; ratio quærenda eſt vel in facultate cognoſcendi, vel in facultate appetendi & averſandi aliorum, ideoque vel ad ignorantiam, vel ad malitiam malorum carentia famæ referenda. Poſterior ratio plerumque obtinet in eo loco, in quo vivitur. Unde dudum in proverbium abiit, ad quod etiam provocavit Chriſtus a ſuis contemtus Marc. VI, 4. prophetam non eſſe ſine honore niſi in patria & in domo ſua, & in cognatione ſua. Utraque ratio locum habet, quod maxima ſæpe merita non agnoſcantur niſi poſt fata. Exemplo ſunt eruditi, quorum præclara admodum in ſcientiam merita extant. Quodſi homines omnes de virtu-

tibus intellectualibus & moralibus verum judicium ferre valerent, & unicuique laudem meritam ultro tribuerent, qui famam merentur, famam quoque haberent: aſt cum fruſtra eam requiſiveris ſcientiam & famam alienam excitandi ſollertiam, ideo nec fieri poteſt, ut famam habeant, qui merentur. Hinc vero porro patet ratio, cur fama non ſit in poteſtate hominis. Ecquis enim tantum ſperare auſit de facultatibus ſuis, ut unicuique pro lubitu ſcientiam virtutum intellectualium & moralium easque ex factis rite æſtimandi artem infundat, præconceptas opiniones falſas ex intimis mentibus evellat, animos ab omni pravorum affectuum labe purget, amore ſui ac veritatis infucato imbuat? Hoc qui perficere non poterit, nec unquam efficiet, ut unusquisque accommodet ſe veritatis aſſertorem. Ignorat quid ſint homines & quantum uſus facultatum, quas natura ipſis largita eſt, a fortuna dependeat, qui hanc ſpem animo præſumere velit.

§. 479.

De abſurditate appetendi famam, quam mereris.

Quoniam aliorum ignorantiæ atque malitiæ tribuendum, ut famam habeas, quam mereris (§. 478.), utramque vero corrigere pro lubitu in nullius hominis poteſtate eſt, quod nemo diffiteri auſit; *abſurdum eſt appetere famam, quam mereris, & tibi arrogare, quam fortuna in hac re habet, partem.*

Maximam omnino in eo partem habet fortuna, ut eam conſequaris famam, quam mereris. Quam vero fortuna habet partem, eam ſibi adimi non patitur. Inanem operam ſumit, qui fortunam poteſtati ſuæ ſubjicere conatur. Fortuna inexorabilis eſt, nec quicquam contra eam valent humanæ artes. Hæc probe perpendenda ſunt, ne curam famæ habendam ultra poteſtatem tuam extendas.

§. 480.

Digitized by Google

§. 480.

Qui agnoſcit abſurdum eſſe appetere famam, quam meretur, ſibique arrogare partem, quam in hac re fortuna habet; ejus animus non perturbabitur, ſi famam, quam meretur, non conſequatur, & ad tranquillandum, immo hilarandum animum abunde ſufficiet meriti conſcientia. Qui enim agnoſcit abſurdum eſſe appetere famam, quam meretur ſibique arrogare partem, quam in hac re fortuna habet; cum nemo ſanus abſurdum, ſeu quod impoſſibile eſt, velle poſſit, is quoque famam, quam meretur, non appetet, ſed fortunæ relinquit, utrum habere debeat, nec ne. Quodſi ergo eam non conſequatur, cum tantum eam mereri ſtuduerit, non vero cupido eandem conſequendi animum inceſſerit (§. 387. *part. 2. Eth.*); liber quoque eſt animus ab ea moleſtia, quæ vexat animum, quando quis non obtinet, quod cupit (§. 266. *part. 2. Eth.*). Quamobrem cum animus tranquillus ſit, ſi liber fuerit a moleſtia, quæ eum vexare ſolet, qui agnoſcit abſurdum eſſe appetere famam, quam meretur, ſibique arrogare partem, quam in hac re fortuna habet, ejus animus non perturbatur, ſi famam, quam meretur, non conſequitur, ſed tranquillus permanet. *Quod erat unum.* *Quomodo animi tranquillitas & hilaritas conſervetur, ſi famam non habes, quam mereris.*

Enimvero cum ſibi conſcius ſit, ſe feciſſe, quod facere poterat ac debebat; quando eam non conſequitur, conſcientia conſequens cum antecedente eadem (§. 422. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum conſcientia eum excuſet (§. 463. *part. 1. Phil. pract. univ.*), excuſatio vero conſcientiæ tædium ex aliorum cenſuris iniquis perceptum tollat, aut ſaltem imminuat (§. 469. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo voluptate ſumma animum perfundat, quando nimirum eum a ſermone aliorum ad actiones noſtras avocamus (§. 468.

part. 1. Phil. pract. univ.), non ſolum conſcientia tranquilla eſt (§. 505. *part. 1. Phil. pract. univ.*), verum etiam animum perfundit voluptate, ſi famam mereri ſtuduimus, quamvis non conſequamur. Meriti ergo conſcientia ad animum tranquillandum & hilarandum abunde ſufficit. *Quod erat alterum.*

Multi videntur ſibi mereri famam, quam non merentur. Aſt hi virtutes intellectuales & morales non ſatis agnoſcunt, nec conſiderant, quantum iis excellere debeant, ut famam mereantur. Multa hinc naſcuntur de merito famæ præjudicia, quæ ex ſequentibus magis eluceſcent. Atque ex uno abſurdo ſequuntur plura. Famam conſequi volunt mediis parum aptis, ſæpiusque conqueruntur, ſe non habere famam, quam habent alii, cum nec eam habere poſſint. Ita videas Mathematicos invidentes famam JCtis, cum tamen Matheſi famam conſequi nequeant, quam conſequitur JCtus. Videas JCtos invidentes famam Philoſopho, cum tamen Jurisprudentia eam famam conſequi nequeant, quam conſequitur Philoſophus. Eruditi plerumque virtutum moralium excellentia a merito famæ ſeparant. Abſurditas igitur appetendi famam tanto major evadit, ſi quis affectat univerſalem omnium applauſum, cum nonniſi pauci ipſi ſimiles applaudere poſſint. Datur adhuc alia abſurditas, quæ homines felices reddit errore ſuo, quamdiu eundem non agnoſcunt. Eſt hæc eorum, qui, cum ob particularem quandam rationem a nonnullis magni fiant, ſibi perſuadent, tanti fieri merita ſua apud omnes. Ita videas Mathematicos, qui a conſortio omnium hominum remoti in Muſæo ſuo tempus omne in calculis algebraicis conſumunt, moribus elegantibus deſtituti & virtutis nullius moralis notionem diſtinctam habentes ſibi perſuadent, ſe tanta fama frui per univerſum orbem, quantum ſibi imaginantur ex litteris paucorum quorundam Mathematicorum, cum quibus ipſis commercium epiſtolicum intercedit. Sed de his omnibus nobis in præſenti ſermo non eſt, quando de

iis

iis loquimur, qui meriti famæ ſibi conſcii ſunt. Supponimus enim, ut quis famam ſine ulla reſtrictione mereatur, eum indefeſſam operam collocare in acquirendis virtutibus moralibus omnibus & in virtutibus intellectualibus, quantum earum ſubſidio indiget in moralibus & in eo vitæ genere, quod ſequitur. Et hæc quidem probe notanda ſunt, ſi abſurditatem appetendi famam intime perſpicere & ejus meritum rite æſtimare, ideoque veritatem propoſitionis præſentis in te experiri volueris.

§. 481.

Qui meritum famæ rite æſtimare voluerit, ei virtutes omnes intellectuales & morales probe perſpectæ eſſe debent & facta ejus, de cujus merito judicium ferendum. Quoniam enim fama hominis conſiſtit in communi hominum aliorum ſermone de habitibus intellectualibus & moralibus (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); famam nemo meretur, niſi qui virtutibus intellectualibus & moralibus excellit, & meritum reſtringitur ad virtutes intellectuales & morales, quibus excellit Quamobrem ſi quis meritum famæ rite æſtimare voluerit, virtutes omnes intellectuales & morales probe perſpectas habere debet. *Quod erat unum.*

Quænam ſcitu neceſſaria famæ æſtimandum.

Enimvero cum virtutes intellectuales & morales prodant facta, ex quibus non ſolum is, qui iisdem inſtructus eſt, agnoſcit, quod easdem poſſideat, verum etiam cognoſcere tenentur alii; ſi vel de proprio merito, vel de alieno ferendum judicium eſt, facta virtutes intellectuales & morales prodentia cognita quoque & perſpecta eſſe debent. *Quod erat alterum.*

Judicium de merito famæ duplici modo ſpectatur, vel in abſtracto nullo habito reſpectu ad certam quandam perſonam, vel

vel in concreto, quatenus ad certam quandam perſonam refertur. Ut in abſtracto meritum famæ rite æſtimes, omnes virtutes intellectuales & morales perſpectæ eſſe debent, inprimis autem nota ſigna earundem, ne in judicando a vero aberret. Quodſi de merito hujus vel illius perſonæ judicium ferendum, cum ut plurimum de certa ſaltem virtute intellectuali, aut morali ſermo ſit, hæc minimum & ejus ſigna minime fallacia perſpecta eſſe debent, ac nota præterea facta, quæ ſignorum vicem ſubeunt. Me autem tacente patet, ſermonem hic eſſe de eo, qui de merito famæ per ſe ſtatuere vult: quod utique neceſſarium, quando de merito proprio ſtatuendum. Quodſi vero de merito alieno ſequendum judicium aliorum, tenenda ſunt quæ de fide aliorum dictis habenda demonſtrantur (§. 613. *& ſeqq. Log.*), ne ſis ſaltem echo aliis aſſonans, cui aſſimilantur hiſtoriæ litterariæ compilatores, qui ex diariis eruditorum & novellis litterariis judicia de meritis autorum exſcribunt, non indicatis ſemper fontibus, unde ea hauſerunt.

§. 482.

Quænam ad hoc requirantur.

Quoniam meritum famæ rite æſtimaturus virtutes omnes intellectuales & morales probe perſpectas habere debet (§. 481.), virtutes autem habitus ſunt legi naturæ convenienter determinandi actiones ſuas (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & in Ethica traduntur ſigna rectitudinis actionum in qualibet earum ſpecie (§. 10. *part. 1. Eth.*); *meritum famæ rite æſtimaturus Juris naturæ & Ethicæ apprime peritus eſſe debet. Quodſi vero ſermo fuerit in aliqua ſcientiæ vel eruditionis parte; in ea verſatus eſſe debet, qui de merito famæ ſolidum judicium ferre debet. Idem intelligitur de arte* (§. 491. 492. *part. 1. Eth.*).

Forſan non deerunt, qui exiſtimaturi ſunt, ad judicium de merito famæ nimis multa requiri. Aſt ſi ſolidum eſſe debet judicium, nec ulla ex parte a veritate aberrare; ad nimietatem

tatem referri nequit, quod ſine præjudicio veritatis non ignorátur. Optandum foret, ut omnes agnoſcerent, quid ad judicium exactum requiratur, ne judicium deproperantes vel ſeipſos deciperent, vel aliis adularentur, vel in aliorum famam injurii evaderent, fallerentque alios, qui ipſis fidem habent. Quemadmodum omnia confunduntur, ſi a veritate receſſeris, & ex errore ſemper plura conſequuntur mala, quorum unum gignit alterum; ita ex adverſo veritas ſemper mater fœcunda eſt plurimorum bonorum. Vulgo neutrum agnoſcitur, propterea quod non attenduntur nexus actionum humanarum, multoque minus eorum; quæ ex iſtis conſequuntur, cum iisdem. Veritas in omnium ore eſt, ſed pauci ſunt, qui norunt quid ſit veritas, & perſpiciunt, quid ex ea ſequatur.

§. 483.

Quæ de cura famæ demonſtrantur, ea etiam intelliguntur de exiſtimatione, honore atque laude. Exiſtimationem enim, honorem atque laudem pariunt virtutes intellectuales & morales (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), quas produnt facta exiſtimatione, honore ac laude hominem dignum probantia (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero communis hominum de illis ſermo fama bona eſt (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), quam ut mereamur, cum ut habeamus in poteſtate noſtra non ſit, operam dare debemus (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem quæ de cura famæ demonſtrantur, ea etiam de exiſtimatione, honore atque laude intelliguntur. *Quæ de exiſtimatione, honore atque laude tenenda.*

Oſtenditur etiam hoc modo. Aliorum de perfectione noſtra, ideoque de virtutibus intellectualibus & moralibus (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), judicium exiſtimatio eſt (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), quod ſi actibus externis ſignificatur, in eo honor conſiſtit (§. *cit.*), ac in ſpecie laus, ſi verbis ſignificatur.

ficatur: Quodſi ergo hæc laus longe lateque diffunditur, ut communis hominum ſermo fiat, fama oritur (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo famam mereri velis, neceſſe eſt ut te reddas exiſtimatione, honore ac laude dignum. Quamobrem quæ de cura famæ demonſtrantur, ea etiam intelliguntur de exiſtimatione, honore & laude.

Meretur famam, qui exiſtimatione, honore atque laude dignus eſt. Exiſtimatio, honor atque laus non ſunt in poteſtate noſtra (§. 539. 543. *part. 1. Jur. nat.*). Noſtrum igitur non eſt, niſi ut operam demus, ut ſimus exiſtimatione & honore atque laude digni (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*). Qui exiſtimatione & honore dignus eſt, is etiam laude dignus eſt (§. 544. *part. 1. Jur. nat.*), & honor exiſtimationem præſupponit, niſi ſimulatus eſſe debeat (§. 538. *part. 1. Jur. nat. & §. 716. part. 2. Phil. Pract. univ.*). Dependet igitur fama a laude longe lateque diffuſa, honor & laus, quæ illius quædam ſpecies eſt, ab exiſtimatione. Hæc ita ſe habent, quamdiu veritate ſtatur, a qua in Philoſophia morali ne latum quidem ungvem recedendum, ne a virtute ad vitia declines. Sicuti vero quamprimum a veritate diſceditur omnia confunduntur; ideo nec eſt, quod miremur, quod idem quoque contingat in caſu præſenti. Quamobrem non attendendæ ſunt objectiones, quæ extra veritatis limites contra dependentiam exiſtimationis, honoris, laudis atque famæ in medium afferri poterant. Unde enaſcatur confuſio eidem adverſa, patebit ex ſequentibus, quæ de vitiis hominum circa honorem, laudem atque famam demonſtrabuntur. Veritas ordinis tenax: aberratio ab eadem omnis confuſionis mater.

§. 484.

Quenam ad modeſtiam requirantur.

Qui modeſtus eſſe vult, operam quidem dare debet, ut ſit eximatione, honore ac laude dignus famamque mereatur, honorem tamen, laudem atque famam non appetere. Qui enim modeſtus eſt

eſt appetitum circa honorem, ideoque etiam laudem (§. 538. 541. *part. 1. Jur. nat.*), & per conſequens famam, quæ in laude longe lateque diffuſa conſiſtit (§. 541. 553. *part. 1. Jur. nat.*), legi naturæ convenienter moderatur (§. 563. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum unusquisque operam dare debeat, ut ſit exiſtimatione, honore ac laude dignus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*) & fama noſtra bona ſit (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*); qui modeſtus eſſe vult, operam dare debet, ut ſit exiſtimatione, honore ac laude dignus famamque mereatur. Enimvero quoniam exiſtimatio & honor non ſunt in poteſtate noſtra (§. 539. *part. 1. Jur. nat.*), neque a noſtra, ſed alterius voluntate pendet, ut ab eo laudemur (§. 543. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec in poteſtate noſtra eſt, ut famam conſequamur; non minus abſurdum eſt exiſtimationem, laudem & honorem, quam famam appetere (§. 479. 483.) & ipſa lex naturæ nos obligat, ne exiſtimationem, honorem ac laudem & per conſequens famam intendamus tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque qui modeſtus eſſe vult, operam dare debet, ut ſit exiſtimatione, honore ac laude dignus famamque mereatur; honorem tamen, laudem atque famam appetere non debet.

Cum ex actibus externis judicium fiat de modeſtia alterius, vulgus autem in eo acquieſcat, quod in ſenſus cadit; plerique etiam non ſatis capiunt, quid ſit modeſtia, diſtincta ejus notione deſtituti. Et quoniam virtus omnis conſiſtit in habitu actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi quam habent modeſtiæ notionem, ratio tamen eandem non limat, ut ad normam legis naturæ dirigatur. Quid igitur modeſtiæ conveniat, quid eidem repugnet, aliunde conſtare nequit, quam ſi conſideremus, quid lex naturæ præcipiat, quid prohi-

beat. Præcipit ea ut nos exiſtimatione, honore ac laude dignos præſtemus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), ſicque bonam famam mereamur (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*), prohibet, ne exiſtimationem, honorem & laudem, ac per conſequens famam intendamus tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque patet, quænam facienda ſint homini modeſto, a quibus vero abſtinendum. Quamprimum vero omittimus, quæ facienda ſunt, & ex adverſo committimus, quæ facienda non erant, cum tunc actiones noſtræ repugnent legi naturæ, in vitia incidimus. Haud obſcure intelligitur, quæ de modeſtia hic dicuntur, ea ad virtutem quamlibet etiam ipſique oppoſita vitia applicanda eſſe: quod ſi obſervaveris, non difficile erit virtutes a vitiis dividere ac præcavere, ne illæ ab his labem quandam contrahat. Qui enim virtutem a vitiis notionibus rite ac ſufficienter determinatis non dividunt, ad ea, quæ ſunt virtutis, miſcent quædam, quæ ſunt vitiorum ipſi oppoſitorum. Diſcimus hinc, quam neceſſarium ſit, ut diſtinctas & rite ac ſufficienter determinatas virtutum iisdemque oppoſitorum vitiorum notiones habeas, ſi virtutem colere decreveris. Notiones iſtæ cum deriventur ex lege naturæ, quæ facienda præcipit, non facienda prohibet; ſtudium virtutis a cognitione Juris naturæ exordiendum, quod philoſophia moralis, quæ docet modum virtutem unamquamque acquirendi (§. 6. *part. 1. Eth.*), ſupponit (§. 9. *part. 1. Eth.*). Cum perpauci ſint, qui ſcientiam Juris naturæ ſatis exactam acquirere ſtudent; ideo non eſt quod miremur, notiones virtutum & vitiorum communes non eſſe ſatis limatas. Ceterum probe perpendi velim demonſtrationem, qua evicimus, exiſtimationem, honorem atque laudem non intendi debere tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), ut non modo origo obligationis, quæ a lege naturæ venit, agnoſcatur, verum etiam perſpiciatur, quam pulchre in omnibus divinum hoc & immutabile jus ſit ſibimetipſi conſentiens.

§. 485.

Digitized by Google

§. 485.

Quoniam qui modeſtus eſt operam dat, ut exiſtimatione, honore ac laude dignus ſit famamque mereatur, honorem tamen, laudem atque famam non appetit (§. 484.); *a peritis* veritatem agnoſcentibus & *bonis*, veritatem amantibus (§. 971. *part. 5. Jur. nat.*) atque juſtitiam & honeſtatem (§. 968. *part. 5. Jur. nat.*), *honor & laus, quam meretur, homini modeſto tribuitur, ac idem inde nominis famam conſequitur, honor, laus & fama ſequitur vel fugientem.*

Quod honor, laus & fama modeſtum fugientem ſequatur.

Boni ac periti nemini denegant laudem meritam, & ex ea naſcitur vera gloria (§. 47. *Jur. Gent.*), non vaga quædam fama, quæ nulla certa autoritate nititur. Hanc non opus eſt ut acquirere ſtudeas, immo ſi vel maxime hoc facere velis, conatus tamen omnis aut fruſtraneus erit, ſi laudem non mereris, aut ſuperfluus, ſi eandem merearis. A bonis & peritis laus, quam non mereris, emendicari nequit &, ſi vel maxime eam mercaris, non tamen in merita tua inquirent cupiditatem tuam expleturi, quando non vacaverit. Emendicatæ autem laudes raro veræ ſunt, minimum macula non carent, quia emendicatæ: laudes enim emendicare virtuti repugnat. A bonis & peritis vera laus expectanda eſt: reliqua ſordet, ideoque eam contemnit qui veram meretur. Nimis puerile eſt delectari laude imperitorum, quemadmodum ex ſequentibus clarius eluceſcet.

§. 486.

Similiter quia *modeſtus* laudem non appetit (§. 484.); *ſeipſum non laudat, nec laudum ab aliis ſibi tributarum ebuccinator eſt, neque facta ſua, quibus ſe laudem mereri putat, extollit, immo nec alios laudat, ut ab ipſis viciſſim laudetur.*

De laude propria modeſtiæ adverſa.

Exempla laudis propriæ frequentiora non ſunt, quam inter eruditos, de quibus mox diſertius dicturi ſumus, quando de vitiis modeſtiæ oppoſitis agemus: laus enim propria

cum a modeſtia, quæ virtus eſt, maxime aliena ſit, ad vitium referenda. Dudum autem omnibus laus propria maxime inviſa fuit, hodienumque eſt, non modo bonis, quibus ſeſe plurimum commendat modeſtia, præſertim ſi cum magnis meritis conjuncta, verum etiam invidis laudis aliorum. Hinc enatum eſt pervulgatum iſtud: Propria laus ſordet.

§. 487.

De invidia laudis aliorum modeſtiæ adverſa.

Quoniam *modeſtus* laudem non appetit (§. 484.); *aliis laudem ſive meritam, ſive immeritam non invidet, multo minus conqueritur, quod ipſe non laudetur, aut tanti non exiſtimetur, quanti exiſtimantur alii.*

Quamdiu quis aliis laudem invidet, aut querelas movet, quod aliis honore non æquiparetur, tamdiu quoque certus eſſe poteſt, ſe ad modeſtiam nondum perveniſſe. Idem intelligitur de laude propria in factorum ſuorum gloriatione. Sunt igitur hæc ſigna modeſtiæ deficientis.

§. 488.

Quod modeſtus ſeipſum non laudet per alios.

Cum modeſtus ſe ipſum non laudet (§. 486.), quod vero quis facit per alios per ſeipſum feciſſe putandus ſit, id quod ab omnibus conceditur tanquam per ſe manifeſtum; *modeſtus* quoque *nec verbis, nec factis impetrare ſtudet ab aliis, ut laudetur.*

Nihil hodie frequentius eſt apud nos; quam ut homines novi in orbe erudito, qui juvenili cupiditate gloriæ ducuntur, per alios ſeipſos laudent, cum tamen eos maxime deceret modeſtia. Dantur enim diariorum & novellarum eruditorum autores, cum indies creſcat iſtiusmodi ſcriptorum numerus, qui levi quodam lucello adducuntur, ut aures benignas præbeant laudari per ipſos cupientibus. Immo haud raro contingit, ut formula ipſis præſcripta novellis inſeratur.

Tur-

Digitized by Google

Turpius vero eſt, ſi viri a juvenili hoc pruritu ſibi temperare nondum didicerunt, præſertim cum laudibus emendicatis non indigeant, ſi vel maxime laudes appetant.

§. 489.

Modeſtus, quicquid bene ac recte a ſe factum, tanquam debitum agnoſcit, nec laudem ſpectat tanquam mercedem ejus. Etenim modeſtus operam quidem dat, ut ſit laude dignus, ideoque virtutibus intellectualibus & moralibus pro virili ſtudet (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), laudem tamen non appetit (§. 484.). Quamobrem cum virtutis cultor actiones ſuas legi naturæ convenienter determinet (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ indiſpenſabilem obligationem inducit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quod eidem convenienter facit, ideo facit, ut obligationi ſuæ ſatisfaciat. Quoniam itaque debitum eſt, ad quod faciendum lege naturali obligamur (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quicquid bene ac recte a ſe factum eſt, tanquam debitum agnoſcit. *Quod erat unum.* *Quomodo modeſtus ſpectet, quod bene ac recte a ſe factum.*

Porro quoniam modeſtus propter id, quod recte ac bene fecit, ideoque quod facere ſe debuiſſe agnoſcit, ut ſatisfaceret obligationi ſuæ, *per demonſtrata n. 1.* laudem non appetit (§. 484), ſibi minime perſuadet ab aliis ſibi deberi laudem, propterea quod bene ac recte fecerit, ad quod faciendum naturaliter obligabatur. Quamobrem cum merces ſit, quod nobis præſtandum ab aliis pro eo, quod ipſi fecimus (§. 327. *part. 4. Jur. nat.*); laudem ſpectare nequit tanquam mercedem pro eo, quod bene ac recte a ſe factum, ab aliis ſibi debitam. *Quod erat alterum.*

Abſurditas appetentiæ laudis clarius non eluceſcit, quam ſi vim propoſitionis præſentis ſatis capiamus. Prompte ac præci-

præciſe ſolvendum debitum creditori tuo. Ubi hoc feceris, obligationi tuæ ſatisfeciſti (§. 663. 665. *part. 5. Jur. nat.*). An propterea creditor tuus tibi obligatur ad aliquid viciſſim præſtandum, quod feceris, ad quod faciendum ipſi obligatus eras, quod pro mercede haberi poſſet? Cum abſurdus videretur, qui hoc ſibi perſuaderet; nonne multo abſurdior videbitur, ſi tibi perſuades alios tibi ad quædam præſtanda teneri, quod creditori tuo præciſe ſolveris? Laudem meretur præciſa debiti ſolutio (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*): laudabit eam qui ſolutionem accipit, laudabunt alii, cum nemini non placeat præciſa & prompta debiti ſolutio. Nemo tamen exigere poteſt, ut laudent, ſed hoc arbitrio ipſorum relinquendum. Recte quidem faciunt, ſi laudent, & quod facere debent (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*); ſed cum nullum tibi jus competat in aliorum actiones (§. 146. 152. *part. 1. Jur. nat.*), illorum conſcientiæ relinquendum, num laudare velint, an nolint (§. 157. *part. 1. Jur. nat.*). Qui virtutes intellectuales & morales colit, ut iis conformiter agat, aut facit, quod ſibi debet, aut quod aliis, vel jure ſuo recte utitur. Conſidera te tanquam debitorem tuum, vel debitorem Dei, qui legis naturæ autor eſt (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & vult, ut eam ſerves (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cuique obedire debes (§. 1165. *part. 1. Jur. nat.*); quæ de abſurditate debitoris debitum præciſe ſolventis & propterea laudem ab aliis tanquam mercedem ſibi debitam deſiderantis dicta ſunt, ad omnem laudis appetentiam facile trahes. Abſurditas appetentiæ laudis motivum eſt, ne eam appetamus, &, ſi magis agnoſceretur, in ruborem daret laudem tantopere inhiantes. Quodſi vero a laudis appetentia abſtrahamur; modeſtiæ ſtudium multum facilitabitur, ut ad motiva hujus virtutis referri quoque poſſit.

§. 490.

Medium humilitatis. *Qui humilis eſſe vult, accurate inquirere debet quantum perfectionis conſecutus fuerit, quanta adhuc imperfectione laboret, quid in*

in illa acquirenda ſibi, quid naturæ ac fortunæ debeat, quid in hac negligentiæ ſuæ ſit tribuendum, & quatenus ſe ſpectat tanquam cauſam perfectionis, ſe conſiderare tanquam eum qui fecit quod facere debebat, quatenus vero agnoſcit imperfectionem, quoad facta poſitiva tanquam inobedientem, quoad privativa tanquam negligentem. Qui enim humilis eſſe vult, verum de perfectione propria judicium ferre tenetur, ut de ſeipſo ſentiat, uti par eſt (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero ſi verum de perfectione noſtra judicium ferendum; neceſſe eſt, ne plus perfectionis nobis tribuamus, quam revera habemus, nec in ea acquirenda plus, quam veritati conſentaneum, ideoque non modo inquirendum eſt in perfectionem, qua gaudemus, verum etiam in imperfectionem, qua adhuc laboramus, & ſollicite obſervandum, quænam naturæ ac fortunæ tribuenda ſint, ut eam conſecuti fuerimus, & quænam ſint rationes, cur hac adhuc imperfectione laboremus, quam in nobis deprehendimus, ut appareat, num & quid tribuendum ſit negligentiæ noſtræ (§. 750. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Et quoniam obligamur ea facere, quæ ad noſtram ſtatusque noſtri perfectionem tendunt, ea vero omittere, quæ ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*) omnemque negligentiam vitare (§. 301. *part. 1. Jur. nat.*); quicquid a nobis factum fuit, ut perfectionem acquireremus, id facere debebamus (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Cumque Deus ſit autor legis naturæ (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), cui obedire tenemur (§. 1166. *part. 1. Jur. nat.*); ſi fecimus, quod facere non debebamus, inobedientes ſumus (§. 1168. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo perfectum eſſe debet de perfectione & imperfectione noſtra judicium, in iis, quæ nos fecimus, vel non fecimus, ſpectandum quoque eſt debitum, ſpectanda inobedientia & negligentia.

gentia. Quamobrem qui humilis esse vult, accurate inquirere debet, quantum perfectionis consecutus fuerit, quanta adhuc imperfectione laboret, quid in illa acquirenda sibi, quid naturæ ac fortunæ debeat, quid in hac tribuendum sit negligentiæ suæ, & quatenus se spectat tanquam causam perfectionis, se considerare tanquam eum, qui fecit, quod facere debebat, quatenus vero agnoscit imperfectionem, quoad facta positiva tanquam inobedientem, quoad privativa tanquam negligentem.

Quamvis humilitas virtus sit homini maxime necessaria, ne incidat in fastum, vitium valde noxium, nec injurius fiat in Deum omnis boni datorem; pauci tamen sunt qui satis perspiciunt, quid sibi velit hæc virtus. Humilitas appetitum moderatur circa existimationem sui ipsius (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*). Præscribit autem lex naturæ, quomodo unusquisque de se sentire debeat (§. 574. & *seqq. part. 1. Jur. nat.*). Patet autem lege naturali ea præscribi, quæ in præsenti propositione urgemus, si omnimode verum esse debet de perfectione nostra judicium, sine quo humilitas non concipitur. Quamobrem quoque obligationem ad humilitatem non aliunde demonstravimus, quam quod lege naturali obligemur ad ea, quæ in propositione præsente urgemus (§. 582. *part. 1. Jur. nat.*). Supponimus voluntatem bonam in hypothesi propositionis præsentis, quæ generaliter determinata est ad committendum actiones legi naturæ, seu voluntati divinæ conformes (§. 121. *part. 2. Eth.*), quæ si adfuerit, legis naturæ scientia medium est virtutis, consequenter qui eam colere vult, sollicite observare debet, quæ lex naturæ præcipit. Ceterum cum ultra sphæram rationis in Philosophia morali non progrediamur; ea seponenda sunt, quæ ad humilitatem christianam pertinent a Theologo superaddenda, qui incipit, ubi Philosophus definit. Neque enim alio fine Theologiam a Philosophia dividimus, quam ut appareat, quæ-

quænam ex principiis rationis cognoſci poſſint, quænam cognoſci nequeant, ſed Theologiæ revelatæ propria ſint: id quod multiplicem habet uſum, noſtro præſertim ſeculo, in quo irreligionariorum numerus indies creſcit, &, ſi qui adhuc religionem naturalem admittunt, revelatam tamen rejiciunt. Sed de hoc uſu aliisque, quos habere poteſt accurata philoſophiæ a Theologia diviſio, ex inſtituto dicere in præſenti noſtrum non eſt. Quodſi vero conſideres ea omnia, quæ perpendenda & obſervanda ſunt ei, qui humilis eſſe voluerit; quam ardua atque difficilis virtus ſit humilitas, facile intelliges, nec minus facile perſpicies rationem, cur vera humilitas admodam rara ſit.

§. 491.

Quoniam humilis accurate inquirere debet in perfectionem ſuam, ut exactum de ea judicium ferat (§. 490.), judicium vero hoc coincidit cum judicio de merito famæ (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), & qui meritum famæ æſtimare vult, Juris naturæ & Ethicæ apprime peritus eſſe debet (§. 482.); quoque *Juris naturæ & Ethicæ apprime peritus eſſe debet.*

Scientia Juris naturæ & Ethicæ ad humilitatem requiſita.

De merito famæ judicaturus judicium ferre debet de virtutibus intellectualibus & moralibus, quibus inſtructus eſt (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); idem vero etiam eſt judicium, quod humilis de ſe ferre tenetur. Multo tamen amplius hoc patet, quia ad meritum famæ æſtimandum ſufficit, ut conſtet, te hisce virtutibus intellectualibus & moralibus inſtructum eſſe, non vero opus eſt, ut etiam agnoſcas, quantum in iis tibi, quantum naturæ ac fortunæ ſit tribuendum, & quomodo ea, quæ feciſti, ſpectanda ſint, neque etiam ſimul habenda eſt ratio imperfectionis. Quoniam humilitas ſupponit omnium virtutum ac vitiorum exactam cognitionem atque modi, quo virtutes acquiruntur; quanta Juris naturæ & Ethicæ cognitio ſupponatur, hinc colligitur:

§. 492.

Quod humilis Deum tanquam datorem omnis boni agnoſcere teneatur.

Humilis Deum tanquam datorem omnis boni cognoſcere debet. Qui enim humilis eſſe vult, in perfectione acquiſita diſcernere tenetur, quid ſibi debeat, ab eo, quod naturæ ac fortunæ tribuendum (§. 490.). Enimvero quicquid boni vel natura habemus, vel ſtudio ac labore noſtro acquiſivimus, aut quocunque modo alio, id omne Deo acceptum ferendum (§. 42. *part. 3. Eth.*). Humilis ergo Deum tanquam datorem omnis boni agnoſcere debet.

Ad quamcunque perfectionem homo pervenerit, eam in totum Deo acceptum ferre debet. Quamobrem cum Deum tanquam datorem omnis boni agnoſcere teneatur, nihil prorſus ſibi tribuere poteſt. Quando igitur dicitur; humilem diſcernere debere quod ſibi debet ab eo, quod naturæ ac fortunæ tribuendum; id intelligendum eſt reſpectu cauſarum ſecundarum: at quando aſcenditur ad cauſam usque primam, omnia ad Deum referenda.

§. 493.

Humilem omnem laudem ac honorem Deo tribuere & quomodo humilitas facilitetur.

Quoniam *humilis* Deum tanquam datorem omnis boni agnoſcere debet (§. 492.), ideoque agnoſcere, ſe perfectionem, quam acquiſivit, in totum Deo acceptam referre teneri (§. 42. *part. 3. Eth.*); ideo *ſe nil habere videt, de quo glorietur, quaſi hoc non acceperit*, & quoniam laus & honor nititur virtutibus intellectualibus atque moralibus (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), *honorem ac laudem omnem Deo, non ſibi tribui debere agnoſcit ac confitetur*, conſequenter *quod Deo debetur, ſibi non arrogat.* Atque hinc patet *humilitatem multum facilitari, ſi Deum datorem omnis boni agnoſcamus.*

Ad humilitatem conducit, ut omnia ad cauſam primam, qui Deus eſt, referre adſueſcamus. Et hoc medio utitur ſcriptura ſacra.

Digitized by Google

era ad humilitatem nos permotura, partim per præcepta, partim per exempla. Sane *Paulus* redarguit de ſe gloriantes interrogando 1. Cor. IV. 7. Quid habes, quod non accepiſti? Si autem acceperis quid gloriaris, quaſi non acceperis? Exemplum præbet *David*, quando *Pſalm.* CXV. 1. Non nobis, inquit, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Agnitio Dei datoris omnis boni medium humilitatis eſt, confeſſio autem ſincera ſignum hujus virtutis. Quamvis multi dicant, Deum eſſe datorem omnis boni, nec habere hominem quod glorietur, quaſi ab eo non acceperit; attamen cum non ſatis intelligant quid dicant, nec dependentiam perfectionis ſuæ ac ſtatus ſui a Deo intime perſpiciant, veritatis convicti non ſunt. Dant propemodum ſine mente ſonos, quibus nulla medela affertur arrogantiæ, faſtui ac ſuperbiæ.

§. 494.

Quoniam *qui humilis eſſe vult*, Deum datorem omnis boni agnoſcere debet (§. 493.); ut pateat, nos quicquid boni habemus a Deo accepiſſe, *dependentiam omnium a Deo tanquam cauſa prima intime perſpicere debet* (§. 473. *part.* 3. *Eth.*). *Quomodo Deus dator omnis boni, quod habemus, agnoſcatur.*

Si Deum datorem omnis boni, quod habemus, agnoſcimus, non modo laudem omnem, quam meremur ab hominibus aliis, nos Deo tribuimus, nec tanquam nobis competentem ſpectamus, verum etiam vanæ laudis affectationem averſamur, ultro agnoſcentes ea, ob quæ laudamur veram laudem parere non poſſe. Dum vera laus nobis tribuitur, Deum in nobis laudandum eſſe agnoſcimus, cujus ſapientia, potentia & bonitas erga nos prædicanda. Quando igitur ſtudemus, ut laude digni ſimus, cum animus procul remotus ſit a laudis appetentia (§. 479.), non aliud intendimus, quam ut Deus in nobis glorificetur. Quæ enim dicuntur naturæ & fortunæ partes in æſtimando merito famæ nobis non arrogandæ (§. *cit.*), cum Deus ſit naturæ noſtræ auctor (§. 822. *part.* 1. *Theol. nat.*), & fortuna

ſubſit providentiæ divinæ (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*) atque reſpectu Dei nulla ſit (§. 542. *part. 1. Theol. nat.*), eædem revera Dei ſunt, & ipſius eſſe agnoſcuntur, niſi in cauſis ſecundis acquieſcamus, ſed mens in cauſam primam Deum aſcendat. Videmus itaque, ſi a modeſtia & humilitate pietatem dividamus, utramque virtutem occulta adhuc quadam labe infici, ac inde eſt, ut, dum in cauſis ſecundis ſubſiſtimus, repugnantiam quandam adhuc in nobis ſentiamus, quando animus ad modeſtiam & humilitatem componendus, nec unde ea veniat advertamus. Qui nexum officiorum erga Deum ſatis perſpicit, quem demonſtravimus in parte tertia Ethicæ; is influxum quoque illorum in modeſtiam & humilitatem cognoſcet, ut de eo diſertius nobis dicendum non ſit. Non minus palam eſt, modeſtiam & humilitatem nulla labe conſpurcatam non eſſe expectandam absque Dei agnitione atque pietate infucata. Quodſi quis ſincerus fuerit pietatis cultor eaque obſervaverit, quæ de praxi officiorum erga Deum demonſtravimus in parte tertia Ethicæ, ejus animus ad modeſtiam & humilitatem jam diſpoſitus eſt, ſublata difficultate, quam deprehendimus, ſi de Deo non cogitantes utramque virtutem anhelemus, neque hæc difficultas tolletur, niſi animus ad Deum agnoſcendum & caſta mente colendum appellatur. Agnoſcant igitur, quantum veræ virtuti obſtaculum objiciant homines profani hujus ſeculi, qui omnem Numinis ſenſum ex animis hominum evellere nituntur, & quænam ſit ratio, cur ipſi ab omni modeſtia & humilitate prorſus ſint remoti, arrogantia, faſtu & ſuperbia turgidi.

§. 495.

De injuria in Deum, laude propria & ejus appetentia commiſſa.

Qui ſeipſum laudat laudesque ab aliis ſibi tributas ebuccinat variisque artibus impetrare ſtudet, ut laudetur; in Deum injurius eſt. Qui enim ſeipſum laudat laudesque ab aliis ſibi tributas ebuccinat, variisque artibus impetrare ſtudet, ut laudetur, is ſibi tribuit, quod Deo tribuendum (§. 493.). Quoniam igitur

igitur ſibi arrogat, quod Deo debetur, in jus Dei involat (§. 239. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum injuria in violatione juris alterius conſiſtat (§. 859. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſeipſum laudesque ab aliis ſibi tributas ebuccinat, & variis artibus impetrare ſtudet, ut laudetur; in Deum injurius eſt.

Patet hinc turpitudo laudis propriæ & appetentiæ laudis. Quamvis vulgo dicatur laudem propriam ſordere, quamvis reprehendatur appetentia laudis, inprimis ſi laudes emendicentur, quod multis modis fieri ſolet; pauci tamen ſunt, qui turpitudinem hanc penitus perſpiciunt, cum ad injuriam in Deum commiſſam animum non advertant. Videntur equidem ſibi videre, quod laus propria & anxia laudis appetentia hominem dedeceat; aſt quæſiti, cur dedeceat, rationem reddere nequeunt, aut afferunt parum firmam, quaſi moribus hominum arbitrio introductis minime conveniat, ut quis ſeipſum laudet, vel laudes ab aliis emendicet, aut laudi etiam meriti detrahatur, ſi propria aſſonet. Qui Deum agnoſcit & quemadmodum debet colit, ut in explendis officiis erga eum aſſiduus ſit; laudem propriam & appetentiam laudis maxime averſatur.

§. 496.

Humilis operam dat, ut ſit laude dignus propter Deum. Etenim humilis laudem omnem Deo, non ſibi tribuendam eſſe agnoſcit, Deoque debitam non ſibi arrogat (§. 493.). Quodſi ergo operam dat, ut ſit laude dignus; laudem non ſuam, ſed Dei intendit, nimirum ut Deus in ipſo laudetur. Quamobrem operam dat, ut ſit laude dignus propter Deum.

Quod humilis operam det, ut ſit laude dignus propter Deum.

Patet hinc intentio humilis per meritum laudis. Referatur hoc ad gloriam Dei, quam promovere debemus (§. 1148.

1148. *part. 1. Jur. nat.*), & ſic quoque Deum colit, dum operam dat, ut ſit laude dignus (§. 511. *part. 2. Theol. nat.*). Humilis itaque ſtudium merendi laudem pars quædam cultus divini eſt, & cum dilectione ſui propter Deum conſentit. Etenim cum meritum laudis referat ad gloriam Dei, hæc autem finis ultimus ſit, quem Deus per exiſtentiam hujus univerſi intendit (§. 629. *part. 1. Theol. nat.*); humilis meritum laudis dirigit in finem, propter quem Deus hoc univerſum, ipſumque etiam hominem (§. 115. *part. 3. Eth.*), condidit. Homo ſe diligit propter Deum, ſi dilectionem ſui dirigit in eum finem, propter quem Deus hoc univerſum ipſumque Deum condidit (§. 54.). Humilis itaque ſtudium merendi laudem propter Deum dilectioni ſui propter Deum maxime convenit. Qui ſeipſum diligit, perfectionem ſui ſtatusque ſui, quantum datur, promovere conatur (§. 58.), ideoque operam dat, ut laudem mereatur (§. 548. 552. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam humilis per meritum laudis Dei gloriam intendit; ſe non diligit niſi propter Deum (§. 54.), atque ideo humilitas cum dilectione ſui propter Deum copulatur, cumque dilectio propter Deum a charitate Dei dependeat (§. 56.), cum charitate quoque Dei. Hinc multa alia deduci poterant, ſi inſtitutum noſtrum permitteret latiorem diffuſionem. Si quis ea, quæ nos de virtutibus ſingulis demonſtramus, ſibi familiaria reddere & mutuum virtutum in ſe invicem influxum ſcrutari voluerit; multa reperiet, de quibus alias non facile incidiſſet cogitatio, nec ſine voluptate perſpiciet, quam amice virtutes omnes inter ſe conſpirent ſibique mutuo inexpectatas ſuppetias ultro ferant, nobis etiam non advertentibus, & quantum immutetur animus veræ virtutis cultura. Sæpius jam monuimus ac denuo inculcamus, nos in operibus noſtris ſaltem ſpargere ſemina, ut in aliorum agris efflorescant.

§. 497.

Digitized by Google

§. 497.

Humilis virtutes intellectuales & morales, quas acquisivit, tanquam Dei beneficium agnoscit. Agnoscit enim Deum tanquam datorem omnis boni (§. 492.). Quoniam itaque virtutes intellectuales & morales sunt bona animi (§. 715. *part.* 1. *Jur. nat.*); easdem quoque Deo acceptas referre debet. Enimvero per se patet, ab homine nihil fieri posse, ad quod faciendum non sit obligatus, cum omnes actiones suas ad gloriæ divinæ manifestationem dirigere obligetur (§. 250. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), ideoque homo nihil habeat, quod Deo dare possit, præter voluntatem suam, quatenus eidem sese obedientem præstat (§. 179. *part.* 3. *Eth.*), consequenter dare Deo nequeat, quod non jam ante sit ipsius (§. 180. *part.* 3. *Eth.*), nihil quoque eidem retribuere valet. Quoniam itaque Deus homini gratis dat omne bonum, cujus sit particeps (§. 18. *part.* 4. *Jur. nat.*), bonum autem omne, quod gratis datur, beneficium est (§. 20. *part.* 4. *Jur. nat.*); humilis virtutes intellectuales & morales, quas acquisivit, tanquam Dei beneficium agnoscit.

Humilis virtutes intellectuales & morales — *tanquam Dei beneficium agnoscit.*

Quando in virtutibus intellectualibus & moralibus naturæ ac fortunæ beneficium agnoscimus discernentes ea, quæ nobis debemus, & quæ naturæ ac fortunæ accepta sint referenda; ad causam primam non ascendimus. Atque hoc saltem usui est, quando definiendum, quantum laudis homini competat ob virtutes intellectuales & morales, quas habet, respectu scilicet hominum aliorum. Ast quando ad causam primam ascenditur, non modo ea, quæ naturæ ac fortunæ debentur, verum etiam quæ studio ac labori hominis tribuuntur, Deo vindicantur, ut agnoscatur, virtutes nostras intellectuales & morales in totum Deo deberi, sicque bonitas divina celebretur, quemadmodum veritati consentaneum.

§. 498.

De amore Dei humilitatis comite. Quoniam humilis virtutes intellectuales & morales, quas acquisivit, tanquam Dei beneficium agnoscit (§. 497.), beneficiorum vero divinorum repræsentatione excitatur amor Dei (§. 228. *part. 3. Eth.*); *si humilis virtutes intellectuales & morales considerat, quas acquisivit, amore Dei perfunditur.*

Amor Dei humilitatis comes est. Non est quod excipias, addendam esse restrictionem, si humilis Deum tanquam datorem omnis boni agnoscat. Ad humilitatem enim requiritur hæc cognitio (§. 492.), nec ea perfecta & ab omni labe pura concipitur, nisi omnis perfectio, quam acquisivimus, in totum Deo accepta feratur, sicque agnoscatur, nos nihil habere, de quo gloriemur, quasi hoc non acceperimus (§. 493.). Quamdiu homo putat, se adhuc habere, de quo tanquam suo gloriari possit; difficillime reprimetur appetentia gloriæ (*not.* §. 494.), quæ tamen cum humilitate minime consistit.

§. 499.

Quomodo humilis perfectione sua & laude delectetur. Quia humilis amore Dei perfunditur, dum virtutes intellectuales & morales, quas acquisivit, considerat (§. 498.), qui vero Deum amat, rebus aliis non delectatur, nisi propter Deum, quatenus nimirum ad amorem Dei ducunt (§. 255. *part. 3. Eth.*); *humilis virtutibus intellectualibus & moralibus delectatur propter Deum*, quatenus scilicet ex iis agnoscit bonitatem Dei (§. 497.), amoris Dei concitatricem (§. 230. *part. 3. Eth.*), consequenter *si propter eas laudatur ab aliis, laude delectatur; quatenus Deum in se glorificari agnoscit* (§. 493.).

Si humilis in faciem laudatur, rubore suffunditur, ut ipsa natura homini indidisse videatur sensum non sibi, sed Deo competentis laudis. Pudor hic, quem naturalem dicere licet, observatur in pueris bonæ notæ, quorum appetitus nondum

dum corruptus est: perversæ enim opiniones, quibus mens imbuitur, eundem supprimit. Qui vero ab humilitate pietatem non separat, quemadmodum separanda non est, pudorem quoque istum fovet, ut, si in faciem laudetur, molestiam quandam in se sentiat, quæ pudor nascens est. Equidem cum humilis sibi probe conscius sit imperfectionis suæ (§. 490.), cujus cogitationem excitat laus ipsi tributa, hæc ipsa quoque pudorem excitare valet (§. 779. *Psych. empir.*); hoc tamen non obstat, quo minus etiam cogitatio laudis præter meritum nobis tributæ, cum Deo tribuenda in totum esset, eundem conciter. Priori modo concitari potest, etiamsi quis humilis non fuerit, sed saltem conscius imperfectionis suæ, ad quam observandam invidos acuit laus sibi tributa; ast posteriori modo concitari nequit, nisi quis veræ humilitatis fuerit studiosus (§. 493.). Cumque jam plures observaverimus stimulos, qui natura homini inditi sunt, ut incitetur ad appetendum ea, ad quæ ratio ducit, nec absurdum videri potest, si pudorem quoque quendam naturalem, concitatum sensu laudis nobis minime, sed Deo conditori tribuendæ in penetralibus mentis veluti latentem admittamus. Theologi stimulos istiusmodi referent ad reliquias imaginis divinæ: quod ideo monemus, ne naturam nimium extollere velle videamur. Conformitas fidei & rationis hodie dudum agnita, consequenter quæ ex principiis rationis demonstrantur, contraria esse nequeunt iis, quæ in scriptura sacra docentur, quemadmodum in parte prima Theologiæ naturalis consensum a nobis demonstratorum cum scriptura sacra ostendimus, & in Philosophia quoque morali facile ostendere poteramus, si ad has ambages descendere voluissemus.

§. 500.

Voluptatis ex propria perfectione perceptio humilitati non repugnat, nec perceptio voluptatis ex laude merita modestiæ & humilitati; si quis tamen humilis & modestus fuerit, eandem non modo propria per-

Qualem voluptatem ex

fectione ac laude merita percipiat humilis & modeſtus.

temperat ſenſu imperfectionis ſuæ, verum etiam in voluptatem ex bonitate divina percipiendam vertit, ſeu hanc cum illa miſcet. Quoniam humilis verum de perfectione ſua judicium ferre debet (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*); eandem cognoſcat neceſſe eſt. Enimvero homini naturale eſt, ut, quando ſibi conſcius eſt perfectionis cujusdam ſuæ, voluptatem percipiat (§. 511. *Pſych. empir.*). Quamobrem voluptatis ex perfectione propria perceptio humilitati minime repugnat. *Quod erat primum.*

Laus vera oratio eſt, qua alii de perfectione noſtra judicium ſignificant (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque modeſtus laudem non appetat (§. 484.); cum tamen operam dare debeat, ut ſit laude dignus (§. *cit.*), neceſſe eſt ut veritatem judicii, quod fert laudator de perfectione ſua, agnoſcat. Patet igitur ut ante perceptionem ex laude propria modeſtiæ ac humilitati non repugnare. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero cum non minus modeſti, quam humiles eſſe debeamus (§. 565. 582. *part. 1. Jur. nat.*); modeſtia cum humilitate copulatur, ideoque modeſti & humilis de perfectione ſua idem eſt judicium. Quamobrem ſicuti humilis non modo inquirit in perfectionem, quam conſecutus eſt, verum etiam in imperfectionem, qua adhuc laborat (§. 490.); modeſtus quoque animum attendere debet ad imperfectionem, dum operam dat, ut ſit exiſtimatione, honore ac laude dignus (§. 484.). Quodſi nobis conſcii ſumus imperfectionis cujusdam, tædio afficitur animus, ſive moleſtia (§. 518. *Pſych. empir.*). Hæc igitur moleſtia, quando accedit ad voluptatem ex perfectione perceptam, *per demonſtrata n. 1. & 2.* hanc temperat. *Quod erat tertium.*

Deni-

Denique cum humilis virtutibus intellectualibus & moralibus delectetur propter Deum, quatenus ſcilicet agnoſcit ex iis bonitatem Dei (§. 499.), eandem vero non minus agnoſcere tenetur modeſtus, dum ſe exiſtimatione, honore ac laude dignum præſtat (§. 484.); humilis atque modeſtus voluptatem ex perfectione ſua atque laude perceptam in voluptatem, quæ ex bonitate divina percipitur, vertit, ſeu hanc cum illa miſcet. *Quod erat quartum.*

Sunt qui voluptatem ex perfectione propria perceptam ſimpliciter damnant, nec cum humilitate conſiſtere poſſe ipſius perceptionem ſibi perſuadent. Enimvero hi duplici modo a vero aberrant ſibique tacite contradicunt. Homo enim gratias agere debet ob bona ſibi collata (§. 1212. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut agnoſcat bona, quibus Deus ipſum beavit: ſunt vero in horum numero virtutes intellectuales atque morales (§. 715. *part. 1. Jur. nat.*). Has igitur agnoſcere tenetur. Jam vero homini naturale eſt, ut voluptate fruatur, quando ſibi conſcius eſt perfectionis ſuæ (§. 511. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo homo pro bonis animi Deo gratias agere velit, hoc fieri nequit, niſi voluptatem ex iis percipiat. Quamobrem cum gratiarum actionem, a qua perceptio voluptatis ex bonis, pro quibus gratiæ aguntur, ſeparari nequit, urgeant; ſibimetipſis contradicunt, dum contendunt hominem cognoſcere debere beneficia divina, ex iis tamen non percipere voluptatem, conſequenter nec propter virtutes intellectuales & morales ſibi placere (§. 542. *Pſych. empir.*). Condonandum hoc eſt inſcitiæ Pſychologiæ, ſine qua naturam hominis perſpicere non datur, & ignorantiæ ſyſtematis veri nominis, ſine quo nexus veritatum non inſpicitur. Nam propterea facillime contingit, ut exigantur ab homine, quæ ſunt contra naturam ipſius in ſe immutabilem, & contradictiones, in quas inciditur, non animadvertantur, malaque conſequentia tribuantur aliis, quam ſuis cauſis.

fis. Quodſi in Pſychologia fueris ſatis verſatus & veritatum nexum ex ſyſtemate cognitum atque perſpectum habueris; veritatem nudam & incontaminatam quo minus intuearis nihil amplius obſtabit. Voluptas ex perfectione propria percepta non eradicanda, id quod impoſſibile, nec, ſi fieri poſſet, conſultum foret; ſed ſaltem moderanda & ad rectum finem dirigenda. Moderatur duplici modo, primum ſcilicet, ſi cavetur, ne perfectionem apparentem cum vera confundamus, ut nobis videamur, qui non ſumus: deinde cum in imperfectionem, qua adhuc laboramus, aciem mentis intendimus, ne nobis videamur meliores, quam ſumus, & tædium inde perceptum miſceatur voluptati, quam ſenſus perfectionis creat. Dirigitur voluptas in rectum finem, dum bona animi, quæ poſſidemus, in numerum beneficiorum divinorum in totum referimus, nihil nobis reſervantes, de quo gloriari poſſimus, quaſi non acceperimus (§. 493.). Ita nimirum voluptas ex bonitate divina percepta gignit charitatem Dei, ut ipſi placere ſtudeamus (§. 241. *part. 3. Eth.*): & incenditur ardor majores indies in bono profectus faciendi, ſicque cum gratiarum actione conjungitur invocatio Numinis (§. 1211. 1219. *part. 1. Jur. nat.*) & Deus colitur in veritate (§. 1234. *part. 1. Jur. nat.*), qui veritatis omnis autor eſt (§. 290. *part. 1. Theol. nat.*) & hypocryſin averſans (§. 1163. *part. 1. Jur. nat.*) ab homine in ſe colendo exigit omnium facultatum uſum & plenum uſus omnium conſenſum (§. 1162. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 501.

An modeſtiæ, humilitati ac pietati repugnet gloria ſtimulari ad facieudos in bono profectus.

Modeſtiæ, humilitati & pietati non repugnat, ut gloria ſit ſtimulus ad profectus in virtutibus intellectualibus & moralibus indies majores faciendos. Modeſtus enim, quamvis ſeipſum laudare, nec laudes ab aliis ſibi tributas ebuccinare, neque tribuendas emendicare debeat (§. 486. 488.), hoc tamen non obſtante operam dare tenetur, ut ſit laude dignus & famam, ideoque gloriam (§. 553. *part. 1. Jur. nat.* & §. 47. *Jur. Gent.*), merea-

Digitized by Google

mereatur (§. 484.). Quamobrem cum gloria concitetur, ſi cogitemus, quid boni atque periti de iis, quæ bene ac recte fecimus, & de bonis animi, quibus gaudemus, judicaturi ſint (§. 769. *Pſych. empir.*), atque tendat ad bene & recte faciendum, quod faciendum non eſt, ac ubi oritur ex judicio de eo, quod jam fecimus, ſtudium bene ac recte faciendi acre efficiat (§. 371. *part. 2. Eth.*); modeſtiæ minime repugnat, ut ſit ſtimulus ad profectus in virtutibus intellectualibus & moralibus indies majores faciendos. *Quod erat primum.*

Similiter cum humilitati non repugnet voluptas ex laude merita percepta (§. 500.), in hac autem voluptate gloria conſiſtit (§. 765. *Pſych. empir.*), quæ ſtudium bene ac recte faciendi acre efficit (§. 371. *part. 2. Eth.*); humilitati quoque non repugnat, ut gloria ſit ſtimulus ad profectus in virtutibus intellectualibus & moralibus indies majores faciendos. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum humilis laude vera delectetur, quatenus Deum in ſe glorificari agnoſcit (§. 499.), laudem nimirum omnem referens ad Deum boni omnis datorem (§. 493.), id quod pietatis eſt (§. 339. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nec pietati repugnat, ut gloria ſit ſtimulus ad profectus indies majores in virtutibus intellectualibus & moralibus faciendos. *Quod erat tertium.*

Cupiditas laudis tendit ad laudem conſequendam (§. 388. *part. 2. Eth.*), ideoque laudis cupidus laudem appetit: cujus appetentia cum mala ſit, cum eam intendere non debeamus tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), ipſa quoque laudis cupido mala eſt. Cum hac laudis cupidine non confundenda eſt cupiditas, quam affectus, qui gloria vocatur & quem ſtimulum eſſe oſtendimus ad præclara præſtanda abſque ulla ſpe lucri (§. 771. *Pſych. empir.*), in ſe continet.

Hæc

Hæc enim tendit ad bene ac recte faciendum, quod faciendum eſt (§. 573. *part. 2. Eth.*), & ab hac cupiditate gloriæ vim ſtimuli ad profectus indies majores in virtutibus intellectualibus & moralibus faciendos acquirit; illa vero ad laudem conſequendam, ut eadem ſatietur appetitus. Quamvis itaque gloria natura homini inſit, non tamen cupidinem laudis continet; ſed ubi hæc accedit, labe quadam conſpurcatur & appetitum vitiat. Pietate autem in recto tramite retinetur, quatenus laudem, quæ nobis tribuitur, in totum Deo vindicamus & virtutibus intellectualibus & moralibus propter Deum delectamur, nec aliter nos delectet laus, quam quatenus Deus in nobis glorificatur, quemadmodum de humili modo oſtendimus (§. 493. 499.). Ita nimirum gloriam divinam promovemus (§. 610. *part. 1. Theol. nat.*), quemadmodum debemus (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*), & meritum laudis, ad quod obligati ſumus (§. 546. *part. 1. Jur. nat.*), dirigitur in finem, ob quem homo a Deo conditus, nimirum gloriam ipſius (§. 115. *part. 3. Eth.*). Subtiliter omnia diſtinguenda ſunt, ut bonum a malo recte dividatur: pietas vero hoc ſingulare habet, ut voluptatem ex propria perfectione perceptam ac laudem ob eandem nobis tributam intra limites juſtos coërceamus, ut, ſi vel maxime ſufficiente acumine ad ſingula diſcernenda deſtituamur, a recto tamen tramite non abducamur, dum gloria ſtimulamur ad profectus indies majores in virtutibus intellectualibus & moralibus faciendos. Monui jam alias, ſi quis indefeſſam virtuti omni operam navat, juxta normam lege naturali præſcriptam, animum in bene multis ad rectitudinem agendi veluti ſua ſponte componi, etiamſi de eo expreſſe non cogitet, & magnam in eo eſſe vim pietatis omne virtutis ſtudium ea de cauſa facilitantis. Philoſophus vero, cujus eſt rationem eorum reddere, quæ fiunt (§. 31. *Diſc. prælim.*), omnia, quæ influunt, in determinationem appetitus, a ſe invicem diſcernere debet, ut quam pulchre lex naturæ ſibi per omnia ſit conſentiens & rationi maxime conſentaneum, appareat. Velim hæc probe perpendantur, ne

in

in præjudicium veritatis deproperetur judicium, nondum ſatis intellectis iis, quæ accurate trutinanda ſunt. Quodſi viſum fuerit Theologo hæc omnia accurate diſcutere, conformitatem fidei & rationis mirificam deprehendet: id quod noſtro præſertim ſeculo profano plurimum conducet ad confundendos irreligionarios & tela ipſorum in ipſos retorquendum. Theologus enim philoſophus, id quod in adoleſcentia mea inculcatum fuiſſe memini a præſtantiſſimo Theologo Vratislavienſi *Neumanno*, plus videt in ſcriptura ſacra, ideoque etiam in Theologia, quæ ex hoc fonte hauritur, quam philoſophiæ ignarus, modo philoſophiam veram a pſeudophiloſophia diſcernas. Dudum autem agnoverunt Theologi præclari, philoſophiam, quam nos profitemur, pulcherrime cum Theologia conſpirare.

§. 502.

Modeſtia, humilitas & pietas ſororio vinculo copulantur. Lex naturæ enim vult, nos dare operam, ut ſimus exiſtimatione, honore atque laude digni (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque virtutibus intellectualibus & moralibus aſſiduam operam navemus (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), exiſtimationem tamen, honorem ac laudem non intendamus tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), ſed potius gloriam Dei (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*), cujus promovendæ cauſa a Deo conditi ſumus (§. 115. *part. 3. Etb.*), quicquid boni natura habemus, & quicquid quomodocunque acquirimus, id omne Deo datori acceptum ferentes (§. 1208. *part. 1. Jur. nat.*) & ob bona nobis collata eundem celebrantes (§. 1209. *part. 1. Jur. nat.*), neque etiam plus perfectionis & circa eandem plus ſibi tribuere, quam veritati conſentaneum (§. 575. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero qui appetitum circa honorem, conſequenter etiam laudem (§. 544. *part. 1. Jur. nat.*), legi naturæ convenienter

De nexu modeſtiæ, humilitatis & pietatis.

moderatur, modeſtus eſt (§. 563. *part. 1. Jur. nat.* & §. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi de ſeipſo ſentit, uti par eſt, verum ſcilicet de perfectione ſua judicium ferens, humilis eſt (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*) & ſi gloriam Dei promovet, pius eſt (§. 111. *part. 3. Eth.*). Quamobrem ſi quoad honorem atque laudem ea obſervamus, quæ lex naturæ præcipit; modeſti, humiles & pii ſumus, conſequenter modeſtia, humilitas & pietas ſororio vinculo copulantur.

Modeſtia & humilitas adeo arcto vinculo connectuntur, ut harum virtutum una ſubſiſtere non poſſit, ſi ab altera recedas: quod facile intelligitur, modo in utraque verum de perfectione animæ, virtutibus nimirum intellectualibus & moralibus (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), judicium ſupponatur, quemadmodum ſupponi debet. Omnis enim virtus ſola veritate nititur. Quemadmodum vero pietas eſt complementum omnis perfectionis humanæ (§. 113. *part. 3. Eth.*), ideoque etiam omnis virtutis (§. 548. *part. 1. Jur. nat.*), hujusque ſtudium facilitat (§. 344. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ita etiam ſine ea modeſtia & humilitas nondum perfecta eſt, & eadem utriusque ſtudium facilitatur. Falſo igitur ſibi perſuadent ſe eſſe humiles, qui parum ſunt modeſti, aut ſe modeſtos & humiles eſſe, ut quoad utramque virtutem nihil a ſe deſiderari poſſit, qui pietatem ab ea ſeparant. Qui de eadem hactenus demonſtrata perpendit, quam neceſſaria ſit pietas, ut modeſtia & humilitas non ſit naſcens, ſed perfecta, abunde intelliget. Niſi modeſtia cum humilitate & cum utraque pietas ſocietur, varios defectus, nec labem unam tam in modeſtia, quam humilitate notabis.

§. 503.

De medio magnanimitatis.

Media modeſtiæ ſunt etiam media magnanimitatis: præſentiſſimum autem remedium eſt, ſi humilitati ſocietur pietas. Quemadmodum enim modeſtus moderatur appetitum circa honores

(§. 563.

(§. 563. *part. 1. Jur. nat.*); ita etiam magnanimus eundem moderatur circa honores magnos legi naturæ convenienter (§. 564. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero lex naturæ de honore, quantuscunque fuerit, eadem præcipit, nullo facto discrimine inter honores magnos & parvos (§. 545. *& seqq. part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem quæ consideranda sunt, ut sis modestus; ea etiam consideranda sunt, ut sis magnanimus, modo probe perpendas, quæ lex naturæ de honore præcipit, ea valere de honore quocunque, nec ullam in iis attendi magnitudinis differentiam. Media igitur modestiæ & magnanimitatis eadem sunt. *Quod erat unum.*

Si humilitati sociatur pietas, quemadmodum sociari debet, cum & pii (§. 1128. *part. 1. Jur. nat.*), & humiles esse debeamus (§. 582. *part. 1. Jur. nat.*); Deus dator omnis boni agnoscitur (§. 492.) & omne bonum, cujus participes facti sumus, in numerum beneficiorum divinorum refertur (§. 497.), Deoque laus omnis tribuitur (§. 493.), ut nomen divinum celebretur (§. 1204. *part. 1. Jur. nat.*). Quantoscunque igitur consecutus quis fuerit honores, quantamcunque laudem & famam, sive gloriam; non tamen propterea sese effert insolentius. Quoniam itaque appetitum moderatur circa magnos etiam honores legi naturæ convenienter, qui vero hoc facit magnanimus est (§. 564. *part. 1. Jur. nat.*); præsentissimum magnanimitatis medium est, si humilitati societur pietas. *Quod erat alterum.*

In moralibus unice standum est veritate, sepositis turbæ opinionibus. Quamobrem cum virtutes intellectuales & morales pariant existimationem, honorem atque laudem (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*) & facta inde profecta existimatione, honore ac laude dignum probent (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*); honor magnus æstimandus est ex gradu virtutum intellectua-

lium & moralium, ideoque præclaris factis, quæ inde proficiſcuntur. Quoniam qui humilis eſt, non modo bona animi, quæ conſecutus eſt, verum etiam occaſionem præclara præſtandi oblatam beneficiis divinis in totum accenſet (§. 497. 493.); quo majore honore, qua laude majore ac gloria potitur, eo majora eſſe agnoſcit beneficia divina, quibus mactatur, ideoque ardorem Deo gratias agendi tanto vehementius intendit. Hæc vera magnanimitatis indoles eſt: neque enim aliter vi legis naturæ, virtutum omnium normam (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), concipi poteſt. Nemo non agnoſcit, niſi veritatum moralium fuerit prorſus ignarus, ita concipiendam eſſe magnanimitatem, quamvis in ſtatu civili nulla introducta fuiſſet inæqualitas, ſed quos natura æquales fecit (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), iidem quoque cereroquin æquales quoad ſtatum externum æquales permanſiſſent. Virtus cum tota nitatur lege naturæ (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quæ prorſus immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*), prorſus & ipſa immutabilis, ideoque facto hominum, quo introductus eſt ſtatus civilis (§. 4. *part. 8. Jur. nat.*), ne quicquam mutari potuit. Quamobrem nec magnanimitas in ſtatu civili alia eſt, quam concipi poteſt in ſtatu naturali, ſeu nullo reſpectu habito ad civilem, etſi in ſtatu civili nacta fuerit occaſionem ſeſe dilucidius atque apertius explicandi, eumque majora quoque experiatur obſtacula, quæ vincenda ſunt, nec adeo facile vincuntur, majorem ſimul ſplendorem. Quod vero turba magnanimitatem reſtringat ad eos, qui dignitatibus in Rep. eminent; inſcitiæ tribuendum. Ponamus hominem, qui nulla dignitate conſpicuus eſt, ſed cujus præclara ſunt in ſcientiam merita, ab omni appetentia laudis habere animum alienum, nec fama magna, quam conſecutus, efferri; ecquis negare aufit, ipſum eſſe magnanimum, niſi quid ſit magnanimitas nondum ſatis intelligat? Ponamus ſimiliter hominem cujuscunque conditionis virtute plurimum præſtare, ut gloria vera excellat. Quodſi etiam hic laudem minime appetat, nec eadem efferatur, ſi virtutes ejus præ-

prædicentur & ipſe ob eas maxime exiſtimetur a bonis atque peritis; ecquis non dixerit magnanimum, ſi virtutum notiones ſatis diſtinctas habuerit? Enimvero quia in ſtatu civili, in quo degimus, dominantur opiniones virtuti inimicæ; ne impedimento ſint, quo minus modeſti & magnanimi humilesque ſimus, noſtrum adhuc eſt, ut eas corrigamus.

§. 504.

Dignitates civiles verum honorem veramque laudem non pariunt, niſi quatenus meritis in Remp. virtus illuſtratur. Dignitates civiles in titulis & præcedentia conſiſtunt (§. 765. *part. 8. Jur. nat.*), qui cum ſint modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus a ſingulis exhibendum (§. 764. *part. 8. Jur. nat.*), iis ornandi bene ac præclare de Rep. merentes (§. 766. *part. 8. Jur. nat.*). Qui bene ac præclare de Rep. meretur, honorem quoque, ideoque & laudem (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*) meretur (§. 761. *part. 8. Jur. nat.*). Dignitates igitur civiles verum honorem veramque laudem non pariunt, niſi quatenus bene de Rep. meritus iisdem ornatur. Quoniam vero de Rep. bene mereri nequit, niſi qui bonum publicum pro virili promovet (§. 239. *part. 8. Jur. nat.*), per ſe autem patet, cum qui bene de Rep. mereri vult, non modo noſſe debeat, quid ad bonum publicum promovendum a ſe requiratur, verum etiam habere animum id pro virili promovendi & in eo promovendo omnem adhibere diligentiam, egregia in Remp. merita ex virtutibus intellectualibus & moralibus, veri honoris veræque laudis creatricibus (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*) promanare; dignitates civiles verum honorem veramque laudem non pariunt, niſi quatenus meritis in Remp. virtus illuſtratur. *Quando dignitates civiles honorem verum laudemque pariant.*

Virtutes intellectuales & morales produnt facta, ex quibus æſtimantur. Et in factis inde profectis conſiſtunt quoque meri-

merita in Remp. ob quæ debetur honor civilis, cujus cauſa bene de Rep. merentibus dignitates civiles conferuntur. Atque hoc modo intelligitur, qua ratione meritis in Remp. virtutes illuſtrantur. Si dignitatibus civilibus nulla reſpondent merita, honor quoque civilis nullus eſt, & vix umbra honoris vocari meretur. Quamobrem nec fieri poteſt, ut veram pariant exiſtimationem atque laudem. Condonandum eſt vulgo imperito, quod de meritis in Remp. judicium ferre neſcit, ſi dignitatibus civilibus, quæ in titulis & præcedentia conſiſtunt, exiſtiment alios; minime vero peritis, qui ex meritis alios exiſtimare debent, ut ipſas in veritate honorent laudibusque meritis extollant. Qui bene de Rep. meretur, ejus virtutes utiles ſunt civitati, cum in ſalutem civitatis impendantur. Facta autem, quibus publicum bonum promovetur, ſunt magis ſuſpicienda, quam quæ tendunt in bonum privatum, quantum bonum publicum præſtantius privato, & ideo ab illis virtutes acquirunt majorem ſplendorem, utut utraque facta easdem virtutes probent.

§. 505.

Quid faciendum iis, qui dignitatibus civilibus fulgent.

Quoniam dignitates civiles verum honorem veramque laudem non pariunt, niſi quatenus meritis in Remp. virtus illuſtratur (§. 504.), unusquisque autem operam dare debet, ut ſit exiſtimatione & honore atque laude dignus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*); *qui dignitatibus civilibus eminet, operam dare debet, ut meritis in Remp. præſtet.*

Qui meritis in Remp. deſtituitur, nullum quoque honorem, laudem nullam meretur. Quando igitur ipſi defertur honor civilis, aut dignitates civiles laudi ipſius imputantur; perinde eſt ac ſi quis laude ornetur, quæ ipſi minime competit: utrobique verba quantumvis præclara & magnifica revera non ſunt niſi ſine mente ſonus. Vulgus non novit honorem alium, niſi dignitates civiles: de honore vero, de quo ante dixi-

diximus, non cogitat. Quoniam vero pauciſſimi ſunt, qui dignitate civili præſtant; eidem adjungit divitias, quaſi etiam hæ pariant honorem atque laudem. Eruditi tandem addunt eruditionem & ſcientiam. Atque hinc naſcuntur ſpuriæ de honore ac laude opiniones, quibus faſcinantur animi hominum, tot vitiorum tantorumque ex iis propullulantium malorum genetrices.

§. 506.

Quia dignitates civiles verum honorem veramque laudem non pariunt, niſi quatenus meritis in Remp. virtus illuſtratur (§. 504.); *qui operam dat, ut verum honorem veramque laudem mereatur, dignitates civiles, quæ nulli officio publico adhærent, parum curat, quodſi vero adhæreant officio quo fungitur, omnem dat operam, ut officii ſui partes omnes adimplens præclare de Rep. mereatur, &, ſi propter merita dignitate aliis æquiparetur, hoc ſtimulo utitur, ut eodem officio fungentes præclaris meritis ſuperet* (§. 545. 550. *part. 1. Jur. nat.*).

De eo, qui operam dat, ut vero honore ac laudi ſit.

Qui officio publico funguntur, quemadmodum debent, bene de Rep. merentur (§. 884. *part. 8. Jur. nat.*), quamvis varient merita pro diverſitate officiorum, æſtimanda nimirum ex qualitate negotiorum in utilitatem Reip. vel gerendorum, vel executioni dandorum (§. *cit. part. 8. Jur. nat.*). Quoniam in Rep. curæ habendum, ut, qui bene de eadem merentur, a ceteris honorentur (§. 761. *part. 8. Jur. nat.*); ideo dignitates civiles, quæ in titulis & præcedentia conſiſtunt (§. 765. *part. 8. Jur. nat.*), iisdem ſunt annexæ, ut honorificum ſit officium. Solent vero etiam dignitates civiles, quæ certis officiis adhærent, ſine officio attribui aliis, qui officio minoris dignitatis præſunt, ſed eodem præclare admodum funguntur, ut propter merita ſingularia, quibus inter ſuos eminent, ab iisdem diſtingvantur, cum eſſe debeant præmia meritorum inſignium in Remp. (§. 768. *part. 8. Jur. nat.*).

nat.). Dignitates igitur civiles in duo genera diſtingvuntur, quarum ſcilicet aliæ officium quoddam publicum ſimul connotant, aliæ vero non item. Differentia igitur hæc probe attendenda, ubi definiendum, qualem curam honori ac laudi habere debeamus, ne a modeſtiæ ac humilitatis tramite declinemus, nec vano honore vanaque laude delectemur & hac abſurda voluptate, quod frequenter fieri ſolet, in varia vitia trahamur. Dignitates civiles neutrius generis ſunt contemnendæ, modo vitetur abuſus: rectus enim eorum uſus, quem in Jure naturæ demonſtravimus, & rationi conformis, & utilis eſt. Neque modeſtiæ, neque humilitati repugnant, cum, ſi merita connotent, ad verum honorem veramque laudem ſint referendæ, conſequenter de iisdem notanda, quæ de honore ac laude in anterioribus demonſtrata.

§. 507.

De appetentia honoris ac laudis ambitioſorum.

Ambitioſus non modo honorem & laudem meritam, verum etiam immeritam appetit, immo etiam dignitates civiles officio, quo fungitur, minime adhærentes, parum ſollicitus, utrum eas mereatur, nec ne. Etenim ambitioſus cupiditate honoris, ideoque etiam laudis (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*), inſatiabili flagrat, honorem tanquam finem ultimum eorum, quæ facimus, intendens (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem honorem ac laudem quamlibet appetit, quam ſe conſequi poſſe putat, parum ſollicitus, utrum eandem mereatur, nec ne, ideoque etiam dignitates civiles officio ſuo minime adhærentes affectat, quia opinione turbæ honor in titulis & præcedentia conſiſtit, ac iisdem eminere laudi ducitur, conſequenter nec in hisce ſpectat meritum, quod titulis & præcedentiæ vim ſignificandi addit (§. 388. *part. 2. Eth.*).

Quia titulis & præcedentia in ſtatu civili diſcernuntur homines, ita ut iis, qui meliores habentur, majores tribuantur

tur

tur tituli & præcedentia competat; hinc enata eſt opinio turbæ, quod honor æſtimandus ſit ex titulis & præcedentia & ſumma laus in eo conſiſtat, ſi quis dignitatibus civilibus eminet. Cum ſenſus æqualitatis naturalis introducta inæqualitate in ſtatu civili non penitus extinctus ſit; animos hominum tacite inceſſit cupido æqualitatis, ut nolint eſſe aliis inferiores, quæ, quamprimum voti ſui damnantur, cum videant appetitum non ſatiari, degenerat in cupidinem ſuperioritatis, ut velint aliis eſſe ſuperiores. Atque ita naſcitur cupido dignitatum civilium, ut vel officium, cui major dignitas adhæret, anhelent, vel ubi ſe id conſequi poſſe deſperant, nudos titulos & præcedentiam inhient. Quodſi fortuna favet, ut absque ullo merito titulis non tam ornentur, quam onerentur, ſe jam meliores ſibi facti videntur, & hac perverſa opinione in vitia varia trahuntur, de quibus diſertius dicemus. Vide, quæ alias de eadem re jam demonſtravimus & annotavimus (§. 174. 175. *part. 2. Eth.*).

§. 508.

Quoniam ambitioſus honorem & laudem etiam immeritam & dignitates civiles officio ſuo minime adhærentes appetit, parum ſollicitus, utrum eas mereatur, nec ne (§. 507.), quicquid vero homines appetunt, id ſibi repræſentant tanquam bonum (§. 892. 893. *Pſych. empir.*); *ambitioſus bonum ex eo æſtimat, quod promiſcue honorem quemcunque ac laudem quamcunque parit, ſive meritam, ſive immeritam, ſive veram, ſive apparentem.* *Principium ambitioſi, quo bonum dijudicatur.*

Ambitioſos plerumque vexat cupido honoris vani laudisque vanæ; & eruditorum potiſſimum eſt, ut aliquid veritati tribuant quoad virtutes intellectuales, quas tamen raro æſtimant, quemadmodum conveniebat, laudem tamen veram præter meritum appetentes. Titulomania (liceat enim de re barbara barbaro uti vocabulo) noſtro inprimis ſeculo præ-

ſertim inter nos dominatur. Hinc videas alios excogitare nova nomina, quibus officium, quo funguntur, ſignificatur, quaſi jam majore dignitate fulgeant. Alii ambiunt titulos, quibus certa officia publica deſignantur, ut videantur, qui non ſunt, aut ſi ad ipſa officia admoveantur, titulum loco ſalarii acceptant, ut fruantur dignitate, haud raro absque meritis, immo ſubinde non ſine detrimento boni publici. Alii ab adulatoribus ſibi titulos minime convenientes tribui patiuntur, ut aliis, quibus competunt, pares videantur, ideoque jam fere neſcias, quibus titulis colendi ſint ipſis dignitate ſuperiores. Cum iſtiusmodi ſtultorum plena ſint omnia, non opus eſſe videtur, ut de iis, qui ubivis videri poſſunt, multa dicamus.

§. 509.

De laude propria & emendicata ambitioſorum.

Similiter quia *ambitioſi* laudes immeritas appetunt (§. 507.); *ſe ipſos laudare ſolent, ſive per ſe, ſive per alios, laudes ab aliis ſibi tributas ebuccinant, easque variis artibus impetrare ſtudent.*

Exempla laudum propriarum & emendicatarum præbent eruditi, qui de ſcientia & eruditione ſua gloriantur, atque favorem autorum diariorum eruditorum & novellarum aucupantur, ut ab iis laudentur variisque encomiis ornentur. Dant litteras ad viros præclari nominis in Rep. litteraria, & de reſponſoriis, quas acceperunt, non modo gloriantur, ſæpius parum commoda occaſione, ſed etiam easdem typis deſcriptas evulgant, & vel integras, vel excerpta ſcriptis, quæ edunt, inſerunt, immo judicia privata de ſpecimínibus ſuis, haud raro ab idiotis, aut adulatoribus profecta libris ſuis præfigunt. Huc etiam referas carmina in laudem ſui compoſita ab hominibus, qui de meritis ipſorum judicium ferre neſciunt. Hæc tanto avidius diſtribuunt, quanto altius in iisdem extolluntur, quamvis pſittacorum lingva. Immo regalem fere cultum expetunt tanquam Principes in eo ſcientiarum

tiarum genere, in quo vix ac ne vix quidem tyrocinia depoſuere, aut vulgares admodum fecerunt progreſſus. Neſcio quem ſplendorem ſibi imaginantur, dum ab humi ſerpentibus inter ſtellas primi honoris evecti ſibi videntur, quarum ſplendor æmulatur jubar ſolis. Tanta eſt veſania eruditorum, quos ambitio vexat, cum tamen parum profecerint, qui, dum in litteris proficiunt, in moribus tam turpiter deficiunt.

§. 510.

Arrogans ſibi perſuadet, ſe honorem ac laudem dignitatesque civiles, quas appetit, mereri, quamvis non mereatur. Qui enim ſibi perſuadet, ſe honorem ac laudem dignitatesque civiles, quas appetit, mereri, quamvis non mereatur; is ſe honore ac laude dignum eſſe exiſtimat, qua non eſt. Sed qui exiſtimat ſe eſſe honore dignum, quo non eſt, ideoque etiam laude (§. 544. *part. 1. Jur. nat.*), arrogans eſt (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*). Arrogantis igitur eſt ſibi perſuadere, ſe honorem ac laudem, dignitatesque civiles (§. 764. 765. *part. 8. Jur. nat.*) mereri. *Arrogantis de honore ac laude opinio.*

Arrogans eſt Mathematicus, qui, cum Geometræ ſummi laude merita fruatur, ſe quoque laudem Philoſophi ſummi mereri exiſtimat, quamvis hoſpes ac peregrinus in omni Philoſophia in ſubſelliis tyronum locum occupare teneatur, ſi rebus alienis ſeſe immiſcet. Dignitates civiles, quæ in titulis & præcedentia conſiſtunt (§. 765. *part. 8. Jur. nat.*), cum ſint modi apti ad honorem bene de Rep. merentibus a ſingulis exhibendum (§. 764. *part. 8. Jur. nat.*), non alium habent uſum, quam ut bene de Rep. merentes a ceteris honorentur (§. 761. *part. 8. Jur. nat.*). Quodſi ergo quis meritis præclaris in Remp. non eminet, ſed dignitates civiles, ſeu titulos atque præcedentiam ſaltem appetit, ut vel par videatur aliis, vel aliis quoque ſuperior; arrogantiæ ipſius hoc tribuendum.

§. 511.

Arrogantem ſibi videri, qui non eſt.

Quoniam *arrogans* ſibi perſuadet, ſe mereri honorem ac laudem dignitatesque civiles, quas appetit, quamvis non mereatur (§. 510.); *ſibi videtur eſſe, qui non eſt, aut ſaltem major, quam eſt.*

Ita Mathematicus laudem immeritam Philoſophi affectans ſibi videtur eſſe Philoſophus, cum non ſit, ex merito in Geometriam æſtimans meritum in Philoſophiam, quod nullum eſt. Similiter ſi quis titulo ornatur, qui officio ſuo, quo fungitur, non adhæret, præter meritum ſuum; is ſibi par videtur ei, qui officio publico fungitur, quod hoc nomine inſignitur, aut qui dignitate civili fruitur ob ſingularia in Remp. merita. Arrogans nimirum de merito honoris ac laudis non ſtatuit ex veritate, ſed præjudicatis opinionibus mentem præpeditam habet, ne cernat verum, quamvis cernere poſſet, niſi acumen ſuum in ſe deſiderari pateretur. Ita Mathematicus, conſcius ſibi acuminis ſui in iis, quæ ad Geometriam ſpectant, falſam fovet opinionem, quaſi acumine, quo adeo feliciter utitur in Geometria ſublimiori, eadem felicitate uti etiam poſſit in Philoſophia, cui quod non eandem operam navaverit, quam Geometriæ, ſatis ſibi conſcius eſt, cum tamen abunde ipſi conſtare potuiſſet, ſine principiorum cognitione veritatem ex iis derivandam perſpici non poſſe, quantacunque fuerit mentis acies. Ecquis viſu pollens videre poteſt ea, quæ a conſpectu ſuo procul remota ſunt? Ut veritatem perſpicias, neceſſe eſt ut intuearis nexum propoſitionis, de qua judicium ferendum, cum principiis, ex quibus longa haud raro ratiociniorum concatenata ſerie deducitur. Ignorans itaque principia, quomodo fieri poterit, ut certus ſis, num legitima conſequentia ex iis deducatur propoſitio & num principia, ex quibus deducitur, ſint firma atque indubitata. Oſcitantia igitur acumen obtundit, dum ultra limites ſuos incaute profertur. Similiter qui ob pares titulos ſibi par eſſe videtur aliis facile videre poterat, titulos eſſe

eſſe vocabula inania, niſi quoddam ſignificent quod nobis inhæret, nimirum merita in Remp. ob quæ inventi ſunt & tribuendi: neque enim adeo ingens acumen requiritur, ut videas, vocabula eſſe nomina rerum & abſurdum eſſe, ut quis ſibi videatur vir magnus propter nomen, quod quid denotet ignorat. Cui ſano placet res ſibi prorſus ignota?

§. 512.

Similiter quoniam arrogans ſibi perſuadet, ſe honorem atque laudem, quam appetit, mereri, quamvis non mereatur (§. 510.), *ambitioſus* vero honorem quoque immeritum laudemque immeritam appetit (§. 507.), *ſi honorem immeritum laudemque immeritam appetens ſibi perſuadet, quod mereatur, ad ambitionem arrogantia accedit.*

Quando arrogantia ad ambitionem accedat.

Non omnis ambitioſus etiam arrogans eſt, etſi arrogantia cum ambitione plerumque copuletur, præſertim ſi ambitioſi dignitates civiles inhient. Fieri nimirum poteſt, ut ambitioſus non affectet niſi laudem gloriamque veram & rideat arrogantiam eorum, qui vanis honoribus vanaque laude delectantur. Seipſum laudare ſive per ſe, ſive per alios, de meritis ſuis gloriari & laudes ab aliis ſibi tributas ebuccinare poteſt, qui præter meritum laudari non vult & ultro confitetur, ſe hanc vel iſtam laudem non mereri, abunde contentus ſua. Fieri quoque poteſt, ut ambitioſus probe agnoſcat, ſe laudem quandam non mereri, eadem tamen non modo delectetur, verum etiam, quantum in ſe eſt, eandem venetur. Neuter horum arrogans dici poteſt. Niſi igitur opinio meriti contra veritatem accedat ad appetentiam laudis, ambitioni arrogantia minime ſociatur. Quodſi hæc probe perpendantur, duo hæc vitia haud difficulter diſtingventur, patebitque ratio, non multiplicari entia præter neceſſitatem, ſi arrogantia ab ambitione dividatur.

§. 513.

Quomodo faſtoſus de ſe ſentiat.

Faſtoſus immodice de ſe ſentit. Faſtus enim vitium eſt, quo quis ſibi tribuit plus perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videtur, quam veritati conſentaneum (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum majoris ſe faciat, quam par eſt, contra naturæ legem (§. 575. *part. 1. Jur. nat.*); faſtoſus immodice de ſe ſentit.

Ita purus putus Mathematicus, qui idem acumen ſibi tribuit in Philoſophia, quo in Geometria ſublimiori feliciter utitur, cum tamen in eadem ſit hoſpes ac peregrinus, faſtoſus eſt. Ad faſtum quoque referendum, ſi ſe Geometram conſummatiſſimum eſſe putat, cum ſaltem in Analyſi excellat; methodi autem demonſtrandi *Euclideæ*, qua uſi ſunt Geometræ veteres, fuerit ignarus, eidemque tribuendum, ſi non agnoſcit, quantum debeat anteceſſoribus, ut eo usque progredi potuerit, quo pervenit, multo minus autem perpendit circumſtantias, in quibus poſitus providentia divina eam ſcientiam, quam præſtat, acquirere potuit. Taceo, quod non omnia referat ad Deum datorem omnis boni, ſibique in totum arroget, quod Deo acceptum referre debebat. Similiter faſtoſus eſt, qui ob fortunæ bona, veluti divitias & dignitates civiles, aut ortum ex nobili proſapia animum effert, perfectionem ſtatus ſui confundens cum perfectione animi, quæ ſola verum honorem veramque laudem parit, & excellentiam quandam homini conciliat, quemadmodum ex antea demonſtratis ſatis patet.

§. 514.

Quod merita ſua rite æſtimare non norit.

Quoniam *faſtoſus* immodice de ſe ſentit, plus ſibi ſcilicet tribuens perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem ſe plus ſibi debere exiſtimans, quam veritati conſentaneum (§. 513.); *merita ſua rite æſtimare minime novit.*

In

In æſtimandis meritis ſuis non uno modo peccatur a faſtuoſis. Confundunt bona animi, corporis ac fortunæ, quæ tamen ſollicite erant diſtingvenda: neque enim in æſtimandis meritis attendendæ veniunt niſi virtutes intellectuales & morales, quæ ſolæ verum honorem veramque laudem pariunt (§. 550. 551. *part. 1. Jur. nat.*), & produntur factis inde proficiſcentibus, quæ tanto majoris facienda, quanto utiliora ſunt aliis, vel etiam facienti, intra limites Juris naturæ. Confundunt virtutes intellectuales formales cum materialibus, quarum diverſitatem evidenter admodum demonſtravimus in parte prima Ethicæ. Ita Mathematicus faſtoſus acumen, quod virtus intellectualis formalis eſt (§. 182. *part. 2. Eth.*), pro materiali habet, dum idem æſtimans ex ſcientia mathematica, qua excellit, ad philoſophiam & omnem cognitionem cujuscunque generis extendit. In acquiſitione bonorum faſtoſi non diſcernunt, quæ ad poſſibilitatem intrinſecam & quænam ad extrinſecam ea acquirendi ſpectant: unde contingit, ut nec perpendant, quæ natura dedit, quæ fortuna largita eſt; ſed ſe ſi non expreſſe, ſaltem tacite pro autore omnium habent. Deſtituuntur denique notionibus diſtinctis virtutum atque bonorum, quorum illas in Jure naturæ, hæc in parte ſecunda Ethicæ explicavimus, ſine quibus tamen meritum exiſtimationis æſtimari nequit (§. 481.). Velim hæc probe perpendant homines faſtoſi, qui tantopere acumine ſuo confidunt, ut agnoſcant quantum fallat ipſorum de acumine ſuo judicium. Num tanta confuſio, tanta ablepſia acuminis ſignum eſſe poteſt? Sit ita, quod acumine utantur in aliquo ſcientiarum genere: confuſio tamen iſta & ablepſia prodit defectum acuminis in aliis, minimum ejus non uſum.

§. 515.

Quoniam *faſtoſus* immodice de ſe ſentit, plus ſcilicet *Cur faſtus* ſibi tribuens perfectionis, quam competit, & circa eandem *animum in-* plus ſibi arrogans, quam veritati conſentaneum (§. 513.); *flet.*

ſeipſum

ſeipſum majoris facit, quam eſt, cumque merita ſua rite æſtimare non norit (§. 514.), *ſi fortuna ipſum ad dignitatem evexit, id meritis ſuis tribuit, & quamvis eandem non mereatur*, iis nimirum deſtitutus dotibus, quæ ad officium ſuum pro dignitate obeundum requiruntur, *animo tamen effertur*, ideoque *faſtus animum inflat.*

Satis ſuperque notum eſt, fortunam non diſtribuere bona ſua meritis convenienter. Divitias, dignitates, famam alii habent, alii merentur, &, ſi habent, qui merentur, non tamen id meritis ſuis adſcribere poſſunt, ſed fortunæ acceptum referre debent. Fortuna ſua bona confert tam indignis, quam dignis. Nihil itaque abſurdius eſt quam ex fortunæ favore colligere meritum ſuum, aut idem æſtimare. Admotus es officio cum ampliſſima dignitate, ſed quod pro dignitate ornare nequis. Nonne maxime abſurdum eſt, ſi tibi perſuadeas, te mereri munus, quod cum laude obire non potes, & ob dignitatem, quæ tibi decreta, tanquam præmium meritorum in munere tuo obeundo, animo efferri? Nonne potius dicendum eſt, te habendum eſſe pro eo, qui non es, ſed ſaltem audis, ita ut dignitas jam non ſit præmium meritorum ex factis tuis cognoſcendorum, ſed in dedecus tuum cedat. Elatio igitur animi, quam vultu, geſtu ac verbis prodis, famæ tuæ detrahit, ut gloria, qua frui poteras, beneficii fortunæ abuſu, obſcuretur, immo in contemtum plurimorum adducatur. Contemtus philoſophiæ moralis iſtiusmodi abſurdarum opinionum & iisdem convenientium factorum cauſa eſt.

§. 516.

Quando faſtus cum ambitione copuletur.

Si faſtoſus ob perfectiones, quas conſecutus, majores honores atque laudes appetit, quam meretur, aut ob bona fortunæ, exiſtimationem & honorem, vel dignitates, quas non meretur; faſtus cum ambitione copulatur. Etenim honoris appetentia ad ambitio-

bitionem pertinet (§. 507.). Quodſi ergo faſtoſus, dum ſibi tribuit plus perfectionis, quam revera convenit (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), immodice de ſe ſentiens (§. 513.), immodicas quoque appetit laudes & honores majores, quam meretur; faſtus cum ambitione copulatur. *Quod erat primum.*

Similiter ſi faſtoſus ob bona fortunæ exiſtimationem & honorem appetit, cum honorem verum veramque laudem non pariant, niſi virtutes intellectuales & morales (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), honorem & laudem appetit, nihil ejus meritus. Quamobrem cum ambitioſi ſit appetere honorem, vel laudem, qualem non meretur (§. 507.); ſi faſtoſus ob fortunæ bona exiſtimationem & honorem appetit, faſtus cum ambitione copulatur. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi faſtoſus dignitates civiles appetit, quas non meretur, cum dignitates civiles verum honorem veramque laudem non pariant, niſi quatenus meritis in Remp. virtus illuſtratur (§. 504.), vanum honorem vanamque laudem appetit. Quoniam itaque ambitioſi eſt, vanum honorem vanamque laudem appetere, ſeu dignitates civiles, quas non meretur (§. 507.); ſi faſtoſus dignitates civiles appetit, quas non meretur, faſtus cum ambitione copulatur. *Quod erat tertium.*

Faſtus, arrogantia & ambitio ſunt vitia valde cognata, & tantum non ſemper conjuncta. Revera tamen a ſe invicem differunt, nec ſemper conjunguntur. Omnia ſunt aberrationes a lege naturæ, quatenus circa honorem & laudem certa officia nobis præſcribuntur, quibus hæc vitia contrariantur. Lex naturæ vetat, ne exiſtimationem, honorem atque laudem tanquam finem intendamus (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), præcipit tamen, ut nos exiſtimatione, honore ac laude dignos præſtemus (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), operam na-

vando pro virili virtutibus intellectualibus & moralibus (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*), ut facta noſtra ex iisdem proficiſcantur (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*). Præcipit etiam, ut perfectionem propriam cognoſcamus (§. 572. *part. 1. Jur. nat.*); prohibet autem ne plus perfectionis, nec circa eandem plus nobis tribuamus, quam veritati conſentaneum (§. 575. *part. 1. Jur. nat.*), neque in perfectione propria, ſeu bonis animi, corporis ac fortunæ æſtimandis nobis tribuamus, quæ fortunæ tribuenda ſunt (§. 574. *part 1. Jur. nat.*). Inculcat denique, dignitates civiles ex meritis in Remp. æſtimandas eſſe (§. 766. *part. 8. Jur. nat.*). Contraria hisce, qui faciunt, vitio obnoxii fiunt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Triplici modo aberratur a lege naturæ: aut enim fallit judicium de perfectione ſibi competente, ſive ipſam perfectionem ſpectes, ſive ejus cauſam, aut de merito honoris atque laudis, aut denique honorem atque laudem appetis. Prima faſtus (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), ſecunda arrogantiæ (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*), tertia ambitionis cauſa eſt (§. 570. *part. 1. Jur. nat.*). Atque hinc etiam facile patet, quando hæc vitia copulentur, & quando difficulter dividantur. Quemadmodum ſunt variæ hominum de materia honoris atque laudis opiniones; ideo quoque variant iſtorum vitiorum cauſæ ſpeciales.

§. 517.

Quibusnam virtutibus, arrogantia & faſtus opponantur.

Ambitio & arrogantia modeſtiæ opponitur; faſtus humilitati. Ambitioſus enim honores & laudem appetit, ſive mereatur, ſive minus, ſive honor verus & laus vera ſit, ſive minus (§. 507.): arrogans vero ſe honore ac laude dignum exiſtimat, etſi dignus non ſit (§. 510.). Enimvero modeſtus laudem non appetit, quamvis operam det, ut honorem ac laudem mereatur (§. 484.), ideoque ſibi caveat, ne ſe honore ac laude dignum eſſe exiſtimet, cum non ſit. Ambitio igitur & arrogantia modeſtiæ opponuntur. *Quod erat unum.*

Faſto-

Faſtoſus plus ſibi tribuit perfectionis, quam revera convenit, & circa eandem plus ſibi ſeſe debere videtur, quam veritati conſentaneum (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*). Aſt humilis de ſeipſo ſentit, uti par eſt, verum de perfectione propria judicium ferens (§. 581. *part. 1. Jur. nat.*) & agnoſcens, Deo acceptum ferendum eſſe, quicquid boni habet (§. 492.), ſeipſum nihil habere, de quo gloriari poſſit, quaſi non acceperit (§. 493.). Faſtus igitur humilitati opponitur. *Quod erat alterum.*

Si a modeſtia ex parte receditur, aut in ambitionem, aut in arrogantiam incidimus; ſi in totum receditur, in vitium utrumque prolabimur: quodſi vero ab humilitate recedas, in faſtum incidis. Equidem modeſtia, humilitas & pietas ſororio vinculo copulantur (§. 502.): non tamen adeo firmum eſt, ut transgreſſione legis naturalis rumpi nequeat. Sane virtutes humanæ non adeo perfectæ ſunt, ut non adhuc labe quadam a vitiis oppoſitis inficiantur, ſicuti nec vitio dediti adeo mali ſunt, ut non aliquid boni a virtute admixtum habeant, cum variæ ſint rationes, quæ malitiam temperant, propter multitudinem actuum, ex quibus actio humana conſtat.

§. 518.

Bona corporis & fortunæ honorem ac laudem minime pariunt. Bona corporis & fortunæ aut fortunæ ac naturæ ſoli accepta ferenda, aut, ut habeas, facto quodam tuo ex virtute intellectuali & morali profecto concurris, aut etiam facto, quod a vitio ortum trahit. Quodſi fortunæ ac naturæ ſoli accepta ferenda, cum nihil adſit, de quo tanquam tuo, vel tibi debito glorieris, nulla quoque ratio eſt, cur propterea tibi aliqua laus, ideoque etiam honor aliquis (§. 541. *part. 1. Jur. nat.*), debeatur. Quodſi ut habeas iſtiusmodi bona, facto

An bona corporis & fortunæ laudem ac honorem pariant.

facto quodam tuo ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecto concurris; cum facta ex iis profecta te ea laude ac honore dignum probent, quam virtutes iſtæ pariunt (§. 549. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*), honorem ac laudem pariunt hæ virtutes, non vero bona corporis & fortunæ, ad quæ acquirenda facto tuo concurris. Enimvero ſi factum tuum ex vitio proficiſcatur, cum facta, quæ vitia arguunt, ignominiam veram pariant (§. 823. *part. 1. Jur. nat.*); multo minus fieri poteſt, ut bona corporis & fortunæ honorem ac laudem tibi concilient. Patet itaque bona corporis & fortunæ honorem ac laudem minime parere.

Qui dicit te eſſe pulchrum, ſanum, divitem; non te laudat, ſed pulchritudinem, ſanitatem, divitias tuas prædicat. Non eſt quod objicias, qui virtutes tuas intellectuales & morales commemorat, aut facta tua prædicat, ſimiliter virtutes tuas vel facta tua laudibus extollere. Etenim tu cauſa libera es virtutum, quibus inſtructus es, ut tibi imputentur (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec aliter laudari potes. quam recenſendo facta tua & inde colligendo virtutes, ex quibus profecta ſunt. Ubi nihil eſt, quod tibi imputari poteſt; ibi quoque nullum eſt laudis atque honoris meritum. Neque etiam eſt, quod dicas, turbam laudare alios a bonis fortunæ ac corporis: neque enim in Moralibus opinione turbæ, ſed veritate ſtandum eſt. Qui opinionem turbæ abſurdam veritati præfert & his actiones ſuas accommodat, a virtutis tramite ad vitia deflectit & laudem ſpuriam inhians veram amittit. Bona corporis & fortunæ ſaltem occaſionem præbent laudi, quatenus facta tua laudantur, ſine quibus iis careres, veluti quod ſanitas & vigor corporis debeatur temperantiæ, quod divitiæ ſint fructus parſimoniæ & prudentiæ in pecunia acquirenda & parta conſervanda adhibitæ, aut quod bonis fortunæ recte uſus fueris, veluti majorum tuorum, a quibus genus deducis, exempla tibi proponens, quæ imiteris, & ut

ſint

ſint incitamentum ad præclara præſtanda. Velim hæc notent panegyriſtæ, ne, dum alios laudare intendunt, eorum laudi potius detrahant, in iis ſubſiſtentes, quæ nullum laudis meritum continent.

§. 519.

Quoniam bona corporis & fortunæ honorem ac laudem minime pariunt (§. 518.); *abſurdum eſt, ob bona corporis, veluti ejus formam, vel bona fortunæ, veluti divitias, claritatem natalium, dignitates civiles, favorem patronorum, claritudinem amicorum, efferri animo, vel ſe exiſtimare, aut exiſtimationem, honorem atque laudem appetere, & conſequenter faſtoſum, arrogantem, aut ambitioſum fieri* (§. 566. 570. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter *qui ſibi ab his vitiis tractæ. cavere vult, abſurditatem iſtam probe perpendere tenetur.* *Remedium faſtus, arroganiæ & ambitionis*

Latet abſurditas in eo, quod cauſa exiſtimationis, honoris atque laudis habeatur, quæ non eſt, nec eſſe poteſt: quæ ut agnoſcatur, exacte ponderanda eſt demonſtratio propoſitionis præcedentis. Ipſa autem hæc demonſtratio inſinuat abſurditatem iſtam penitus perſpici non poſſe, quantum ad convictionem ſufficit, niſi diſtinctas exiſtimationis, honoris atque laudis notiones habueris easque legi naturæ conformes agnoveris: neque enim notiones arbitrariæ ſunt, ſed per legem naturæ determinantur. Alias nimirum notiones ſpurias opinionibus turbæ accommodatas ſubſtituet faſtoſus, arrogans & ambitioſus eadem uſus libertate, qua tu ipſi uti videris. Quoniam itaque vitiis iſtis laborantes mentem præjudicatis opinionibus obſeſſam a ratione nimis procul remotam habent, ideo neceſſe eſt, ut abſurditas ad ſenſum communem reducatur (§. 242. *part. 1. Eth.*), ſicque defectus ſcientiæ ſuppleatur (§. 422. *part. 1. Eth.*). Uſui quoque eſt reductio ad notiones communes, veluti ſi prædicatur forma corporis, vel extolluntur divitiæ, aut natales clari, & ob facta turpia, quæ vitia

tia produnt, vel mores inelegantes bonis istis gaudens iisdem indignus declaratur. Hinc enim facile homini judicium tuum opinionibus turbæ, quæ notionibus communibus accenseri solent, persuaseris, laudari bona corporis & fortunæ, non eorum possessorem, hominem autem non laudari nisi propter virtutes & morum elegantiam. Et quoniam ea, quæ nobis in altero placent, amorem concitant (§. 649. *Psych. empir.*); amor hic non confundendus est cum existimatione, qua alterum magni facimus: quem ab hac distingvendum esse satis patet per ea, quæ modo diximus.

§. 520.

Quod fastosus, arrogans & ambitiosus sibimet ipsi contrarietur.

Fastosus, arrogans & ambitiosus sibimetipsi contrarius est, si ob bona, quorum conservatio in potestate sua non est, seipsum magni facit, vel ab aliis magni faciendum esse putat. Bonorum enim, quorum conservatio in potestate nostra non est, jacturam facere possumus inviti, quod per se patet. Quodsi ergo teipsum magni facis, vel ab aliis magni faciendum esse putas, ob istiusmodi bona; in potestate tua non est, ut maneas, qui tibi videris & aliis videri vis, &, si contingat te jacturam facere illorum bonorum, te honore ac laude ejusque merito privatum esse senties, consequenter non amplius teipsum magni facere poteris, nec existimare, quod magni te facere debeant alii, quin potius confiteri teneris, te nunc parvi, aut nihili faciendum esse. Quoniam itaque fastosus seipsum majoris facit, quam est, ideoque animo effertur (§. 515.), arrogans se honorem ac laudem mereri sibi persuadet (§. 510.), ambitiosus existimationem, honorem ac laudem appetit (§. 507.), ideoque vult, ut alii ipsum magni faciant, si ob bona, quorum conservatio in potestate sua non est, seipsum magni facit, vel ab aliis magni faciendum esse putat,

medium

medium eligit, quo id conſequi nequit, quod intendit, & per conſequens ſibimetipſi contrarius eſt.

Lubrico admodum fundamento exiſtimationem, honorem ac laudem ſuperſtruit, qui ob bona, quorum conſervatio in poteſtate ſua non eſt, magnus ſibi videtur, vel ab aliis haberi vult. Places tibi propter pulchritudinem, quam laudant alii. Quodſi jacturam ejus feceris, id quod præcavere in tua poteſtate non eſt; non placebis tibi amplius, ſed potius diſplicebis, nec laudabunt eam amplius alii. Periit ergo honor tuus, periit laus tua, quam tibi imaginabaris. Quamobrem ſi non habeas alia, quæ te honore ac laude dignum probant: ſummum tuum bonum, quo tantopere delectabaris, amiſiſti nunquam recuperandum. Idem valet de divitiis, de favore patronorum, de claritudine amicorum & bonis aliis, quæ fortunæ poteſtati, non vero voluntati tuæ ſubjecta ſunt. Quoniam vero homines faſtoſi, arrogantes & ambitioſi non veritate ſtant, ſed turbæ opinionibus; in præſenti non modo attendenda veniunt bona vera, ſed etiam apparentia, quæ falſa opinione habentur, quæ non ſunt. Quamobrem huc etiam referas laudes immeritas, ſive emendicatas, ſive ultro ab aliis tibi tributas. Cum enim fieri poſſit, ut alii videntes te laudes, quæ tibi tribuuntur, non mereri; quam ſint immeritæ oſtendant; laus quoque tua, qua tantopere delectabaris, evaneſcet, aut prorſus in vituperium vertetur, conſequenter famam, quam avide inhiabas, non conſequeris, vel, ſi quam conſecutus es, perdes. Non nobis licet ad particularia deſcendere & ſufficit in diſciplinis ut tradamus univerſalia, quæ deinceps ad particularia applicari poſſunt. Dantur autem exempla, ut quomodo applicatio fieri debeat facilius intelligatur. Accedit ad ambitionem, arrogantiam & faſtum ſtultitia, ſi quis meritum honoris ac laudis æſtimat ex bonis, quæ honorem ac laudem parere nequeunt & quorum conſervatio ne quidem poteſtati noſtræ ſubjecta eſt.

§. 521.

§. 521.

Remedium faſtus, arrogantiæ & ambitionis.

Qui ſibi a faſtu, arrogantia & ambitione cavere vult, honorem verum laudemque veram a falſo & immerito honore falſaque & immerita laude diſcernere tenetur, ac probe perpendere, quod honor & laus non ſit in poteſtate noſtra, ſed ſaltem honoris & laudis meritum. Etenim qui honorem verum laudemque veram ab honore falſo ac laude falſa, atque immerito honore laudeque immerita diſcernit, is falſum de honore ac laude, qua dignus eſt, judicium minime feret, nec in eo quicquam ſibi tribuet, quod a veritate alienum, cumque agnoſcat, honorem ac laudem non eſſe in poteſtate ſua, ſed ſaltem honoris arque laudis meritum, abſurdum eſſe nullus dubitabit appetere ea, quæ a fortuna expectanda ſunt, aut ſimul prorſus negligere, quæ ſunt in poteſtate ſua. Contrarius mos cum ſit hominum faſtoſorum, arrogantium & ambitioſorum (§. 566. 570. 583. *part. 1. Jur. nat.*); qui ſibi a faſtu, arrogantia & ambitione cavere vult, honorem verum & meritum a falſo & immerito, laudemque veram & meritam a falſa & immerita diſcernere tenetur, ac probe perpendere, quod honor & laus non ſit in poteſtate ſua, ſed ſaltem honoris ac laudis meritum.

Faſtus, arrogantia & ambitio falſis nituntur opinionibus de honore ac laude ejusque merito & ignorantia dependentiæ a fortunæ poteſtate. Quamdiu itaque mens imbuta eſt iſtis opinionibus, vel ignorantia iſta laborat, nec fieri poterit, ut ſibi a vitiis iſtis caveat. Opiniones igitur perverſæ eradicandæ ſunt, ingenitis veris notionibus, & opera danda, ut, quæ a voluntate noſtra non dependent, ſed naturæ, vel fortunæ tribuenda aut permittenda, accurate diſcernantur. Quoniam vero honor verus veraque laus a virtutibus intellectualibus & moralibus derivari debet (§. 549. 550. *part. 1. Jur. nat.*); applicatio eorum, quæ de honore ac laude præſcribit Jus naturæ,

turæ, diſtinctas quoque virtutum notiones ſupponit. Atque hinc patet, ſi quis ab hisce vitiis ſibi ſufficienter cavere velit, eum virtutum omnium ſcientia inſtructum eſſe debere: alias facile hallucinabitur in æſtimando merito.

§. 522.

Qui de aliorum fama detrahendo ſuam quærit, ambitioſus eſt. Signum ambitioſi dimi-nutio famæ alterius.

Qui enim de aliorum fama detrahendo ſuam quærit, famam appetit, ſi vel maxime præſtare ne quicquam poſſit, quo laudem mereatur. Quoniam itaque ambitioſus eſt, qui laudem appetit, præſertim immeritam (§. 507.); qui de fama aliorum detrahendo ſuam quærit, ambitioſus eſt.

Exempla obvia ſunt inter eruditos, quamvis non omnia ejusdem ſint farinæ, propterea quod multis modis fama lacerari poſſit, de quibus rectius dicetur ſuo loco. Mos eſt hominum novorum in orbe litterato, ut inclareſcere ſtudeant virorum, quorum præclara extant in ſcientiam merita, doctrinam impugnando & quanto ſunt rudiores, tanto audaciores & petulantiores iis convitiantur, ut, cum acumen deficiat in diſcuſſione, id appareat in ſuggillatione. Notiſſimi ſunt canini mores eruditorum in Germania noſtra. Quodſi enim contingat, ut unus adverſarius in aciem prodeat, mox ſeſe eidem aſſociat ingens caterva hominum obſcurorum atque juvenum, qui nomina ſua ex tenebris in lucem proferre conantur, aut intempeſtive aliis innoteſcere cupiunt, quemadmodum cane latrante uno latrant omnes & catelli ipſis aſſonant. Non deſunt alii, qui ignominiam famæ aliorum adſpergere conantur ipſis imputando mores perverſos, malignos & immodeſtos, aut ſaltem indoctos & indecentes: id quod tanto turpius eſt, ſi alios ſuis cenſeant moribus, aut male factorum ſibi conſcii ſunt, non perpendentes quam turpe ſit doctori, ſi culpa redarguit ipſum, & quanta ſit inſania ſcelerum oblitorum refricare memoriam. Produnt autem ni-

mium una cum ambitione malignum animum, si facta aliorum in malam partem interpretantur, ut tanto pejores videntur, quanto meliores ipsi videri volunt.

§. 523.

Remedium. *Qui de fama aliorum detrahendo suam quærit, probe perpendere debet, quod famæ suæ labem adspergat.* Etenim lex naturæ præcipit, ne famæ ac laudi alterius detrahamus (§. 871. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque studium detrahendi famæ alterius vitium est (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vitia vero ignominiam veram pariunt (§. 822. *part. 1. Jur. nat.*), & famam excitant malam (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*); qui de fama aliorum detrahendo suam quærit, probe perpendere debet, quod famæ suæ labem adspergat.

In casu particulari multa adhuc alia occurrunt, quæ famæ nocent. Ita infamis hic inclarescendi modus aut ex decremento famæ alterius quærendi incrementum suæ maxime dedecet Theologum, qui modestiæ & humilitatis exemplar esse debet aliis. Dedecet idem viros alios ad dignitatem evectos, præsertim si officii ipsorum sit vigilare, ne perversis moribus utantur alii. Impudentiæ quoque, non saltem imprudentiæ se reos probant, qui ex suis moribus judicant alios, aut refricata memoria male factorum labe turpi dignitatem, qua fulgent, contaminant. Stultitiam vero arguit absurdum hoc famæ aucupium, quod nemo propterea se laude dignum probet, si vel maxime probaverit alium laude sua fruentem laborare quibusdam nævis, qui reprehensionem bonorum, minimum laudem nullam merentur. Læsio famæ aliorum, etiamsi vera dixeris, non est medium aptum consequendi famam. Si laudem mereri vis & ad nominis famam contendere, præsta te virum, ut ex factis tuis appareat, quantus sis (§. 552. *part. 1. Jur. nat.*). Istiusmodi temeritas facilius ferenda erat in juvenibus petulantibus, qui animum negligen-

tia

tia in educatione corruptum nondum emendarunt, & nimium adhuc hebetes non longe proſpicere poſſunt; aſt in viris, iis præſertim, quorum eſt ardua ponderare & intricata extricare ſumma veſania eſt. Quodſi ſecundum principia Juris naturalis perverſum hoc ad famam graſſandi ſtudium paulo ſollicitius in caſibus particularibus diſcutiatur; abſurditas tanto manifeſtior apparebit. Optandum foret, ut in Philoſophia ſatis verſatus & methodi demonſtrativæ compos caſus particulares ſub fictis nominibus, ne ipſe aliorum famæ detrahere velle videatur, aut invitus detrahat, accuratiſſime diſcuteret, ut in ruborem darentur adeo inepte inſanientes: id quod etiam uſui foret in demonſtranda abſurditate aliis vitiis deditorum.

§. 524.

Qui aliorum famæ meritæ detrahere ſtudet inventa ſua ſuaque merita ſupra inventa aliorum atque merita extollens; faſtoſus eſt. Ius majorem

Qui enim aliorum famæ meritæ detrahere ſtudet inventa ſua ſuaque merita ſupra inventa atque merita aliorum extollens; is vult alios, qui merito ſuo famam conſecuti ſunt, antecellere, ſibique videtur majorem laudem mereri, quam alii merito ſuo conſecuti ſunt, cum tamen ſe ſuo modulo, non aliena laude metiri deberet. Quamobrem cum immodice de ſe ſentiat, nec merita ſua rite æſtimare noverit, hoc vero faſtoſi ſit (§. 513. 514.); qui aliorum famæ meritæ detrahere ſtudet inventa ſua ſuaque merita ſupra inventa & merita aliorum extollens, faſtoſus eſt.

gloriam affectantis, quam qua gaudent alii.

Quod qui ſua inventa vel merita ſupra inventa & merita aliorum extollunt ambitioſi ſint, ſatis inde patet, quia laudem appetunt, laudemque magnam, quam qualis eſſe debeat docent alios. Hic vero potiſſimum arguitur faſtus, qui cum ambitione conjunctus eſt. Si faſtus abeſſet, ut laudem appeteres, quam tibi convenire facta tua probant, cur opus eſſet gloriari, quod videre potueris, quæ alii acumine præſtantes

videre non potuerint, aut quod invenerint, quæ alii frustra quæsiverunt, aut quod multo longius progressi fuerint, quam aliis progredi licuerit, aut quod præclariora præstiterint, quam præstiterunt alii & ita porro? Immodice utique de se sentit, qui se supra alios extollit. Fastus autem tanto evidentior est, si, quæ de se gloriatur fastosus, veritati consentanea non sunt. Tum vero una proditur arrogantia. Sed plura, quæ de his dici poterant, reservanda sunt in locum alium, ubi de laude aliis debita agemus. Ceterum verba & facta ambitiosorum, arrogantium & fastosorum satis produnt hæc vitia, modo eorum notiones distinctas habeas, ut de eorum signis prolixe agere non habeamus opus.

§. 525.

De arrogantia luxus causa.

Arrogantes facile in luxum labuntur. Affectant enim honores, quo digni non sunt (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem si desit meritum veri honoris, modis illegitimis eum consequi studebunt, præsertim quibus favet opinio turbæ, veluti magnificis conviviis, vestibus splendidis, supellectili sumtuosa. Quoniam itaque in profusione pecuniæ solius ostentationis causa luxus consistit (§. 387. *part. 4. Jur. nat.*); arrogans facile in luxum labitur.

Arrogantis de honore judicium verum non est, quando se honore dignum esse putat. Quoniam judicium hoc discursivum est, ratiocinium, quo infertur per modum conclusionis, aut fallit in majore, aut minore. In priori casu sumit fretus inprimis opinione turbæ, quod hoc vel isto facto mereamur honorem; in casu posteriori se habere putat, quod non habet, veluti majus acumen, quam alii, quamvis careat omni. Casus primus obtinet, quando arrogantia ad luxum ducit. Tum enim sibi persuadet, res sumtuosas homini conciliare honorem, ideoque sibi videtur honore dignus, si rebus sumtuosis splendorem ostentet. Qui norunt, in quonam verum

verum honoris ac laudis meritum consistat, non ignorant, quam sit absurdum honore ac laude dignum quendam existimare, quod pecuniarum profusione divitias ostentet, idque tanto magis absurdum intelligitur, si tantas, quas ostentare vult, divitias non habet, aut prorsus nullas; consequenter si prodigalitatem absurde prodit, dum tenax, immo sordidus est (§. 391. 400. *part. 4. Jur. nat.*), ne desint impensæ luxus causa faciendæ, aut si prorsus æs alienum consumit.

§. 526.

Arrogantes de rebus & factis suis gloriantur. Videntur enim sibi digni honore, quo non sunt (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum honor nobis exhibendus sit ab aliis, qui meritum honoris cognoscunt (§. 538. 540. *part. 1. Jur. nat.*), arrogantes ea, ob quæ sibi honore digni videntur, quo non sunt, aliis patefaciunt, utque honore digni existimentur, prædicatione efferunt. De rebus igitur & factis suis gloriantur.

De jactantia arrogantium.

Fieri equidem etiam potest, ut de se glorietur, qui laudem meretur ambitione ductus: plerumque tamen contingit, ut insolenter inprimis de se gloriantes laudem immeritam affectent. Id satis clare elucet, quando aliis invident honorem ac laudem illorumque meritis sua opponunt. Quo minus quis laudem meretur, eo magis extollit sua, ob quæ se laude dignum putat. Quemadmodum vero variant hominum de honore ac laude opiniones; ea, in quibus gloriantur, non eadem sunt. Ita alius extollit divitias suas, alius dignitates civiles, quas consecutus, alius naralium splendorem, alius præclara facta majorum, alius facta sua, quæ multis modis variant. Et sicuti gradus diversi sunt vitiorum; ita quoque aliorum jactantia insolentior est, aliorum mitior. Hypocritæ, qui humiles videri volunt, cum non sint, sibique videntur pii, de pietate gloriantes sua laudem Dei obtendunt,

quaſi eidem acceptum ferant quicquid boni habent. Humiliter enim loqui didicerunt, quamvis ab humilitate procul remotum habeant animum. Arrogantibus accenſendi ſunt eruditi, qui, quæ præſtiterint, in præfationibus & prædicationibus titulo libri adjectis ipſimet laude extollunt, immo ipſos libros magnificis titulis inſigniunt, parum ſolliciti, num revera nigrum reſpondeat rubro. Sed quis, quæſo, enarret omnium arrogantium ineptias, in quibus gloriantur? Qui eas noſſe cupit, attendat animum ad verba arrogantium, quando de ſe gloriantur, eademque ponderet. In iis autem ponderandis habenda quoque ratio eſt aliorum vitiorum in prædicationem una influentium, quemadmodum patet ex pietatis pompoſæ cultoris exemplo.

§. 527.

Quando facta & laudes ſuas commemorare liceat.

Qui facta ſua laudesque ſuas commemorat famæ ſuæ defendendæ, aut utilitatis aliorum promovendæ, vel gloriæ divinæ cauſa, & ſi aliter officio cuidam erga ſeipſum, vel alios ſatisfacere nequit; propterea arrogans & propriæ honoris jactator dicendus non eſt. Homini enim competit jus famam ſuam defendendi, immo ad eandem defendendam obligatur (§. 1033. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum fama aliter defendi nequeat, niſi verbis, vel factis contrarium eorum oſtendendo, quæ dicit calumniator (§. 1040. *part. 1. Jur. nat.*) &, niſi facta in vulgus fuerint nota, aut effectum habeant permanentem, per teſtes probantur (§. 1014. *part. 5. Jur. nat.*); famæ ſuæ defendendæ cauſa facta ſua laudesque ſuas commemorare licet. Quoniam igitur defenſor famæ tum nil committit, quod legi naturæ adverſum, conſequenter vitio imputari poſſit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque famæ bonæ contrarium ſit (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), nec dici poteſt, quod ſe honore dignum exiſtimet, quo non eſt, aut ab aliis dignus haberi velit, arrogans vero non

non eſt niſi is, qui ſe honore dignum exiſtimat, quo non eſt (§. 566. *part. 1. Jur. nat.*), & is demum jactator honoris proprii eſt, qui facta ſua & res ſuas extollit, ut honore dignus videatur aliis, quód nemine contradicente ſumitur; qui facta ſua laudesque ſuas commemorat famæ ſuæ defendendæ cauſa, arrogans propterea propriique honoris jactator dici nequit. *Quod erat primum.*

Similiter quoniam ad aliorum perfectionem & perfectionem ſtatus eorundem conferre obligamur, quicquid valemus (§. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi quis utilitatis aliorum promovendæ cauſa facta ſua laudesque ſuas commemorat, cum id non faciat animo ſeſe efferendi, ſed ut officiis erga alios ſatisfacere poſſit, patet ut ante *n. 1.* eum propterea dici non poſſe arrogantem & proprii honoris jactatorem. *Quod erat ſecundum.*

Porro quoniam gloriam Dei promovere debemus (§. 1148. *part. 1. Jur. nat.*); ſi factorum noſtrorum laudumque commemoratione gloria Dei illuſtratur, veluti ut Deus dator omnis boni in nobis glorificetur, cum omnia ad Deum referantur, non vero animo ſeſe efferendi dicantur; patet itidem ut ante *n. 1.* eum non eſſe dicendum arrogantem propriique honoris jactatorem, qui facta ſua laudesque ſuas commemorat gloriæ divinæ promovendæ cauſa. *Quod erat tertium.*

Non abſimili modo oſtenditur, arrogantem propriique honoris jactatorem dicendum non eſſe, qui facta ſua laudesque commemorat, ſi aliter officio cuidam erga ſe ſatisfacere non poſſit. *Quod erat qtartum.*

Propoſitionem hanc ideo addimus, ne, quæ de jactantia ſui honoris dicta ſunt (§. 526.), in abuſum trahantur ab iis, qui

qui aliorum famæ insidiantur. In jactantia enim, sicut in vitiis omnibus, spectandus est animus, quem prodit intentio ex circumstantiis & verbis, quibus facta sua laudesque commemorantur, colligenda, ut taceam vultum & gestus affectuum indices, quibus animus agitatur. Non est, quod dicas fieri posse, ut præsens quoque propositio per abusum in excusationem jactantiæ trahatur: præstat enim male facta in bonam partem interpretari, ut tibi caveas, ne famam alorum lædas, quam eam lacessere. Ceterum propositionem præsentem illustrat exemplum Pauli contra pseudoapostolos se defendentis saluti Corinthiorum consulturus 2 Cor. XI. & XII. Ita Autor recensens in præfatione, quid præstiterit in opere suo, ut informet lectorem & ejus attentionem excitet, profectum in litteris ac virtute intendens, arrogantiæ ac jactantiæ redargui nequit, si vel maxime viribus deficientibus laudanda saltem sit voluntas. Condonandum enim sæpissime quid est infirmitati humanæ, nec in censendis aliorum nævis nos nimium acutos præbere debemus, multo minus ea vertere in detrimentum laudis meritæ.

§. 528.

De vita pusillanimis.

Pusillanimis vivit, quemadmodum ipsi volupe visum fuerit. Etenim pusillanimis omnem honoris ac famæ curam abjicit (§. 568. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque parum curat, quid de se factisque suis dicant alii, ac perinde ipsi est, utrum laudetur, an vituperetur. Quamobrem cum homo nihil appetat, nisi quatenus id, quod appetit, voluptatem ipsi creat (§. 156. *part. 2. Eth.*); ita vivit, quemadmodum sibi volupe visum fuerit.

Audias ideo pusillanimes dicentes, se parum curare, quid dicant alii, se facere, quod sibi placuerit, quando admonentur, ut hoc facere pudeat. Immo si eo, quod faciunt, delectentur, rident rectius sentientium de se judicium, & satis se excusasse putant, si profitentur, judicium aliorum de se

nec

nec prodeſſe ſibi, nec nocere poſſe. Non igitur agnoſcunt, quod operam dare debeamus, ut ſimus honore ac laude digni (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*) & ut fama noſtra ſit bona (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 529.

Quoniam *puſillanimis* vivit, quemadmodum ipſi volupe viſum fuerit (§. 528.); *actiones legi naturæ contrarias committe- re non veretur, quas ſe impune committere poſſe putat & ipſi ſuadet voluptas ſua & aſſuetos retinet mores, qualescunque fuerint.*

De actionibus & moribus puſillanimis.

Puſillanimis, cum omnis honoris ac famæ curam abjiciat, ſua vivit opinione, parum curans, quid ſentiant alii, contemtor opinionis alienæ. Quamobrem nec voluptate afficitur, ſi actiones ſuæ moresque ſui approbentur ab aliis, nec moleſtia, ſi improbentur, quamdiu ſervat ſenſum impunitatis, & animum vacuum a metu damni. Atque hinc patet, quam noxium ſit hoc vitium & quam curatu difficile. Puſillanimitas, quam etiam inambitioſitatem dici alias jam monuimus (*not.* §. 568. *part. 1. Jur. nat.*), facillime obſervatur in hominibus ſceleratis & moribus agreſtibus atque illepidis præditis, eamque facile produnt improbantibus, dum aliorum judicium ſe parum curare reſpondent.

§. 530.

Si puſillanimitati medela afferenda, inſtillandus puſillanimi eſt amor virtutis cum odio vitiorum, ac deinde idem convincendus, virtutem parere exiſtimationem, honorem atque laudem, vitium ignominiam, vituperium & contemtum. Quodſi enim virtutem amaverit, voluptatem ex ea percipiet (§. 654. *Pſych. empir.*), aſt moleſtiam ex vitio, ſi id oderit (§. 679. *Pſych. empir.*). Quamobrem ubi agnoſcit, virtutem parere exiſtimationem, honorem atque laudem, vitium vero ignominiam, vituperium &

Remedium puſillanimitatis.

contemtum, amor virtutis in exiſtimationem, honorem atque laudem, odium vitii in ignominiam, vituperium & contemtum derivabitur, conſequenter ex ſui exiſtimatione, honore atque laude voluptatem (§. 654. *Pſych. empir.*), ex ignominia vero, vituperio & contemtu ſui moleſtiam percipiet (§. 679. *Pſych. empir.*). Non igitur amplius ipſi perinde erit, quid de ſe judicent alii, ideoque omnis honoris ac famæ curam non amplius abjiciet. Quare cum puſillanimis omnem honoris ac famæ curam abjiciat (§. 568. *part. 1. Jur. nat.*); ſi amor virtutis & odium vitiorum ipſi inſtilletur, idemque poſtea convincatur, virtutem parere exiſtimationem, honorem atque laudem, vitium ignominiam, vituperium & contemtum, puſillanimitati medela affertur.

Quomodo amor virtutis, odium vitii ingignatur & ingenitum alatur, alibi jam demonſtravimus (§. 230. *& ſeqq. part. 2. Eth.*). Quodſi quæ demonſtrata ſunt ſatis perpendantur, facile videbitur, quam difficilis curatu ſit puſillanimitas. Sunt ſubinde vitia quædam particularia, quæ puſillanimitatem genuerunt. Atque tum opus eſt, ut horum ante omnia odium ingignatur. Caret puſillanimis ſenſu honoris, quia ex eo nullam percipit voluptatem: caret pudore, quia ex ſiniſtro aliorum de ſe judicio nullam percipit moleſtiam. Quodſi ergo puſillanimitas extirpanda, neceſſe eſt ut animum diſponas ad voluptatem percipiendam ex honore ac laude & ad percipiendam moleſtiam ex ſiniſtro aliorum de ſe judicio. Qui virtute delectatur, perfectionem ſuam agnoſcit (§. 511. *Pſych. empir. & §. 548. part. 1. Jur. nat.*): qui horret vitium, imperfectionem ſuam agnoſcit (§. 518. *Pſych. empir.*). Quamobrem honore quoque ac laude delectatur (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), ignominiam vero & vituperium pudet (§. 811. 813. *part. 1. Jur. nat. & §. 774. Pſych. empir.*). Atque hinc intelligitur, quam arduum atque difficile ſit extirpare puſillanimitatem.

§. 531.

S. 1111.

Relatum absolute positum dat existere ab ejus fundamento, & Correlativum, & Relationem. Ita Pater dat existere Filium, & Relationem, & ab illo fundamento. Ratio est, quia fundamentum absolutum, & Correlativum, & Relatio sunt realiter idem, & ejusdem rationis, ergo si ponitur unum ponuntur, & alia.

Relatum absolute positum non dat existere a fundamento absolute sumpto, & Correlativo, & Relatione, quia fundamentum absolute sumptum, & Correlativum, & Relatio non sunt realiter idem, & ejusdem rationis, ergo si ponitur unum, non ponuntur alia. Ita Pater dat existere Filium, & Relationem, & a fundamento secundum quid, non autem a fundamento absolute sumpto, & Correlativo, & Relatione, quia Pater est fundamentum absolute sumptum, & Correlativum, & Relatio secundum quid, quia Pater est Filius, & Relatio secundum quid, quia Pater est Filius. Quamvis enim Pater, Filius, & Relatio secundum quid sint realiter idem, & ejusdem rationis, non tamen sunt realiter idem, & ejusdem rationis, quia Pater, Filius, & Relatio secundum quid non sunt realiter idem, & ejusdem rationis, quia Pater, Filius, & Relatio secundum quid non sunt realiter idem, & ejusdem rationis, quia Pater, Filius, & Relatio secundum quid non sunt realiter idem, & ejusdem rationis.

Non enim possibile est, quamvis absolute, quidditative sumpta sint realiter idem, & ejusdem rationis, quia non sunt realiter idem, & ejusdem rationis, quia non sunt realiter idem, & ejusdem rationis, quia non sunt

§. 532.

Quænam motiva negligat qui abjecti animi eſt.

Qui abjecti animi eſt, motiva negligit, quæ a ſe & ſtatu ſuo deſumenda. Qui enim abjecti animi eſt, nullam in agendo rationem habet perfectionis propriæ (§. 585. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem non conſiderat, num in ſe, vel in ſtatu ſuo contineatur aliqua ratio, cur hoc agere, vel non agere debeat. Hæc ratio cum motivum ſit (§. 887. *Pſych. empir.*); qui abjecti animi eſt, motiva negligit, quæ a ſe & ſtatu ſuo deſumenda.

Nemo eſt qui neſciat, maxime reprehendi tenacitatem in divite, voluptatem corporis in verbi divini præconibus, ſcuriles jocos in viro, qui dignitate civili eminet, luxum in eo, qui mediocre habet patrimonium, familiam numeroſam. Ratio in omnibus iſtis caſibus non alia allegatur, quam quæ deſumitur vel a perſona, vel a ſtatu agentis. Redarguitur itaque animus abjectus.

§. 533.

Quod decorum negligat.

Quoniam qui animi abjecti eſt, motiva negligit, quæ a ſe & ſtatu ſuo deſumenda (§. 532.), qui vero hæc negligit facit quod ipſum dedecet (§. 195. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *qui abjecti animi eſt, agit quod ipſum dedecet*, conſequenter *decorum negligit.*

Abjectus animus ſpectatur in indecoro, & potiſſimum attendendus eſt in decoro naturali, non ſaltem arbitrario (§. 196. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et exempla, quæ modo allegavimus (*not.* §. 532.), probant, vulgo etiam in redarguendo animo abjecto rationem decori naturalis haberi.

§. 534.

Remedium animi abjecti.

Quia motiva a ſe & ſtatu deſumenda negligit, qui abjecti animi eſt (§. 532.); *ſi quis animum abjectum vitare velit, actio-*

actiones omnes ad ſe ſtatumque ſuum referre tenetur, ſollicite inquirens, num rationem quandam deprehendat, cur hoc potius facere, quam non facere, aut non facere, quam facere debeat, conſequenter *omnem dare operam debet, ut ſeipſum noſcat* (§. 3.).

Datur lex naturalis decori (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ea extenditur ad quasliber hominis actiones, quamvis vulgo non agnoſcatur. Neque enim datur ulla actio, cujus motiva aliqua non poſſint deſumi a perſona & ſtatu hominis cujuscunque. Et hæc ipſa motiva maximi ſunt momenti in praxi morali, ideoque ſollicite attendenda. Deus ſemper agit, quod ipſum decet (§. 335. *part. 1. Theol. nat.*). Non vult, niſi quod optimum non modo in ſe, ſed etiam in relatione ad ſemetiptum (§. 390. *part. 1. Theol. nat.*) & judicans, quid ſit optimum in relatione ad ſe ipſum, idem refert ad omnia ſua attributa (§. 395. *part. 1. Theol. nat.*). Deum igitur in agendo imitamur, ſi omnes actiones noſtras referamus ad nos atque ſtatum noſtrum, ut agamus, quod nos deceat. Influit autem decorum naturale in actiones noſtras, non ſolum ſi integræ per motiva a perſona nobis impoſita & ſtatu noſtro deſumta determinentur, verum etiam quatenus in actionibus per alia motiva determinatis ea, quæ variis modis determinari poſſunt, decenter determinantur, veluti quantitas eleemoſynæ, ad quam dandam aliis rationibus permovemur.

§. 535.

Optimum adverſus animum abjectum præſidium eſt, ſi quis perſonam ſibi impoſitam recte gerere ſtudet. Qui enim perſonam ſibi impoſitam recte gerere ſtudet, actiones, quas committit, vel omittit refert ad perſonam ſuam, quæ ſibi impoſita eſt (*not.* §. 152. 153.), ut nimirum pateat, num detur quædam ratio, ob quam hæc actio nos deceat, & non ſic, vel aliter determinata nos deceat, vel dedeceat (§. 196. *part.*

Optimum adverſus animum abjectum remedium.

part. 1. Phil. pract. univ.). Quoniam itaque rationes iſtæ motiva voluntatis vel noluntatis ſunt, (§. 887. *Pſych. empir.*); abjectum vero animum non habet, qui motiva a ſe & ſtatu ſuo deſumenda non negligit (§. 532.); optimum adverſus animum abjectum præſidium eſt, ſi quis perſonam ſibi impoſitam recte gerere ſtudet.

Quodſi conſideremus, quomodo perſonam nobis impoſitam cognoſcamus (*not.* §. 152.); quam late diffundatur animus abjectus, inde colligetur. Quoniam itaque cognitio perſonæ ſibi impoſitæ maxime neceſſaria eſt, ne labe quadam inficiantur actiones in ſe bonæ; noſcentia recte gerendi perſonam ſibi impoſitam non poſtrema pars eſt notitiæ ſui ipſius (§. 17.). Vide igitur, quæ de modo recte gerendi perſonam inculcavimus, cum de notitia ſui ageremus (§. 18.). Plurima autem, quæ utiliter hic conſiderantur paſſim occaſione ita ferente inſinuavimus. Cum ad perſonam nobis impoſitam referendum ſit, quod ſimus homines, quod ſimus creatura Dei, pars hujus univerſi (*not.* §. 152.); hominem dedecet agere, quod quomodocunque rationi adverſatur, & quatenus ſumus creatura Dei & pars hujus univerſi, quod dependentiæ a Deo & fini univerſi, ad quem actiones noſtras omnes referre obligamur, contrariatur. Contemtor homo eſt dignitatis ſuæ, quam per naturam habet, niſi hoc probe obſervet: ecquis vero eſt qui negare auſit, hoc indicare animum abjectum (§. 585. *part. 1. Jur. nat.*)?

§. 536.

Quænam cura fortunæ habenda.

Qui fortunam curæ habere vult, nec ſecunda nimium confidere, nec adverſa meliora deſperare, utraque autem tanquam motivis actiones ſuas legi naturæ convenienter determinandi uti, ſibique cavere debet, ne eandem ſua culpa adverſam experiatur. Nemo enim fortuna ſecunda confidere (§. 587. *part. 1. Jur. nat.*), nec adverſa

ſa meliora deſperare debet (§. 589. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam tam bona (§. 315. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quam mala phyſica, quæ homini eveniunt, etiamſi actiones non committat, ex quibus ea ſequuntur, motiva eſſe poſſunt actionum committendarum, vel omittendarum (§. 314. *part. 1. Phil. pract. univ.*); omnes autem uſus rerum naturalium ſunt fines a Deo intenti (§. 648. *part. 1. Theol. nat.*, qui etiam vult ut actiones noſtras legi naturæ convenienter determinemus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter ut utamur motivis, quibus voluntas & noluntas ad actiones eidem conformes committendum, contrarias vero omittendum determinatur (§. 889. *Pſych. empir.*); fortuna tam ſecunda, quam adverſa uti debemus tanquam motivis actiones noſtras legi naturæ convenienter determinandi. Conſtat præterea nobis quamlibet culpam evitandam eſſe (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi fortunam curæ habere velimus, nec quicquam prætermittere, quod officii noſtri eſſe poterat, neque ſecunda nimium confidere, neque adverſa meliora deſperare, utraque autem tanquam motivis actiones noſtras legi naturæ convenienter determinandi uti, nobisque cavere debemus, ne eandem noſtra culpa adverſam experiamur.

Fortuna eſt concurſus cauſarum minime prævifus ad effectum nobis vel bonum, vel malum (§. 540. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem quicquid nobis boni, vel mali evenit a cauſis naturalibus, vel hominibus aliis, ad id fortunam referimus. Et ideo fortunam dicimus vel ſecundam, ſive proſperam, vel adverſam, ſive ſiniſtram. Gentiles fortunam Deam fecerunt, quam ſuo more coluerunt, ut bona conferret, mala averteret. Tribuenda ſuperſtitio ignorantiæ Phyſicæ ac inprimis Coſmologiæ generalis, ex qua patet nexus rerum, unde concurſus ille cauſarum reſultat, a quo pendent effectus, quos fortunæ tribuimus. Fortuna cauſarum plurium

plurium complexum ſupponit, quarum una quælibet agit alio fine, quam ut effectus nobis vel bonus, vel malus producatur, quatenus tamen ex actionibus ipſarum concurrentibus reſultat, quod ſingulis in ſe ſpectatis non intenditur, omnes conjunctim conſtituunt cauſam effectus ſufficientem, & hoc reſpectu fortuna inter cauſas naturales refertur. Quodſi ergo fortunam cognoſcere volueris, in cauſas illas earumque actionem inquirendum: aſt hoc potius Phyſici eſt, quam morum doctoris. In Ethica ſufficit noſſe, id, quod evenit, independenter a nobis fieri, nec in poteſtate noſtra eſſe. Ita ſi grando damnum dat ſegeti, vel ædes fulmine tactæ comburuntur; id prorſus independenter a nobis fit. Solet equidem ſubinde fortuna accedere ad actiones noſtras: tum vero diſcernendum eſt id, quod nobis debetur ab eo quod fortunæ adſcribendum, quemadmodum ſupra docuimus (§. 10. 11.), manetque effectus fortunæ diſcretus ab effectu, cujus nos cauſa ſumus. In Ethica potiſſimum doceri debet, quomodo nos legi naturæ conformiter gerere debeamus, ſi quid boni vel mali nobis evenit, quod ut acquiremus, vel evitaremus, in poteſtate noſtra minime erat. Atque huc redit cura fortunæ habenda, in quantum ea influit in appetitum, vel facultatem averſandi. Supponimus itaque hic ſicuti in ceteris quæ in Jure naturæ demonſtrata ſunt, ſit ita, quod dudum moris fuerit in Ethica ſaltem inculcare, quæ de actionibus humanis lex naturæ decernit, quaſi ſola notitia eorum ſufficiat ad culturam virtutis fugamque vitiorum: quam perverſam opinionem peperit ſpuria libertatis, quæ voluntati & noluntati tribuitur, notio.

§. 537.

Quid faciendum, ne fortuna ſecunda nimium

Qui nec ſecunda fortuna nimium confidere, nec adverſa meliora deſperare debet; ei conſideranda eſt fortunæ mutabilitas. Fortunam eſſe minime conſtantem & mutabilem, inſtar tempeſtatis, ita ut proſpera & ſiniſtra alternet, nemo eſt qui neſciat,

neſciat, niſi ſua culpa. Cumque ea poteſtati noſtræ ſubjecta non ſit, nec nos ſecundam conſervare, nec adverſam in meliorem vertere poſſumus pro lubitu, ſed ferenda, qualis fuerit. Qui fortuna ſecunda nimium confidit, ſibi perſuadet, ſaltem tacite, quaſi ſemper adeo benignam ſit experturus quemadmodum in præſenti. Et qui fortunam ſibi adverſam habens meliora deſperat, eandem adeo iratam ſibi eſſe opinatur, ut nihil boni ab ea ſperare liceat. Quodſi ergo conſideret uterque, quam inconſtans, quam mutabilis ſit fortuna non minus proſpera, quam ſiniſtra; opinionem ſuam falſam, ideoque ſeductricem eſſe agnoſcit, dum aut ſecunda nimium confidit, aut adverſam expertus meliora deſperat. Ne igitur hoc fiat, fortunæ mutabilitas probe expendenda.

confidamus, nec adverſa meliora deſperemur.

Equidem fortunæ mutabilitas in vulgus nota eſt, ut vix quisquam eandem in dubium vocare auſit; quodſi tamen ejus conſideratione nimia confidentia aut meliorum deſperatio tollenda, paulo penitius inſpicienda & ſolertius ponderanda. Quoniam diverſa ſunt tam bona, quam mala, quæ ad fortunam referuntur; mutabilitatem in caſibus particularibus conſiderari conſultum eſt, eundo per exempla, quæ vel monumenta Hiſtoricorum produnt, vel propria experientia ſuggerit. Quamobrem qui a nimia confidentia & meliorum deſperatione ſibi cavere vult, ad caſus, qui contingunt, animum adverrere eosque ſedulo annotare, aut memoriæ ita infigere debet, ut eorum recordetur, quando opus fuerit. Notandi inprimis ſunt caſus, in quibus fortuna mutata prætet omnem ſpem & expectationem. Cum in cauſarum ſerie etiam ſint hominum voluntates, ad fortunam quoque referendum, quicquid boni vel mali nobis evenit independenter prorſus a nobis ab aliorum voluntate. Et ideo in mutabilitate fortunæ magnum momentum habet voluntatis humanæ in-

conſtantia. Enimvero non ſufficit conferre ſtatum præſentem cum præcedente, ut appareat quantum hic mutatus ſit ab illo, ſi fortunæ mutabilitatem intimius inſpicere & ſolertius ponderare voluerimus; ſed neceſſe eſt, ut etiam inquiramus in cauſas, quarum concurſui debetur effectus fortuitus. Quoniam in cauſarum ſerie cauſa una effectus eſt alterius cauſæ; ideo non ſufficit inquirere in cauſas ſimultaneas, verum etiam in ſucceſſivas, quousque progredi datur. Atque hoc modo evidens erit, cur mutabilitas fortunæ non dependeat a noſtra poteſtate, nec prævideri poſſit: id quod ad depellendum tam nimiam confidentiam, quam deſperationem meliorum utile eſt.

§. 538.

Utilitas perpenſationis mutabilitatis fortunæ ſecundæ.

Qui fortunæ mutabilitatem perpendit, bonis fortunæ ita utitur, ac ſi ea non ſemper retenturus ſit, & ſtudioſe cavet ne ſua culpa ad eorum jacturam quidpiam conferat. Qui enim fortunæ mutabilitatem perpendit, is agnoſcit, fieri poſſe, ut bonorum, quæ habet, jacturam faciat, & ſtatus præſens mutetur in contrarium. Quamobrem bonis præſentibus non ita utitur, ac ſi eadem ſemper ſit habiturus, nec ſtatus præſens in pejorem abiturus, ſive uſum phyſicum, ſive moralem ſpectes. Cum uſu itaque bonorum fortunæ conſtanter conjungit metum mali oppoſiti. Quamvis enim jactura boni præſentis incerta ſit, nec certo prævidere poſſimus, ſtatum præſentem, quo delectamur, in pejorem mutatum iri; in caſu tamen dubio faciendum quod tutius, ideoque metus mali oppoſiti ſemper influere debet in determinationem actionum noſtrarum, ad quas nos incitare poteſt præſens rerum noſtrarum ſtatus. Patet itaque, eum, qui fortunæ mutabilitatem perpendit, bonis fortunæ ita uti, ac ſi ea non ſemper retenturus ſit. *Quod erat unum.*

Qui

Qui mutabilitatem fortunæ perpendit, quantum ſatis eſt: eum latere nequit, quod eam ſæpius culpa quædam noſtra antegrediatur, ut noſtræ etiam actiones contineantur in complexu cauſarum, in quarum concurſu fortuna conſiſtit, conſequenter cum effectus non ponatur, niſi poſita actione cauſæ efficientis (§. 898. *Ontol.*), fortuna non fuiſſet mutata, niſi culpa noſtra præceſſiſſet. Quoniam itaque per ſe patet, neminem velle, ut fortuna ſecunda mutetur in adverſam; qui mutabilitatem fortunæ perpendit, ſollicite ſibi cavet, ne ſua culpa ad mutationem quidpiam conferat. *Quod erat alterum.*

Efferuntur homines animo rebus ſecundis, ut fiant faſtoſi atque ſuperbi. Quodſi quis cogitet, fieri poſſe, ut ea amittat, ob quæ tantopere ſe effert; quam lubricum ſit faſtus ac ſuperbiæ fundamentum agnoſcet, ideoque vitiis hiſce non polluet animum. Ponamus elationis animi cauſam eſſe divitias: ſi cogites, te jacturam opum facere poſſe, ut, cum nunc ſis dives, fias pauper, ſaltem opes plurimum diminuantur variis caſibus funeſtis, quales contingere noſti; nullam eſſe rationem agnoſces, cur propter divitias ſis faſtoſus & ſuperbus. Similiter favet tibi fortuna, ut labore ac induſtria tua multum pecuniæ lucreris. Quodſi cogites, fieri poſſe, ut tibi labor tuus non ſit adeo fructuoſus, quemadmodum in præſenti; in luxum minime effunderis, ut pecuniam oſtentationis cauſa profundas, ſed potius parta in uſus futuros ſervare ſtudebis, quantum datur. Supra alios emines in aliquo ſcientiarum vel eruditionis genere, ut te ſuperiorem non agnoſcas. Si cogitas fieri poſſe, ut veniat alius, qui longe ulterius progreſſus palmam tibi non dubiam reddat, ſed extorqueat, tibi non amplius videberis, qui a nullo ſuperari poſſit, conſequenter nec te animo efferes, ſed modeſte de te ſenties. Patet itaque, quomodo perpenſatio mutabilitatis fortunæ promoveat rectum bonorum uſum & præcaveat abuſum, ut in virtutis tramite retineamur, nec

in vitia deflectamus. Exemplum culpæ habes in eo, qui in paupertatem incidit, propterea quod pecuniam profuderit, quam in uſum futurum conſervare poterat, ſibi perſuadens labore ac induſtria ſua ſe ſemper lucraturum, quantum nunc fortuna favente lucratur, quaſi vero a nobis unice dependeat, ut & eundem laborem perpetuo perferamus, & æque utilem experiamur. Ut perpenſatio mutabilitatis fortunæ omnem habeat uſum, quem habere poteſt; neceſſe eſt ut accurate diſcernantur, quæ ab eadem dependeant: id quod plerumque negligitur, quando actiones noſtræ cum fortuna concurrunt. Solent enim homines ſibi ſolis tribuere ea, in quibus magnæ ſunt fortunæ partes, multoque minus conſiderant, in quantum actiones ſuæ fortunæ poteſtati ſubjectæ ſunt.

§. 539.

Medium fortuna utendi quam motivis actiones legi naturæ convenienter determinandi.

Qui utraque fortuna uti vult tanquam motivis actiones ſuas determinandi legi naturæ convenienter, perpendere tenetur, fortunam pertinere ad providentiam divinam. Quodſi enim certi ſimus, fortunam pertinere ad providentiam divinam (§. 932. *part. 1. Theol. nat.*); ſi fortuna utamur ſecunda, quicquid boni adepti fuerimus, Deo acceptum ferendum eſſe agnoſcimus. Conſideratione beneficiorum divinorum concitatur amor Dei (§. 228. *part. 3. Eth.*), & novum indies capit incrementum (§. 229. *part. 3. Eth.*), conſequenter cum amor Dei obedientiæ incitamentum ſit atque hominem impellat ad quævis officia erga Deum, erga nos & erga alios præſtanda (§. 238. *part. 3. Eth.*), ſi fortuna ſecunda velimus uti tanquam motivis actiones noſtras legi naturæ convenienter determinandi, perpendere tenemur, quod providentiæ divinæ pars ſit fortuna ſecunda. *Quod erat unum.*

Similiter ſi certi ſimus, fortunam quoque adverſam pertinere ad providentiam divinam (§. 932. *part. 3. Theol. nat.*);

nihil

nihil nobis mali, qualecunque tandem ſit, nobis accidere agnoſcimus, niſi Deo providente, ſecundum ſapientiam atque bonitatem ſuam (§. 931. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum Deus dirigat in hoc univerſo mala phyſica & moralia in bonum finem (§. 680. *part. 1. Theol. nat.*); nulli quoque dubitamus, quin fortunam adverſam, quam experimur, in bonum finem directurus ſit. Quoniam itaque in providentia divina acquieſcimus, ſi, quicquid a Deo fit, vel permittitur in hoc univerſo, id recte ab eo fieri pro certo habemus (§. 1199. *part. 1. Jur. nat.*); ſi perpendimus, fortunam pertinere ad providentiam divinam, fortunam ſiniſtram experti in providentia divina acquieſcimus, atque tum fortuna adverſa utimur tanquam medio acquieſcendi in providentia divina, conſequenter quia acquieſcentia in providentia divina influit in fiduciam in Deo (§. 439. *part. 3. Eth.*) & in celebrationem nominis divini (§. 464. *part. 3. Eth.*), motivum quoque fit fortuna adverſa Deo confidendi & nomen ipſius celebrandi. *Quod erat alterum.*

Subſiſtendum nobis eſt in generalibus: quodſi enim ad ſpecialia deſcendere deberemus, habenda foret circumſtantiarum particularium ratio, a quibus pendent motiva tam virtutis colendæ, quam vitii fugiendi ſpecialia. Atque tum inquirendum in virtutes, quibus dediti ſumus, & in vitia, quibus laboramus, & perpendenda ſunt tam bona, quam mala, quæ nobis eveniunt, in ſpecie, ut appareat, qualia hinc deſumi poſſint motiva cum ad virtutem colendam, tum ad vitium fugiendum facientia. Et tum quoque opus eſt, ut obſervetur, num bona, quæ nobis eveniunt, habenda ſint pro præmiis divinis (§. 313. *part. 1. Phil. pract. univ.*), an mala pro pœnis (§. 308. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quo in caſu conſtat illa fore motiva in virtute perſeverandi & ulterius proficiendi, hæc vero motiva a vitiis deſiſtendi & voluntatem

tem emendandi. Omittimus alia, quæ in operibus noſtris ſatis verſato facile ſuggerit propria meditatio.

§. 540.

Quod idem ſit eſſe patientem & non eſſe impatientem.

Qui non eſt impatiens patiens eſt. Etenim impatientia vitium eſt, quo triſtitiæ nimium indulgemus in adverſis & affectibus moleſtis aliis animum torquemus (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo non fueris impatiens, triſtitiæ nimium non indulges in adverſis, nec affectibus moleſtis aliis animum torques, conſequenter appetitum & averſationem circa fortunam adverſam moderaris. Enimvero virtus, quæ moderatur appetitum & averſationem circa fortunam adverſam patientia eſt (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo non eſt impatiens patiens eſt.

Impatiens nimium contriſtatur malo præſenti (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum triſtitia tendat ad depellendam infelicitatem (§. 279. *part. 2. Eth.*), conſequenter ad immutandum ſtatum præſentem (§. 637. *Pſych. empir.*); pro diverſitate circumſtantiarum diverſi affectus triſtitiæ ſeſe aſſociant. Quoniam a malo, quo affligitur, liberari cupit, cum liberatio a malo æquipolleat conſecutioni boni (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), ubi malum ſuperatum iri diffidit, puſillanimitas accedit (§. 844. *Pſych. empir.*), quæ rendit ad omnem cogitationem de malo depellendo abjiciendi (§. 409. *part. 2. Eth.*), cujus tamen depellendi cupiditatem accendit atque alit triſtitia. Atque ita contrariis affectibus in diverſa trahitur animus inſtar navis in mari furente ventorum impetu atque fluctuum huc illuc ve jactatæ. Cum ſibi conſcius eſt, ſe ignorare media tollendi malum, aut incertus eſt, num hoc, vel iſto medio tolli poſſit, vacillatio animi affectibus præcedentibus ſe ſociat (§. 832. *Pſych. empir.*), quæ tandem deſperationi locum facit (§. 825. *Pſych. empir.*): quæ cum augeat cupiditatem impediendi, ne malum hoc diutius nos affligat, homines impellit, ut extre-

ma

ma omnia experiantur. Non desunt exempla hominum, qui dolorum podagræ pertæsi, cum & opibus abundarent, & dignitate præstarent, sibimetipsi manus violentas intulerunt. Nec desunt exempla aliorum, quos impatientia eo adegit, ut inhumano more in corpus suum sævirent. Plura dici poterant de affectibus molestis aliis, quibus torquetur impatientium animus: est cum ex iis, quæ diximus, intelligatur, quomodo ex genesi affectuum in Psychologia empirica exposita deducatur, quinam impatientiæ pro datis circumstantiis associentur, plura non addimus.

§. 541.

Quoniam patiens est, qui impatiens non est (§. 540.), *remedium impatientiæ est quoque medium patientiæ.* *De remedio impatientiæ & medio patientiæ.*

Sufficerit itaque ostendisse, quomodo medela impatientiæ afferatur, ut simus patientes. Sublata nimirum inquietudine animi, quæ in impatiente dominatur, erit ea mentis serenitas & animi tranquillitas, quæ patientiæ convenit. Exigit enim patientia animum a molestis affectibus vacuum, quibus ne agitetur ratio impedit.

§. 542.

Si impatiens esse nolueris, considerandum est, frustra affectibus molestis torqueri animum, non fortunam adversam, sed te esse infelicitatis tuæ causam, quod ejus repræsentatione affectus molestos suscites, nec impatientia dolorem leniri, sed exacerbari, immo si non habueris animum a virtute alienum, te obligari lege naturali, ne sis impatiens. Multum ad patientiam confert præparatio ad casus futuros: optimum vero adversus impatientiam præsidium est fiducia in Deo & acquiescentia in providentia ipsius. Impatiens nimium indulget tristitiæ in adversis (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter tristitia tendit ad depellendam infelicitatem (§. 292. *part.* *Remedia impatientiæ.*

part. 2. Eth.), ideoque ad immutandum ſtatum præſentem (§. 637. *Pſych. empir.*). Enimvero ſtatus præſens immutari nequit, niſi libereris a malo, quod te angit: ad quod cum omnes affectus moleſti, quibus torques animum (*not.* §. 540.), nihil conferant, ſed quamdiu hi ſubſiſtunt, ſtatus idem prorſus manet; impatiens fruſtra torquet animum affectibus moleſtis. Quamobrem cum abſurdum ſit, torquere animum ob ea, quæ immutare in poteſtate noſtra non eſt; ſi impatiens eſſe nolueris, conſiderandum eſt, fruſtra affectibus moleſtis torqueri animum, quamdiu impatiens es. *Quod erat primum.*

Quoniam impatiens triſtitiæ nimium indulget, ad malum, cujus conſideratione concitatur, nimis attentus (§. 265. *part. 2. Eth.*), ideoque multis affectibus moleſtis torquet animum (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*); infelix utique eſt (§. 637. *Pſych. empir.*). Enimvero fortuna adverſa, de qua conqueritur, ipſum non reddit infelicem, ſed ideo infelix eſt, quod ob eandem triſtitiæ indulget, atque aliis affectibus moleſtis locum concedit (§. 590. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum per naturam ſuam infelicitatem averſetur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ſi impatientiæ medelam afferre voluerit, probe conſiderandum eſt, quod non fortuna adverſa ſe reddat infelicem, ſed quod ſeipſum infelicem faciat, quod ejus repræſentatione affectus moleſtos concitet (*not.* §. 540.). *Quod erat ſecundum.*

Impatiens infelix eſt propter triſtitiam, cui nimium indulget, & affectus alios moleſtos, quos conſideratione mali ſui concitat, *per demonſtrata n. 2.* Quamvis itaque homini naturale ſit, ut malo contriſtetur (§. 621. *Pſych. empir.*), nec ſenſum doloris delere poſſit (§. 79. *Pſych. empir.*), conſequenter

ter per naturam ſuam ſtatum hunc averſetur (§. 637. *Pſych. empir.* & §. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque averſatio tendat ad eum immutandum (§. 250. *part. 2. Eth.*); ubi tamen triſtitiæ indulget, opinione infelicitatis ad conſiderationem mali accedente eandem auget (§. 621. *Pſych. empir.*) & liberationem ab eodem anhelans & in conſiderando malo ad alia pro datis circumſtantiis animum attendens varios affectus moleſtos concitat (*not.* §. 540.), dolorem, quo affligitur, non lenit, ſed exacerbat. Quamobrem cum abſurdum ſit, velle liberari a dolore, & eundem tamen exacerbare; ſi impatiens eſſe nolueris, probe conſiderandum eſt, impatientia dolorem non leniri, ſed exacerbari. *Quod erat tertium.*

Si quis non habet animum a virtute alienum, cum virtus conſiſtat in habitu actiones ſuas legi naturæ conformiter determinandi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ejus voluntas determinata eſt ad faciendum, quod lege naturæ præcipitur, & noluntas ad non faciendum, quod eadem prohibetur. Quamobrem cum lex naturæ præcipiat, ut ſimus patientes in adverſis (§. 593. *part. 1. Jur. nat.*), & prohibeat, ne ſimus impatientes (§. 595. *part. 1. Jur. nat.*); ſi qui non habet animum a virtute alienum impatientiæ medelam afferre voluerit, conſiderare tenetur, quod lege naturali obligetur, ne ſit impatiens. *Quod erat quartum.*

Qui ad caſus futuros ſe præparat, adverſa, quæ in poteſtate ſua poſita non ſunt, ſibi repræſentans tanquam eventu poſſibilia, nec a ſe declinabilia (§. 596. *part. 1. Jur. nat.*); ejus animus ob adverſa, quæ ipſi obtingunt, non perturbatur affectibus moleſtis (§. 597. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum animus impatientis affectibus moleſtis torquea-

tur (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*), patientia vero appetitum & averſationem circa fortunam adverſam moderetur (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque non concedat locum triſtitiæ nimiæ aliisque affectibus moleſtis, qui pro datis circumſtantiis eidem ſociari poſſunt (*not.* §. 540.); præparatio ad caſus futuros multum confert. *Quod erat quintum.*

Denique qui in providentia divina acquieſcit Deoque confidit, ejus animus ſemper tranquillus & lætus eſt (§. 442. *part. 3. Eth.*), in providentia divina acquieſcens, eventus omnes, qui a poteſtate ſua minime pendent, approbat (§. 437. *part. 3. Eth.*), &, ſi qua ſibi eveniunt, mala tranquillo animo fert (§. 438. *part. 3. Eth.*), Deo autem confiſus perſuaſiſſimus eſt, ipſum mala, quæ ſibi obtingunt, in bonum finem directurum, & ſe totum reſque ſuas providentiæ divinæ committit (§. 1186. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque ob mala, quæ ipſi obtingunt, moleſtis affectibus non concedit locum, ſed appetitum & averſationem circa ea moderatur, impatiens vero eſt, qui ob mala, quæ ſibi eveniunt, moleſtis affectibus animum torquet (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*), & ex adverſo patiens, qui appetitum & averſationem circa fortunam adverſam moderatur (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*); optimum omnino adverſus impatientiam præſidium eſt fiducia in Deo & acquieſcentia in providentia ipſius. *Quod erat ſextum.*

Patientiam eſſe virtutem difficillimam, præſertim ſi exquiſito dolore excruciatur corpus, vel ingenti malo affligitur animus, nemo eſt qui neſciat. Ac ideo quoque dudum in confeſſo eſt apud omnes, non cujusvis eſſe ut ſit patiens. Conſtat vero etiam, quod impatientes animum nimis intendant in malum, nec ab eo eundem ad alia cogitanda avocent. Dum malum præſens attentionem omnem in ſe trahit; nec facile

facile alia objecta cogitationem ipſorum ſubeunt, nec, ſi proponuntur alia, ab illo attentio ad hæc retrahitur. Quamobrem plurimum prodeſt præparatio ad caſus futuros, in qua, cum animus liber ſit ab omni affectuum impetu, animo ſedato multo rectius & efficacius cognoſcitur, quod impatiens fruſtra affectibus moleſtis torqueat animum, quod non fortuna adverſa hominem reddat infelicem, ſed ipſe infelicitatis ſuæ cauſa ſit, quod mali conſideratione affectus moleſtos concitet atque alat, neque dolorem impatientia leniri, ſed exacerbari. Veritatis igitur horum ubi perſuaſiſſimus fueris, quando tibi eveniunt mala, mentem ſubit eorum cogitatio cum ſenſu certitudinis, unde pendet efficacia remedii, & cum attentio a malo ad hæc retrahitur, remedio uteris. Quando igitur vides, aliis evenire mala, vel eveniſſe intelligis, cogita eadem vel hisce ſimilia tibi quoque evenire poſſe, ſecundum iſtud pervulgatum: hodie mihi, cras tibi, & animum ad hunc caſum præpara, perpendendo ea, quæ modo inculcavimus. Vide, quæ de hac præparatione jam alias annotavimus (*not.* §. 597. *part.* 1. *Jur. nat.*). Tempore autem præparationis maxime convenit, ut patientia virtus, impatientia vitium agnoſcatur, ſicque amor virtutis in patientiam, odium vitii in impatientiam diffundatur: virtute enim præditus virtutem amat (§. 351. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), vitium odit (§. 368. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Immo quæ de modo inſtillandi & alendi amorem virtutis (§. 234. *& ſeqq. part.* 2. *Eth.*), odium vitii demonſtrata ſunt (§. 230. *& ſeqq. part.* 2. *Eth.*), ad ingignendum & alendum amorem patientiæ, odium impatientiæ in ſpecie eodem tempore transferuntur. Quodſi porro conſideres, directionem actionum legi naturæ conformem eſſe voluntati divinæ conſentaneam (§. 278. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); agnoſces quoque velle Deum, ut ſis patiens, nolle ut ſis impatiens, conſequenter te Deo obedire, ſi patiens fueris (§. 1164. *part.* 1. *Jur. nat.*). Obedientia erga Deum quando influit in patientiam, eam multum facilitat, præſertim ſi nitatur timore Dei filiali (§. 326. *part.* 3. *Eth.*),

Eth.), ideoque ex amore Dei procedat (§. 318. *part. 3. Eth.*). Quamvis vero hæc officia plus conferant ad patientiam, quam omnibus ceteris mediis obtineri poteſt; non tamen æquiparantur fiduciæ in Deo & acquieſcentiæ in providentia divina, quemadmodum unusquisque in ſe experiri poteſt, modo Deo ſatis confidere & in providentia ipſius acquieſcere didicerit. Aſt tum nec deficiet amor Dei cum timore filiali & obedientia (§. 409. 410. *part. 3. Eth.*).

§. 542.

Motivum patientiæ.

Impatientia hominem reddit infelicem: patientia contra infelicitatem eum tuetur. Etenim impatiens triſtitia animum affligit, & affectibus moleſtis aliis torquet (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſtatus iſtiusmodi infelicitas ſit (§. 637. *Pſych. empir.*); impatientia hominem infelicem reddit. *Quod erat unum.*

Ex adverſo patiens appetitum & averſationem circa mala, quæ ipſi eveniunt, moderatur (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*). Quamvis itaque malum præſens triſtitiam concitet (§. 623. *Pſych. empir.*), non tamen nimium contriſtatur, nec affectibus aliis moleſtis animum torquet. Quamobrem cum in eo ſtatu, quo tædia ſive moleſtiæ perdurant, infelicitas conſiſtat (§. 637. *Pſych. empir.*); patientia hominem contra infelicitatem tuetur. *Quod erat alterum.*

Habemus hic motivum generale impatientiam vitandi, patientiam vero colendi. Aſt in caſibus particularibus dantur quoque ſpecialia, veluti quæ deſumuntur a conditione & ſtatu perſonæ, vel a quantitate mali, vel a ſociis mali, quæ tamen & ipſa pro diverſitate circumſtantiarum, ad quas ſemper attendendus animus in caſibus datis, diverſam induunt formam. Ad iſtiusmodi particularia vero deſcendere non eſt præſentis inſtituti.

§. 543.

§. 543.

Qui gloria ducuntur, iis motivum patientiæ eſt laus, quam ea parit. Patientiam eſſe virtutem difficillimam, ideoque raram in confeſſo eſt apud omnes (*not.* §. 541.), & ex ipſis remediis impatientiæ colligitur, ſi ea ſufficiente attentione rimemur (§. *cit.*). Quamobrem cum virtutes laudem pariant (§. 550, *part.* 1. *Jur. nat.*); tanto majore laude dignum ſe præſtat, qui patientem ſe præbet, præſertim in adverſitatibus magnis, quanto difficilior & rarior eſt hæc virtus. Enimvero qui gloria ducitur, ei benignum aliorum de actionibus ſuis judicium; conſequenter laus (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*), motivum eas committendi eſt (§. 351. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Qui ergo gloria ducuntur, iis motivum patientiæ eſt laus, quam ea parit. *Motivum patientiæ, ſi quis gloria ducitur.*

Non eſt quod exiſtimes, motivum patientiæ, virtutis adeo præclaræ, ex ambitione derivari. Virtus enim appetitur, ut ſimus laude digni, non vero laus, ut ea appetitum ſatiare ſtudeamus. Legi naturæ convenit, ut nos laude dignos præſtemus (§. 546. *part.* 1. *Jur. nat.*): id quod fieri nequit, niſi virtutem appetentes (§. 550. *part.* 1. *Jur. nat.*), meritum quoque laudis appetamus. Naturæ autem homini eſt, ut nihil appetat, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit (§. 156. *part.* 2. *Eth.*), conſequenter ſi appetere debemus meritum laudis, ex laude quoque voluptatem percipere licet. Vide, quæ alias eam in rem annotavimus (*not.* §. 351. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Ceterum patientiam laudari non modo a peritis & bonis, ſed promiſcue ab omnibus, modo animi ſui ſenſa verbis declarare voluerint, in vulgus notum eſt.

§. 544.

De signis patientiæ & impatientiæ.

Impatientia & patientia seipsam prodit, ut aliis signis non sit opus. Impatiens enim non modo tristitiæ nimium indulget, verum etiam affectibus aliis molestis torquet animum (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum vultus, gestus, vox atque sermo affectus prodant (§. 788. *part. 2. Phil. pract. univ.*); impatientia seipsam prodit. Et quoniam patiens est, qui impatiens non est (§. 540.); quando in adversis cessat impatientia, patientiam adesse patet. Nullis igitur signis aliis impatientia & patientia indiget.

Quoniam affectus præsentis dissimulatio difficillima (§. 806. *part. 2. Phil. pract. univ.*), patientiam quoque simulare, cum fueris impatiens difficillimum est, immo plerisque, si non omnibus, impossibile. Perpendas velim ea, quæ ad dissimulationem affectus requiruntur (§. 802. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & te facile habebo consentientem. Nihil absurdius est, quam si hypocrita, pietatis pomposæ affectator patientiam simulare vult, gratiam Dei prædicans, cui eandem acceptam verbis refert, cum affectuum, quibus agitatur animus, signa in oculos incurrant. Dedimus exemplum alias (*not.* §. 156. *part. 3. Eth.*). Facile sibi persuadent idiotæ, qui hospites ac peregrini sunt in Psychologia præsertim & Philosophia morali, se aliis pro lubitu imponere posse, quemadmodum sibi imponi patiuntur ab aliis, & sibimetipsi quoque imponere solent. Ast quam pueriliter errent, non multo acumine opus est ut videas.

§. 545.

Quoslibet impatientiæ suæ

Quoniam patientia & impatientia seipsam prodit (§. 544.); *non opus est ut quis patientiam suam, dum malis affligitur, ipsemet prædicet, & fieri nequit, quin impatiens impatientiæ suæ sibimetipsi*

metipſi conſcius ſit, conſequenter *ſi Deo patientiam verbis acceptam ſibi ſit con-*
refert, *cum ſit impatiens*, *ſe hypocritam manifeſto probat.* *ſcius*, *nec*

Pertinet huc exemplum inſulſi hypocritæ, ad quod modo provocavimus (*not.* §. 544). Si patientiam ſimulare volens efficaciam gratiæ divinæ in animum ſuum prædicat, triplici modo peccat, tum quod impatiens ſit, tum quod aliis impoſiturus mentiatur, tum quod hypocritam agat. Etenim hæc omnia legi naturæ adverſari ſatis conſtat. Præſta te patientem, & nemo erit, qui non viderit, te tacente (§. 544). Quod quilibet impatientiæ ſuæ ſibi ſit conſcius, ex ipſa definitione ſtatim patet. Cum enim impatiens triſtitiæ nimium indulgeat aliisque affectibus moleſtis torqueat animum (§. 594. *part. 1. Jur. nat.*); impoſſibile eſt, ut quis eorum ſibi non ſit conſcius. Et per ſe patet, ipſum quoque ſibi conſcium eſſe mali, cujus repræſentatione concitatur triſtitia, quamvis non æque ſatis diſcernat ea, quibus affectus cæteri concitantur, præſertim cum in tanta animi perturbatione, quanta eſt impatientis, ceſſat reflexio, qua quæ perceptioni totali inſunt a ſe invicem dividuntur. *patientiam ſuam prædicare habeat opus.*

§. 546.

Patientia inprimis elucet in perpeſſione malorum diuturna & grandium. Malum enim, quod nos affligit, averſamur (§. 590. *Pſych. empir.*), conſequenter cum averſatio tendat (§. 250. *part. 3. Eth.*), & appetitum excitet ad id depellendum (§. 102. *part. 3. Eth.*), cupiditas liberationis a malo concitatur (§. 810. *Pſych. empir.*): quæ cum differtur, ipſa mora moleſtiam creat, propterea quod nobis conſcii ſumus impotentiæ noſtræ (§. 518. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque hæc moleſtia malum reddit intolerabilius, ad id ferendum major conſtantia animi requiritur (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem cum patientia virtus ſit (§. 592. *part. 1. Jur. nat.*), ad virtutem vero requiratur conſtantia voluntatis (§. 328. *Quando patientia maxime conſpicua ſit.*

part. 1.

part. 1. Phil. pract. univ.); patientia inprimis elucet in perpessione malorum diuturna. *Quod erat unum.*

Quoniam malum, quod nos affligit, cupiditatem liberationis ab eodem concitat, *per demonstrata*; erit hæc tanto ardentior, quo grandius fuerit malum, ut quantocyus ab eo liberari mallemus. Quoniam igitur mora quævis grande malum intolerabilius efficit, ad id ferendum major constantia animi requiritur, quam aliud minus diuturnius. Patet igitur ut ante, patientiam inprimis elucere in perpessione grandium malorum. *Quod erat alterum.*

Ad virtutem cum constantia etiam requiratur, (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); constantia quoque animi eandem maxime probat. Constantia animi exigit, ut nullo modo te dimoveri patiaris a proposito præsente (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem si eandem agnoscere velis, necesse est ut cognoscas rationes, quibus voluntas in contrarium flecti poterat. Istiusmodi rationes sunt mali diuturnitas & magnitudo, id quod ipsa experientia confirmat. Videmus enim homines diuturnitate malorum fieri impatientes, quorum patientia spe liberationis per aliquem temporis tractum fuerat sustentata. Ideo quoque audias confitentes, postquam satis diu liberationem a malo frustra sperarunt, se ad desperationem redactum iri, nisi statim ab eo liberentur, aut si diutius adhuc eodem sint affligendi. Videmus etiam homines, qui mala minora toleranter perferunt, grandiora tamen perferre nesciunt. Ac ideo quoque grandiori malo flectere conamur voluntatem obstinatorum, quam minori flectere non possumus. Ex perpessione igitur malorum diuturna & grandium recte colligitur constantia animi in ferendis malis. Et quis est qui nesciat, quod admiremur patientiam in diuturniore malorum atque grandium perpessione?

§. 547.

Fortis pericula aggredi non veretur eorumque difficultates intrepide ſuſtinet, ſi alias facere teneretur, quod facere non debebat, vel non facere, quod debebat. Actus ad fortitudinem requiſiti.

Erenim fortis metu periculi imminentis ſeſe adduci minime patitur, ut faciat, quod facere non debebat, aut non faciat, quod debebat facere (§. 600. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut pericula aggredi non vereatur eorumque difficultates intrepide ſuſtineat, ſi alias facere teneretur, quod facere non debebat, vel non facere, quod debebat.

Cum fortitudo virtus ſit, neceſſe eſt ut verſetur circa actiones legi naturæ conformandas (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et quoniam metum moderatur (§. 600. *part. 1. Jur. nat.*), qui mali imminentis ſed eventu poſſibilis repræſentatione conciterur (§. 822. *Pſych. empir.*); cum metus tendat ad malum amoliendum (§. 396. *part. 2. Eth.*), fortitudinis eſt impedire, ne eodem adducamur ad quidpiam committendum, quod legi naturæ contrarium. Hoc igitur ſi fieri non poſſit, niſi periculum aggrediamur, & qualecunque id experiamur, intrepide ſuſtineamus; fortis omnino eſt & aggredi periculum, & intrepide ſuſtinere. Ad fortitudinem itaque duo requiruntur actus, nimirum aggredi periculum & ejus difficultates intrepide ſuſtinere, ne tandem ſuccumbens fine intento excidas; finis autem fortitudinis eſt evitare transgreſſionem legis naturæ, ſeu non facere, quod officio repugnat. Exemplum fortitudinis laudavimus martyres, horrendos cruciatus perpeſſos, ne religionem chriſtianam ejurare tenerentur. Finis, quem intendebant, erat perſeverantia in religione chriſtiana & vitatio cultus idololatrici gentilium. Incutiebatur ipſis metus cruciatuum horrendorum perpeſſione & mortis diræ. Hunc vero ita moderabantur, ut non vererentur ſe exponere crudelitati perſecutorum

& quosvis cruciatus intrepide perferre ipſamque mortem ſubire, ne fine intento exciderent. Duo igitur actus, quos ad fortitudinem requirimus, in martyribus maxime conſpicui ſunt, nec minus elucet finis, cum lege naturali prohibeatur, ne cultus Deo debitus exhibeatur enti cuidam, qui Deus non eſt (§. 1259. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter diis falſis atque idolis (§. 1261. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 548.

De fortitudine recte dijudicanda.

Quoniam fortis eſt pericula aggredi & eorum difficultates intrepide ſuſtinere, ea quidem intentione, ne quid committat, quod obligationi ſuæ quomodocunque repugnat (§. 547.); *ſi quis pericula quidem aggreditur, ſed eorum difficultates intrepide non ſuſtinet, fortis non eſt; neque etiam fortis eſt, qui pericula ſubit, & eorum difficultates intrepide ſuſtinet, ſed ea intentione, ut quid faciat, quod facere non debebat, aut non faciat, quod facere debebat, ſeu ut quid committat, quod obligationi ſuæ repugnet.*

Patet itaque, quod in dijudicanda fortitudine cauti eſſe debeamus. Antequam enim laudem fortitudinis tribuas alicui, neceſſe eſt, ut conſtet, eum & pericula aggreſſum fuiſſe & eorum difficultates intrepide ſuſtinuiſſe, & utrumque feciſſe ea intentione, ne deeſſet obligationi ſuæ, ſeu officio ſuo. Neceſſe autem eſt, ut actiones ſint voluntariæ: virtuti enim non imputatur, niſi quod voluntarium fuerit. Quodſi erretur in fine, qui intenditur, periculum aggreſſus & intrepide ſuſtinens forti ſimilem ſe præbet, non tamen eſt: qui periculum aggreditur, aſt non intrepide ſuſtinet, quamvis in fine non erret, fortis eſſe vult, aſt ſe nondum eſſe probat. Ita fortis non eſt, qui pro falſa religione eosdem cruciatus ſuſtinet, quos perpeſſi ſunt martyres, quorum exemplo fortitudinem modo illuſtravimus (*not.* §. 547.). Nec fortis eſt autochir, qui, ut malo quodam, qualecunque id fuerit,

fuerit, ſe liberet, aut id evitet, ſibi ipſi manus violentas infert. Neque etiam fortis dicendus eſt miles, qui deſertionis cauſa mortis periculo ſe committit. Similiter fortis non eſt, qui ſuborto incendio per medias flammas tranſiturus vitam ſervare cupit, aſt ubi flamma comburit crines, vel veſtem corripit, ſtatim regreditur. Actus ad fortitudinem requiſiti in oculos incurrunt, aut ex circumſtantiis, ſi præſentes non fuerimus, colliguntur facillime: aſt intentio non ſemper eadem facilitate patet, &, ubi innotuit, examinanda demum eſt, num legi naturæ conveniat, an eidem contrarietur.

§ 549.

Quoniam ad fortitudinem requiritur, ut pericula aggrediamur eorumque difficultates intrepide ſuſtineamus (§. 547.); *gradus fortitudinis æſtimantur ex magnitudine periculi, & de æſtimatur. ex numero atque magnitudine difficultatum, quas ſubiturus experitur.*

Gradus fortitudinis æſtimantur ex magnitudine periculi, & de æſtimatur. ex numero atque magnitudine difficultatum, quas ſubiturus experitur.

Ideo major cenſetur fortitudo martyrum, qui horrenda crudelitate exruciati ſunt, quam qui ſaltem capite truncati, aut ſub aquis demerſi ſuffocati ſunt. Dantur fortitudinis gradus. Quamvis itaque vulgo cum *Ariſtotele* fortitudo ad ardua reſtringatur; id tamen fit ſine ratione ſufficiente. Dantur enim etiam gradus in virtutibus ceteris. Majorem vero laudem utique meretur, qui ardua non metuit, quam qui ſaltem mala tolerabiliora non pertimeſcit. Fortitudo virtus eſt, quæ moderatur metum periculi, ne eodem a virtutis tramite, aut officio tuo te abduci patiaris. Moderari igitur debet non minus metum periculi parvi, quam ardui. Ceterum cum non unius generis ſint, quæ metum homini incutere poſſint, & variæ dentur cauſæ, cur quis ſubinde pertimeſcat mala minora, immo etiam per errorem ſibi metuat, ubi nullum metuendum periculum eſt, veluti ſi quis timet ſpectra; fieri omnino poteſt, ut quis minus periculum horreat, quam majus, & fortitudinem ſuam, quam circa ardua prodit, circa minora in ſe deſiderari patitur.

§. 550.

De reſiſtentia fortis adverſus pericula, quæ ſubit.

Similiter cum *fortis* pericula ſubeat & intrepide ſuſtineat, certi finis conſequendi cauſa (§. 547.); *ſi finem, quem intendit, conſequi nequit, niſi periculum avertat, nihil eorum omittit, quæ a ſe fieri poſſunt, ut id avertatur.*

Exemplum habemus in fortitudine bellica, ſeu militari. Quando in aciem progreditur miles, periculum ipſi imminet vel mortis, vel vulnerationis, vel captivitatis: quod ubi a ſe avertere ſtudet, alacriter vi hoſtili reſiſtere tenetur, & ex hac reſiſtentia æſtimatur fortitudo ejus, ac fortiter pugnare dicitur, qui alacriter reſiſtit. Notandum vero eſt in æſtimanda fortitudine non eſſe confundendum periculum, quod evitandum, ne deſimus officio cuidam erga nos, vel alios, cum periculo, quod ſubeundum, ne in illud incidamus. Ita ſuborto incendio ſi quis vitam ſervare ſtudet, ſubeundo periculum arduum, veluti per medias flammas tranſiliens, aut ex loco alto ſe demittens, vel deſiliens, non fortem ſe præbet, quod periculum a ferali flamma ſibi imminens evitare ſtuduit, ſed quod non metuit periculum, quod hoc evitaturus ſubire auſit. Fortitudo nimirum non regit metum, quem incendium incutit; ſed metum, quem concitare poterat periculum, quod ſubeundum, ne tibi noceat flamma feralis. Per ſe vero patet, actus ad fortitudinem requiſitos in ſe quoque liciros eſſe debere.

§. 551.

Medium fortitudinis & remedium timiditatis.

Qui fortis eſſe vult, & vitare timiditatem, operam dare debet conſtantiæ animi in virtute. Etenim qui operam dat conſtantiæ animi in virtute, is nullo modo ſe adduci patitur, ut a virtutis tramite deflectat (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*), conſequenter ut quidpiam committat, quod legi naturæ repugnat (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque nec metu periculi

riculi ſubeundi ad hoc ſe adduci patitur, ſed id potius aggreditur & ejus difficultates intrepide ſuſtinet, multo minus autem leviſſimi cujusdam periculi metu ſe permoveri patitur, ut deſit obligationi ſuæ. Quamobrem cum fortem ſe præbeat, qui metu periculi imminentis ſeſe adduci minime patitur, ut faciat, quod facere non debebat, vel non faciat, quod facere debebat, ſed metum potius moderatus, periculum aggreditur & ejus difficultates intrepide ſuſtinet (§. 600. *part. 1. Jur. nat.* & §. 547. *b.*), aſt ex adverſo timidus leviſſimi cujusvis periculi metu ſe compelli patitur, ut deſit obligationi ſuæ (§. 602. *part. 1. Jur. nat.*); qui fortis eſſe vult, & timiditatem vitare, operam dare debet conſtantiæ animi in virtute.

Equidem conſtantia animi requiritur ad omnem virtutem (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*); non tamen omnium virtus adeo perfecta eſt, ut adſit animi conſtantia. Habet vero etiam hæc ſuos gradus, ut non omnis ſufficiat ad ſuperandum metum quemcunque, ideoque etiam fieri poteſt, ut ſit præſidium adverſus timiditatem, nondum vero ſufficiat ad fortitudinem. Notandum præterea eſt, æſtimationem magnitudinis periculi, a quo dependet gradus metus, adverſus quem valere debet conſtantia animi, multum pendere ab opinione hominum, quæ dominatur in omnibus affectibus, ſed plurimum variat. Tenendum quoque opinionem mutari, ſi periculum aggreſſi difficultates ſentiamus, cum præſentia nos magis afficiant, quam abſentia, præſertim quæ nondum experti ſumus. Quamobrem nec nimium de viribus noſtris confidere debemus, ne plus de iis ſperemus, quam in iisdem eſt.

§. 552.

Ad fortitudinem plurimum confert fiducia in Deo & eadem magnum adverſus timiditatem præſidium eſt. Qui enim Deo con-

De influxu fiduciæ in

Deo in fortitudinem & timiditatem.

fidit certus eſt, quomodocunque in poſterum cadant res ſuæ, ſemper eventurum, quod ex parte ſua melius (§. 411. *part. 3. Eth.*), nec ejus animum periculum imminens perturbat (§. 422. *part. 3. Eth.*), quod ſuum eſt, pro virili agit, curam vero eventus Deo relinquit (§. 423. *part. 3. Eth.*). Quamobrem cum fortis agat quod ſuum eſt, ſi ſe periculo committit ejusque difficultates intrepide fert, metumque temperat (§. 547.); fiducia in Deo plurimum confert ad fortitudinem. *Quod erat unum.*

Quoniam vero metum ita temperans, ne eodem ſe adduci patiatur, ut faciat, quæ facere non debebat, aut non faciat, quæ facere debebat, timidus non eſt (§. 602. *part. 1. Jur. nat.*); ideo ſimul patet, fiduciam in Deo magnum eſſe adverſus timiditatem præſidium. *Quod erat alterum.*

Fiducia in Deo nobis addit animum, ut periculum aggrediamur, eundemque obfirmat, ut intrepide difficultates ejus ſuſtineamus, metum vero depellit. Hoc fugat timiditatem; illud vero fortitudinem gignit. Fortitudo cum præcipua virtus militis ſit; hinc intelligitur, quantum fiducia in Deo commendanda & inculcanda ſit militibus.

§. 553.

Quænam timido perpendenda.

Qui timidus eſt, perpendere quoque debet, niſi timiditatem emendet, in poteſtate aliorum eſſe, ut per injuriarum comminationem compellatur ad faciendum, quod eſt contra officium ſuum. Qui enim timidus eſt, metu leviſſimi cujusvis periculi ſe adduci patitur, ut faciat, quæ facere non debebat, aut non faciat, quæ facere debebat (§. 602. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem ſi quis injurias comminetur, vel ſubſit ratio, cur eas metuamus, niſi voluntatem noſtram voluntati ipſius accommodemus;

demus; facere non verebimur, quæ ipſe voluerit, quamvis id ſit contra officium noſtrum. Quoniam itaque actiones noſtras a voluntate aliorum dependentes facit timiditas, ideoque libertate nos privat (§. 153. *part. 1. Jur. nat.*), & facile nos ad ſcelera & quælibet vitia ſeducit; qui timidus eſt, perpendere quoque debet, niſi timiditatem emendet, in poteſtate aliorum eſſe, ut per injuriarum comminationem compellamur ad faciendum, quod eſt contra officium.

Nihil homini magis inviſum eſt quam non eſſe ſui juris, ſed dependere in agendo ab aliorum voluntate. Abſurdum igitur eſt ſeipſum ſubjicere alteri & quaſi in ſervitutem addicere. Nihil vero turpius eſt, quam ſi hoc fiat in iis, quæ ſunt contra officium noſtrum. Pudeat igitur viros factum contra officium ſuum excuſare metu injuriarum a petente injuſta faciendarum. Quid, quæſo, expectandum ab iſtiusmodi hominibus, quibus nihil tam ſanctum eſt, quin in gratiam eorum, quos metuunt, id violent?

§. 554

Si quis audax eſſe non debet, ei perpendendum eſt, nulla obligatione urgente pericula ſubire, non modo contra legem naturæ, verum etiam imprudentiæ eſſe. Cum enim non modo vitæ, ſed & integritatem membrorum corporis lædendi periculum vitare debeamus (§. 371. 373. *part. 1. Jur. nat.*), & ab omnibus fortunæ malis nobis cavere, quantum in poteſtate eſt (§. 183. *part. 1. Jur. nat.*); nulla obligatione urgente pericula ſubire utique contra legem naturæ eſt, conſequenter nullam laudem parit (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), ſed potius ignominiam (§. 822. *part. 1. Jur. nat.*). Et quoniam imprudentiæ eſt facere, quod vi circumſtantiarum præſentium potius fieri

Remedium audaciæ.

fieri non debebat (§. 776. *part. 1. Phil. pract. univ.*); imprudentiæ quoque eſt nulla urgente neceſſitate pericula ſubire. Quoniam itaque audax eſt, qui nulla urgente obligatione pericula quævis ſubit (§. 604. *part. 1. Jur. nat.*), nemo vero ſanus id facit, quod ipſum ignominia dignum & imprudentiæ reum probat; ſi quis audax eſſe non debet, ei perpendendum eſt, nulla obligatione urgente pericula ſubire non modo contra legem naturæ, verum etiam imprudentiæ eſſe.

Habet audacia quandam convenientiam cum fortitudine, quatenus audax & fortis ſubire pericula non verentur. Sed in eo differunt, quod audax hoc faciat nulla urgente, fortis autem urgente aliqua obligatione naturali. Et propter hanc differentiam fortitudo virtus eſt laudique cedit; audacia vero vitium eſt & ignominiam parit. Accedit quoque audacia ad facta lege naturali prohibita, & ſubinde eidem locum facit culpa quædam. Aſt tum corrigendum eſt vitium, emendanda culpa, ut ceſſet audacia, conſequenter non opus eſt, ut audaciæ medela afferatur.

FINIS

PARTIS IV. ETHICÆ.

CON-

Bayerische Staatsbibliothek

CONSPECTUS
TOMI IV.
PHILOSOPHIÆ MORALIS,
SIVE
ETHICÆ,
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS, QUIBUS PRAXIS OFFICIORUM ERGA NOSMETIPSOS CONTINETUR.

CAPUT I.

De Notitia ſui, pag. 1

CAPUT II.

De Amore & Dilectione ſui, 61

CAPUT III.

De Cura Animæ, 173

CAPUT IV.

De Cura Corporis, ubi agitur de Temperantia & Intemperantia, Sobrietate & Ebrietate, Caſtitate & Delictis carnis, 180

CAPUT V.

De Cura Rerum, ubi agitur de Continentia, Avaritia & Incuria, Parſimonia, Prodigalitate, Luxu & Tenacitate, Magnificentia & Sordibus, 511

CAPUT VI.

De Cura Famæ ac Fortunæ, ubi agitur de Modeſtia, Magnanimitate, Ambitione, Arrogantia & Puſillanimitate, Humilitate, Faſtu & Abjecto Animo, Patientia & Impatientia, Fortitudine, Timiditate & Audacia, 689

FINIS CONSPECTUS PARTIS IV. ETHICÆ.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM, IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Abjecti animi bono quænam motiva negligat, 532. quodnam decorum negligat, 533.

Abjecti animi remedium, 534. 535.

Abſtinentia ſtimulus naturalis, 212.

Abſtinentia a venere illicita num ſit ſignum caſtitatis, 337.

Abſurditas ejus, qui bonis ſuis non lætatur, alienis contriſtatur, 396.

Acquieſcentia in providentia divina quid conferat ad tuendam ſanitatem, 229.

Acquieſcentiæ in providentia divina influxus in curam vitæ, 194. in laborem, 374. in temperantiam, 274.

Aër quinam ſanitati conducat, 217. quænam cura ſanitatis cauſa eidem habenda, 218.

Aëris qualitates, 216.

Affectus vehementes num ſanitati adverſentur, 227. quod ſanitatis cauſa præcavendi & moderandi, 228.

Agnitio Dei ad notitiam ſui requiſita, 31.

Ambitio cuinam virtuti opponatur, 517. quando avaritiam gignat, 420. quando luxum, 465.

Ambitionis remedium, 519. 521. 523. ſignum, 522.

Ambitioſus qualem honorem ac laudem appetat, 507. quo utatur principio in bono dijudicando, 508. quod ſeipſum laudet ſuasque laudes ebuccinet, 509. quando ſibi ipſi contrarietur, 520.

Amiſſibilium ab iis, quæ nulla vi nobis eripi poſſunt, diſcretio ad notitiam ſui requiſita, 27. quomodo ea agnoſcatur, 28.

Amoris Dei copulatio cum humilitate, 498. influxus in laborem, 372. in regimen cupiditatis lucri & fugam avaritiæ, 413.

Amor ſanitatis quomodo concitandus, 254. quo tendat, 255. ad temperantiam requiritur, 250. in caſtitatem influit, 329.

Amor ſui num ſit homini naturalis, 45. quo tendat, 46. quando ſit rationalis & ordinatus, 50. num indigeat motivo, 61. quomodo regatur,

Digitized by Google

tur, 47. quando nos reddat felices, 48.
Amorem ſui regimini intellectus ſubjiciendi motivum, 62.
Amoris virtutis nexus cum cura animæ, 157.
Amor vitæ homini naturalis, 185.
Animus ſorte ſua contentus quomodo non turbetur abundantia divitiarum alienarum, 388.
Animi ſorte ſua non contenti abſurditas, 393. turpitudo, 392. remedium, 394. 395.
Appetentiæ pecuniæ propter ſe abſurditas, 408.
Arrogans quando ſibi ipſi contrarietur, 520. ejus opinio de ſe, 511. de honore ac laude, 510. jactantia, 526.
Arrogantia cuinam virtuti opponatur, 517. quando ad ambitionem accedat, 512. luxus cauſa, 525. ejus remedium, 519. 521.
Atheiſmus notitiæ ſui perfectæ obſtat, 32. influxus in curam animæ, 166. quomodo hic impediatur, 167.
Avarus quando pecuniam propter ſe appetat, 403. quando non curet moleſtiam ex pecuniæ acquiſitione & conſervatione ortam, 404.
Avarus meticuloſus in providentia divina non acquieſcit, nec Deo confidit, 416. ejus querelæ & ægritudo, 415.
Avaritia quomodo caute æſtimanda, 447. ejus effectus, 418. cauſæ, 403. 420. 423. 414. 426. remedium, 411. 412. 413.
Avaritia ambitione genita, 430. ejus effectus, 421. remedium, 422.
Avaritia quomodo metu gignatur, 414. ejus effectus, 417. remedium, 419.
Avaritia quomodo falſa opinione de ſummo bono gignatur, 403. remedium inefficax, ſi pecunia propter ſe appetitur, 405. genuinum, 406.
Avaritia quomodo prodigalitate vel luxu gignatur, 423. remedium, 424. ſignum, 425.
Avaritia quomodo cupidine voluptatis gignatur, 426. ſignum, 427. remedium, 428. 429.
Audaciæ remedium, 554.
Autochiria contra naturam humanam eſt, 195. injuria in Deum, 196. nullam habet excuſationem, 197.

B.

Beatitudinis impedimentum maximum & quomodo tollatur, 24. medium, 23.
Beneficium Dei in cibo ac potu conſpicuum, 267.
Bona corporis & fortunæ num laudem pariant, 518.

Bonitas Dei ex usu membrorum corporis agnoscenda, 293.

C.

Castitatis studium, quale esse debeat, 322. cur eidem tempestive adsuefieri debeamus, 324. impedimentum, 321. signum, 340. deficientis signum, 339. num signum sit abstinentia a venere illicita, 337.

Castitatem culturus quid ante omnia nosse debeat, 318. 319. qualem habere debeat voluntatem, 320.

Casus in re nostra contingens quomodo considerandus, 352.

Charitas Dei quomodo influat in omnem virtutem, 60.

Charitas sui. Definitio, 51. quinam ejus sint expertes, 91. num sit virtus, 52. quomodo influat in omnem virtutem, 59. quomodo cum charitate Dei coalescat, 69. quando obedientiam Deo præstandam una contineat, 69.

Corporis abusus remedium, 336.

Culpam vitandi studium num sit virtus, 181. ad curam animæ requisitum, 179. quænam in eo observanda, 180.

Cura animæ. Definitio, 134. an sit virtus, 137. quænam in Ethica de ea tradenda, 136. quousque extendatur in Philosophia, 172. quænam ad eam referantur, 135. a virtute inseparabilis, 146. ejus motivum, 142. utilitas, 139. & seqq. nexus cum amore virtutis, 153. cum studio consequendi summum bonum, 158. ad vitam perfectam requiritur, 160. exigit notitiam sui, 154. agnitionem personæ multiplicis sibi impositæ, 153. pietatem, 151. directionem actionum ad gloriam Dei, 147. sollicitudinem promovendi perfectionem animæ, 138. sollicitudinem serviendi Deo, 149. studium sapiendi ex casu alieno & proprio, 155. ea omnia, quæ de modo consequendi summum bonum demonstrantur, 159. studium vitandi culpam, 179. imitationem præclarorum exemplorum, 156. quamdiu gerenda, 178. quinam eam negligant, 163. 165. 166. 168. 170. quod hominem maxime deceat, 174.

Cura animæ neglecta hominem maxime dedecet, 173. 175. ejus remedia, 164. 166. 167. 169. 171.

Curam animæ habens, quem finem intendere debeat, 148. 161. 162. Deo vivere, 150. personam sibi impositam recte gerere debet, 152. a quorumnam librorum lectione abstinendum, 176. 177.

Cura continentiæ qualis conveniat, 382. 383.

gitized by Google

Cùra corporis. Definitio, 182. quænam ad eam requirantur, 184.
Cura famæ medium, - 477.
Cura fortunæ habenda, 536.
Curæ integritatis membrorum ſignum, 297.
Cura pulchritudinis num ſit virtus, 303.
Cura rerum quotuplex, 345. quam rerum diſcretionem exigat, 348.
Cura veſtimentorum ad quamnam curam pertineat, 298. quænam de ea obſervanda, 299. ejus impedimentum & quomodo tollatur, 300.
Cura vitæ quotuplex, 191.

D.

Decorum obſervandum in cibo & potu capiendo, 287. 288. in veſtibus, 301.
Deceptio in notitia ſui quomodo vitetur, 39. 40.
Deus quomodo labore noſtro colatur, 376. quomodo dator omnis boni agnoſcatur, 494. quando magis nobis placeat, quam nos placemus, 80. quinam eum imitetur, 44.
Deo vivere quod pertineat ad curam animæ, 150.
Deo, non ſibi vivere debet homo, 188.
Deo rectè ſerviendi modus quomodo agnoſcatur, 19.
Diæta ad ſanitatis conſervationem requiſita, 199. ejus utilitas, 233.
Diætæ cura qualis eſſe debeat, 232.
Diætæ neglectus cauſa præcipua, 279. 281. remedium, 280. 282.
Dignitates civiles quando honorem verum laudemque veram pariant, 504. quantum æſtimentur ab eo, qui vero honore ac laude ſe dignum præſtat, 586.
Dignitate civili fulgens quid facere debeat, 505.
Dilectio ſui unde oriatur, 49. motivum, 63. 64. medium, 85. qualem notitiam ſupponat, 84. qualem voluntatem, 83. nexus cum amore Dei, 65. culturam virtutis promovet, 71. impedimentum & quomodo tollatur, 120. 86. 87. 88. num eidem obſtet uſus voluptatum tranſitoriarum, 97. quinam ea careant, 91.
Dilectio ſui propter Deum quid ſit 54. lege naturæ præcepta, 53. qualem voluntatem ſupponat, 83. quod unionem cum Deo ſupponat, 55. unde pendeat, 56. nexus cum dilectione Dei, 56. cum pietate, 57. 72. gignit ſe ſtatumque ſuum perficiendi ſtudium, 58. promovet pietatem, 72. & directionem actionum ad finem univerſi, 73.
Diligentia promovendi perfectionem animæ unde pendeat, 139.

Directio actionum ad finem universi quomodo promoveatur, 73. quod sit complementum perfectionis humanæ, 74.
Directio actionum ad gloriam Dei ad curam animæ requisita, 147.
Dominii divini agnitio medium vitæ conservandæ & recte impendendæ, 193.
Dotes naturales quomodo agnoscantur, 9.

E.

Ebrietas quomodo vitanda, 258. quinam eam maxime fugere debeant, 241. & seqq.
Ebrietatis causa, 257.
Ebrietatis odium quomodo concipiatur, 247.
Ebrietatem vitandi motiva, 240. 249. medium, 238.
Ebrietatem vitandi motiva quomodo voluntatem constantem & perpetuam faciant, 245.
Effectus nocui in corpore cur non statim observentur, 231.
Epicuræi quibusnam voluptatibus indulgeant, 117. si fuerint materialistæ, athei, vel Deistæ, 118.
Epicuræismus curæ animæ maxime adversus, 168. ejus remedia, 121. 122. 169. num tollere possit conscientiam & morsus conscientiæ, 130.
Epicuræismus materialistarum, atheorum & deistarum dilectioni sui maxime contrarius, 120.
Errores quando fiant nocentiores, 127. 128.
Errores connexi & inconnexi quinam, 125.
Errores contradictorii & combinabiles quinam, 125.
Errores pravi cur non tantum noceant, quantum poterant, 126.
Excreta. Definitio, 223. quænam eorum ratio in tuenda sanitate habenda, 223.
Existimatio modestum sequitur fugientem, 485.

F.

Fæcum alvi excretio quænam observanda requirat, 224.
Facta sua commemorare quando licitum, 527.
Facultatum, virium ac rerum usus amplioris agnitio ad notitiam sui requiritur, 20. quomodo acquiratur, 21.
Fama modestum sequitur fugientem, 485.
Famæ meritum quinam æstimare possit, 481. 482.
Famam appetendi absurditas, 479. non appetentis animus, 480.
Famam qui merentur cur non habeant, 478.

Faſtus ſignum, 523. remedium, 519. 521. cur nimium inflet, 515. quando luxum gignat, 467. quando cum ambitione copuletur, 516. cuinam virtuti opponatur, 517.
Faſtoſus quomodo de ſe ſentiat, 513. quomodo æſtimet merita ſua, 514. quando ſibi ipſi contrarietur, 520.
Felicitatis æſtimatio quænam dilectioni ſui contrarietur, 152. ex perceptionibus jucundis quam ſit noxia, 323.
Felicitatis compos num eſſe poſſit pauper & mendicus, 397.
Felicitatis curam abjicere legi naturæ contrariatur, 89.
Felicitatis medium ſpurium, 278.
Felicitatis præpoſterum ſtudium legi naturæ adverſum, 89. num ſit vitium, 90.
Felicitatis veræ ignorantia impedimentum dilectionis ſui, 87.
Fiducia in Deo magnum præſidium adverſus timiditatem, 552. ejus influxus in curam vitæ, 194. in conſervationem ſanitatis, 229. in fortitudinem, 552. in laborem, 374. in temperantiam & diætam, 275.
Finis intendendus ab eo, qui curam animæ habet, 148. in pecunia acquirenda & eroganda, 363.
Fortis reſiſtentia adverſus pericula, 550.
Fortitudo quomodo recte dijudicetur, 548.
Fortitudinis actus, 547. gradus quomodo æſtimentur, 549. medium, 551. 552.
Fortuna quæ dat, quomodo agnoſcantur, 10. in quibusnam conſpiciantur, 7. quomodo cum ſtudio, labore ac induſtria in acquirendo concurrat, 8.
Fortunæ quænam cura habenda, 536. quænam ſint dotes, 6.
Fortuna ſecunda ne nimium confidamus, nec adverſa meliora deſperemus quomodo caveatur, 537.
Fortunæ ſecundæ mutabilitatis perpenſatio quamnam habeat utilitatem, 538.
Fortuna utraque tanquam motivis utendi medium, 539.

G.

Gloria dat vires ſe noſcendi, 38.
Gratiæ Deo agendæ pro integritate membrorum corporis, 294.

H.

Habitus acquiſiti unde agnoſcantur, 12. quænam præſupponantur, ut agnoſcantur, 13.
Homo quid ſit in materialiſtarum hypotheſi, 33. perperam habetur pro animali omnium miſerrimo, 132. 133. cuinam vivere debeat, 188. quatenus vivat propter alios, 189.

189. quomodo de vita ſua ſtatuere debeat, 190. ſe diligere debet propter Deum, 53.
Honor modeſtum ſequitur fugientem, 458.
Horror mortis homini naturalis, 186.
Humilis quomodo laudi ſtudeat, 496. quomodo perfectione ſua & laude delectetur, 499. quomodo virtutes intellectuales & morales acquiſitas ſpectet, 497. quomodo Deum conſideret, 492. 493.
Humilitas quomodo cum amore Dei copuletur, 498. cum modeſtia & pietate, 502. ejus medium, 490. qualem ſcientiam requirat, 491. num ei repugnet gloria ſtimulari ad faciendos in bono profectus, 501.

I.

Jactantia arrogantium, 526.
Ignorantia Dei obſtat perfectæ notitiæ ſui, 32.
Imitatio aliorum qualis conveniat curæ animæ, 156.
Imitatio Dei cujusnam ſit, 44.
Imitatores cæci aliorum cui periculo ſe exponant, 115. quomodo id vitetur, 116.
Impatientiæ ſignum, 544. remedia, 542.
Impatientiæ ſuæ quilibet ſibi conſcius, 545.
Incuriæ cauſa, 450. 449. effectus, 451. remedia, 452. & ſeqq.
Incuria fortuna ſecunda genita, 456. remedium, 457. prodigalitatis & luxus cauſa, 458.
Incurius quomodo vivat, 448. qualis ſit nimia ejus confidentia, 449.
Integritatis membrorum corporis neglectus medium, 289.
Intemperantia quomodo vitanda, 258. 271. injuria in Deum eſt, 276. ejus cauſa, 257. motivum vitandi ab animantibus brutis deſumtum, 277. num ei faveat longævitas intemperantium, 283.
Intemperantis ſtultitia & abſurditas, 263. etſi hæſitet de ſalutari effectu temperantiæ, 285.
Invidia laudis aliorum modeſtiæ adverſa, 487.
Judicii Dei certitudo de ſtatu noſtro, 396.
Jus ad pecuniam nobis competens, 364. ad cibum & potum, 264. ad ſenſum cibo & potu hilarandum, 265.
Jus hominis in re ſua quale ſit, 351. 353. 354. num ſufficiat ad perſonam ſibi impoſitam recte gerendam, 355. num ad felicitatem, 357. num ad conſequendum ſummum bonum, 358.
Jus res deſtruendi & immutandi quando homini competat, 356.

L.

Labor quomodo ſpectandus ſit, 371. ejus finis, 369. quomodo eidem moleſtia

molestia detrahatur, 373. quomodo ejus fiamus patientes, 373. quomodo eodem recte fungamur, 367. quomodo fungamur propter Deum, 376. quomodo eodem colatur Deus, 376. quinam a nimio sese abstineat, 370.
Laborare num sit virtutis, 366.
Laborantis preces, 377. 378. qualem requirant animum, 379.
Laus modestum sequitur fugientem, 485.
Laus propria modestiæ adversa, 486. injuria in Deum, 495.
Laudes suas commemorare quando licitum, 527.
Librorum quorumnam lectio curæ animæ noceat, 176. remedium, 177.
Longævitas intemperantium an faveat intemperantiæ, 283.
Lucri cupido num extirpanda, 410. quomodo ejus regimine avaritia vitetur, 411. continentia servetur, 411.
Lucricupidus cur fiat avarus, 409.
Luxus causæ, 525. 458. 460. 463. 467. 469. remedia, 459. 464. 466. 468. 470. nexus cum prodigalitate, 462.
Luxus quando avaritiam gignat, 423.

M.

Magnanimitatis medium, 503.
Magnificentiæ num repugnet parsimonia, 474. quinam usus rerum & quæ custodia conveniat, 475. quid non repugnet, luxu invalescente, 476.
Magnifice quinam vivat, 472.
Magnificus quomodo vivat, 472. quidnam intendat, 473.
Mastupratio modica num sanitati conducat, 321.
Materialismus magis nocet, si cum atheismo conjungatur, 124.
Materialistæ hominem faciunt machinam, quæ cœco casu regitur, 33. eorum error de cogitationibus, 123.
Medicamenta quænam præferenda, 235. eorum cautus usus, 236.
Medicamenta præservantia cur vitanda, 234.
Medicus cur tempestive consulendus, 237.
Medium cognoscendi num sibi plura, quam aliis in potestate sint, 21.
Membris corporis recte utendi motivum, 295. 296.
Membrorum corporis integritas quomodo conservanda, 289. 291. usus quomodo intime perspiciatur, 290. læsiones vitandi stimulus naturalis, 292.
Membrorum externorum corporis rectus usus, 313. abusus, 314. medium iis recte utendi, abusum vitandi, 315.
Membrorum genitalium usus in recto usu membrorum corporis attendendus,

dus, 316. quomodo is determinandus, 317.
Mendicus num felix esse possit, 397.
Metus futuræ inopiæ avaritiam gignit, 414.
Modestia quænam requirat, 484. ejus nexus cum humilitate & pietate, 502. num eidem repugnet gloria stimulari ad faciendos in bono profectus, 501.
Modestus num seipsum laudet, 486. 488. quomodo spectet bene ac recte a se factum, 489.
Modus consequendi summum bonum ad curam animæ applicandus, 159.
Modus discernendi ea, quæ partim a nobis, partim ab aliis causis pendent, 14.
Morbi odium quo tendat, 255.
Morbi quomodo præcaveantur, 233.
Morborum incommoda quomodo agnoscantur, 253.
Morborum origenis hypothesis falsa neglectus diætæ causa, 281.
Mortis horror homini naturalis, 186.
Motus nimii signum, 221.

N.

Natura quænam nobis dederit quoad animam & corpus, 5.
Naturæ intentio in medicamentis assumendis observanda, 236.
Nausea. Definitio, 211. an sit stimulus abstinentiæ, 212.
Necessitatis futuræ rationem habere in acquirendo num continentiæ contrarietur, 400.
Neglectus curæ animæ hominem maxime dedecet, 175.
Nobis quæ debeantur quomodo agnoscatur, 11.
Noluntas bona ad castitatem requisita, 320.
Noscentia recte gerendi personam suam ad notitiam sui requisita, 17.
Notitia sui num sit virtus, 1. qualis voluntas ad eam requiratur, 2. ejus objectum, 3. quomodo acquiratur, 4. quænam ad eam requirantur, 27. qualem obligationis agnitionem supponat, 15. 16. quod sine agnitione Dei manca, 31. ejus motivum, 29. 30. quid ad eam conferat gloria, 38. quomodo voluptatem creet & bonorum conservationem juvet, 29. quod molestiam detrahat carentiæ eorum, quæ in potestate nostra non sunt, 30. quod requiratur ad curam animæ, 154. ad vitam beatam, 26. quomodo faciat ad beatitudinis conservationem & incrementum, 23. quando ad imitationem Dei ducat, 44. quod sit difficilis, 36. quomodo difficultas ista tollatur, 37.
Notitiæ sui impedimentum, 32. 41. 43. quomodo tollatur, 42. 43.
Notitiæ sui neglectus unde, 41. quomodo tollatur, 42.

Noti-

Notitiæ ſui utilitas in cognitione profectuum in bono & defectuum, 22.

O.

Obedientiæ Deo debitæ influxus in curam vitæ, 194. in laborem, 372. in regimen cupidinis lucri, fugam avaritiæ, 413.
Obligationis qua hominis & qua creaturæ Dei agnitio ad notitiam ſui requiſita, 15. unde cognitio iſta haurienda, 16.
Odium ebrietatis quomodo concipiatur, 247. quomodo vitii cujuscunque, 248.
Odium morbi quo tendat, 255.
Odium veneris illicitæ ad caſtitatem requiſita, 338.
Odium vitii quomodo influat in amorem virtutis, 256.
Opinio de ſummo bono in divitiis conſiſtente quomodo eradicetur, 407. quod avaritiam gignat, 402.
Ornamenta corporis num ſint ſignum ſuperbiæ, 310.
Ornatum num in veſtitu obſervare liceat, 302.
Otii ad ſe noſcendum deficientis opinio quomodo eradicetur, 43.

P.

Pæderaſtiæ turpitudo intrinſeca, 333. fugiendæ motivum, 334. 335.
Parſimonia quamnam circumſpectionem requirat, 431. num fiduciæ in Deo & acquieſcentiæ in providentia divina repugnet, 437. num cum magnificentia conſiſtat, 474. ejus medium, 430. motivum, 435. 486.
Parſimoniam colens parta conſervare ſtudet, 432. reditus cum expenſis confert, 434. num æs alienum contrahat, 433.
Patiens quinam ſit, 540
Patientia quando maxime conſpicua, 546. ejus media, 541. 542. motiva, 542. 543. ſignum, 544. cur nemo ſuam prædicare habeat opus, 545.
Pauper num felix eſſe poſſit, 397.
Pecuniæ uſus & abuſus, 362.
Pecunia quomodo acquiratur, 365. quomodo appetenda, 364. a quibusnam per ſe appetatur, 402. 403. quinam finis in acquirenda & eroganda intendi debeat, 363. quinam eam non acquirat illicito modo, 398. quale jus ad eam nobis competat, 364. cur ea indigeamus, 368.
Perceptio jucunda. Definitio, 131.
Perceptio moleſta. Definitio, 131.
Perfectionis humanæ complementum, 74.
Perfectionem ſuam rite æſtimandi medium, 82.
Perſonam ſibi impoſitam recte gerere quod ad curam animæ pertineat, 152.
Perſonam ſibi impoſitam recte gerendi

noſcentia ad notitiam ſui requiſita, 17. quomodo acquiratur, 18.
Perſonæ ſibi impoſitæ multiplicis agnitio ad curam animæ neceſſaria, 153.
Perſeverantiæ in dilectione ſui motivum, 64.
Perverſio dilectionis ſui. Definitio, 92. remedium, 93. 96.
Pietas cum cura animæ conjungenda, 151.
Pietatis nexus cum modeſtia & humilitate, 502.
Pietati num repugnet gloria ſtimulari ad faciendos in bono profectus, 501.
Placentiæ ſui num ſit homini naturalis, 76. ejus gradus, 77. quando nihil vitii habeat, 78. quomodo vitioſa evitetur, 79. quomodo nimia præcaveatur, 81.
Potus quale ſit bonum & quomodo efficiatur malum, 266. cur cum gratiarum actione Deo agenda capiendus, 268. 270.
Potus quantitas nimia unde colligatur, 207. 208. qua cautione ab ea recedendum. 206.
Potus quantitatis in defectu ſignum, 205.
Potus ſalubris notitia ad temperantiam requiſita, 200. unde hauriendi, 201.
Preces laborantis, 377. 378. qualem requirant animum, 379.
Precum effectus in conſervanda ſanitate, 230.
Prodigalitas quando avaritiam gignat, 420. ejus cauſa, 458. 460. remedium, 459. 461.
Prodigentiæ nimis credulorum remedium, 471.
Pulchritudo num ſit objectum obligationis naturalis, 305.
Pulchritudinis cura num ſit virtus, 303.
Pulchritudo artificialis num viros, non ſaltem mulieres deceat, 307. quomodo ejus ratio habenda, 304.
Pulchritudinis artificialis colliſio cum officio aliquo, 312.
Pulchritudinis artificialis corporis contemtorum error, 311.
Pulchritudinis naturalis conſervatio quænam requirat, 306.
Pulchritudo veſtium quomodo æſtimanda, 309. an ſit ſignum ſuperbiæ, 310.
Puſillanimis vita, 528. actiones & mores, 529.
Puſillanimitatis remedium, 530. 531.

Q.

Quietis nimiæ ſignum, 221.

R.

Rectitudo ſtudii ſe perficiendi, 75.
Rerum ſuarum uſus & abuſus, 350.
Rerum, quibus indigemus, finis, 345. 347. cura quotuplex, 345.

Res

Res quomodo a ſe invicem diſcernendæ, 349. quænam in una re diſcernenda, 349. quomodo ſint noſtræ, 359. quanam ſollicitudine de iis diſponendum, 360. quid fieri debeat, quoties comparandæ vel utendæ, 361.
Retenta. Definitio, 223. quænam eorum ratio in ſanitate conſervanda habenda, 223.

S.

Salubritas cibi num ex ſapore & odore grato dignoſci poſſit, 213.
Sanitas quomodo rite æſtimetur, 252. quantum ſit bonum quomodo cognoſcatur, 252. exigit affectuum vehementium vitationem, 228. quinam aër ei conducat, 217. ejus conſervandæ media, 199.
Sanitatis amor quomodo concitetur, 252. quo tendat, 255. ad temperantiam requiritur, 250. in caſtitatem influit, 329.
Scortatio modica num ſanitati conducat, 331.
Seminis excretio immodica num ſanitati noceat, 226. moderata num conducat, 330.
Seminis retentio diuturnior num noceat ſanitati, 330.
Serviendi Deo ſollicitudo ad curam animæ requiritur, 148.
ad Similitudinem aliorum vivere curæ animæ adverſatur, 163.
Situs corporis num ſanitati conveniat, quomodo colligatur, 222.
Sobrietatis ſignum, 246. motiva, 239. 249.
Sodomiæ turpitudo intrinſeca, 333. fugiendæ motivum, 334. 335.
Somnus moderatus. Definitio, 219. unde colligatur, 219.
Sordes quomodo caute æſtimandæ, 447.
Sordium vitandarum remedium, 445. 446.
Sollicitudinis ob defectum in uſum futurum ſervandorum remedium, 399.
Sors noſtra quomodo recte æſtimetur, 395.
Studium ſapiendi ex caſu alieno & proprio ad curam animæ requiſitum, 155.
Studium ſe perficiendi quando ſit rectum, 75.
Stupor ſive *Stupiditas.* Definitio, 343. an ſit vitium, 343. quando abſtinentia a voluptatibus corporis eidem aſſimiletur, 344.
Summum bonum in divitiis conſiſtere quinam opinentur, 402.
Summi boni conſequendi ſtudium ad curam animæ requiritur, 158.
Superbia quando luxum gignat, 463. remedium luxus in hoc caſu, 464.

T.

Temperanter vivere tutius, quam intemperanter, 284.
Temperantia amorem ſanitatis requirit,

rit, 250. qualem notitiam ſuppo-
nat, 200. ad ſanitatis conſervatio-
nem requiritur, 199. influxus in
caſtitatem, 332. medium, 269. 270.
Tenacitas quomodo caute æſtimanda,
447. quando cum avaritia conjun-
gatur, 439. 441. ejus cauſæ, 438.
440. remedia, 443. 444.
Tenacium querelæ, 442.
Timiditatis remedium, 551. 552. 553.
Timor Dei ſuſcitat ſtudium inquirendi
in res nobis ſalubres, 273.
Timoris Dei influxus in curam animæ,
143. in abuſus corporis, 336. in
fugam veneris illicitæ, 336. in la-
borem, 372. in regimen cupidi-
nis lucri, fugam avaritiæ, 413. in
temperantiam, 272.
Torpedo. Definitio, 92. remedium,
94. 95.
Tranſpiratio inſenſibilis unde rite per-
acta colligatur, 225.

V.

V*acuitas animi* a cura felicitatis num
ſit vitium, 90.
Veneris illicitæ odium ad caſtitatem
requiſitum, 338. remedium, 336.
Venus nimia num noceat ſanitati, 326.
quinam ab ea ſeſe abſtineat, 327.
eam vitandi motivum, 328.
Veſtimentorum cura ad quamnam cu-
ram pertineat, 298. quænam de ea
obſervanda, 299. ejus impedimen-
tum & quomodo tollatur, 300.
Veſtium ornatus num licitus, 302.
Veſtium perfectio in quo conſiſtat, 308.
Veſtium pulchritudo quomodo æſti-
manda, 309.
Vigiliæ nimiæ. Definitio, 219. quan-
tum noceant, 219. quatenus ab iis
nobis cavere poſſimus, 220.
Virtutis conſervatrix cura animæ, 141.
Virtutis efficientia in voluptatibus tran-
ſitoriis, 107. in uſu earundem, 108.
Virtutis ſignum, 246.
Vita conſervanda propter Deum, 187.
quomodo de ea ſtatuere debeat ho-
mo, 190.
Vitæ amor homini naturalis, 185. cu-
ra quotuplex, 191. terminus, 191.
Vitæ conſervandæ & recte impendendæ
motivum, 192. medium, 193.
Vitæ conſervatio naturæ humanæ con-
veniens, 195. quænam cognita
ſupponat, 198.
Vitæ labefactatio naturæ humanæ re-
pugnat, 195.
Vita beata. Definitio, 25. quomo-
do vivatur, 25.
Vita brevis voluptuoſi num præferen-
da longæ voluptatibus corporis va-
cuæ, 286.
Vitam hominis qui non vivant, 173.
Vita perfecta vivi nequit ſine cura ani-
mæ, 160.
Vitii odium quomodo concipiatur,
248. quomodo influat in amorem
virtutis, 256.

Vitii

Vitii fugiendi motiva quomodo voluntatem conſtantem & perpetuam faciant, 245.
Vivere ad ſimilitudinem aliorum curæ animæ adverſum, 163. neglectus diætæ cauſa, 164. quando luxum gignat, 469. mos ita vivendi quomodo corrigatur, 164. 470.
Voluntas qualis ad curam animæ requiratur, 144.
Voluntas bona ad caſtitatem requiſita, 320.
Voluptas prodigalitatis & luxus cauſa, 460. ex guſtu percepta qualis ſit, 259. ex ſapore percepta quomodo æſtimanda, 260. quomodo hac utendum, 261. quomodo præcaveatur, ne eidem admiſceantur peregrinæ, 262. ex perfectione propria & laude merita percepta num humilitati & modeſtiæ repugnet, 500. ex perfectione ſenſibilis percepta qualis ſit, 111. 112. quomodo præcaveatur, ne fiat nocua, 113. ex coitu percepta num legi naturæ adverſetur, 341. 342.
Voluptatis magnitudo, ſi cibum & potum capiamus cum ſenſu beneficii divini, 270.
Voluptatis promiſcuus abuſus quomodo tollatur, 119.
Voluptates corporis quænam ſint, 109. quænam de iis tenenda, 110.
Voluptates ſenſuum cur vividius hominem afficiant quam voluptates animi, 102. cur fortius trahant appetitum, 103. quomodo iis detrahenda efficacia ad movendum appetitum, 104. quinam eas parvi faciant, 105. quomodo conſequamur, ut eas parum curemus, 106. quomodo purificentur, 107.
Voluptates tranſitoriæ quomodo rite æſtimentur, 100. 101. earum uſus num obſtet dilectioni ſui, 97. rectus uſus cur cognoſcendus, 98. abuſus quomodo vitetur, 99.
Voluptas venerea impedimentum caſtitatis, 321. quomodo eidem reſiſtatur, 325.
Voluptatis creatrix vis quomodo opinione hominum actionibus noſtris & rebus affingatur, 114. quinam huic periculo ſe exponant, 114.
Voluptuoſus quando in avaritiam incidat, 426.
Urinæ excretio quænam obſervanda requirat, 224.

FINIS INDICIS TOMI IV

)o(

Digitized by Google